1520

SYNOPSIS VETERVM RELIGIOSORVM RITVVM ATQVE LEGVM


NOTIS AD CONSTITVTIONES Clericorum Regularium vulgò Theatinorum comprehensa.

OPERA ET STVDIO ANTONII CARACCIOLI,

Eiusdem Ordinis Presbyteri.

Tertia Editio compluribus auctior.

D. Ambrosius in 1. Tim. 3. *Antiquitas robur est Nouitatis.*



PARISIIS,

Apud IOANNEM BOVLLARD, in quadriuio sanctæ Genouefæ, ad insigne eiusdem Sanctæ.

M. DC. LXI.

Cum Licentia.

D. Vincentius Gilibertus, Congregationis Clericorum Regularium Præpositus Generalis.

SYnopsim veterum Religiosorum Rituum atque Legum, P. D. Antonii Caraccioli, Cl. Reg. Notis comprehensam, Doctorum virorum, quibus recognoscendam commisimus, iudicio probatam, typis tradi permittimus. Dat. Romæ, die 23. Decembris 1624.

D. Vincent. Gilib. Præp. Generalis.

D. Ang. Maria Secret.

POstulante Reuerendissimo P. F. Ludouico Ystella, Magistro sacri Palatii Apostolici, perlegi librum à R. P. D. Antonio Caracciolo compositum: cui titulus est, Notæ in Constitutiones Clericorum Regularium: nihilque in eo inueni quod Catholicam Fidem, Christianos mores, ac Regularem disciplinam non redoleat. Ac ob id dignum existimo vt typis mandetur. Romæ die 1. Ianuarii 1610.

Antonius Episcopus Sarnensis.

SYLLABVS CAPITVLORVM

INSIGNIORVM QVÆ IN HAC Synopsi tractantur.

A. sigi. Romæ


ὁ ἅγ ὁ
χρυσόστομος
Tene Spiri
tualia
Temne se
cularia

Magno [a]
IOANNI Chryſoſtomo, atq; Chriſtoſtomo [b],
Secundi, Orientalium exercituum Ductoris,
Et Anthuſæ nobiliſſimæ Viraginis Filio [c],
Hilarionici, hoc eſt, Antoniani [d], Inſtituti
Monacho Sanctiſſimo;
Ex Antiochenæ Eccleſiæ Presbytero,
Ad CP.num Patriarchatum diuinitus euecto [e],
Paſtori bono [f],
Animarum Zelatori [g],
Athletæ generoſiſſimo [h],
Diuinarum literarum Interpreti admirabili [i],
Orbis vniuerſi Magiſtro [k],
Cæleſtium dogmatum Tonitruo [l],
Aureæ Chriſti Tubæ [m],
Viro Mente pura,
Inuicto pectore,
Ore χρυσῷ χρυσοστόμῳ [n],
Sine ſanguine martyri [o],
Alteri Vaſi Electionis [p],
Nouo Apoſtolo [q],
Antonius Caracciolus, Clericus Regularis;
Ex eo videlicet Clericorum Ordine,
Quem tanti Patris natalitia dies [r],
Clariſſimum nempe ſidus,
Naſcentem fauſta luce proſpexit:
Quémq. Paulus IV. P. M. Chryſo. addictiſs.us [s],
Vnà cum tribus aliis eximiis Viris
Diu ante Pontificatum inſtituit:
Has in noſtras leges ritúſque, Notas,
Hoc eſt, Synopſim Rituum antiquorum,

a Zonar. in Archadio.
b Metaphra. d. vit. Chryſoſt.
c Paliad. in Dial, cum Theod,
d Vid. Hieron. in vita Hilar.
e Pallad. Metaphr. alij.
f Georg. Alex. fol, 71.
g Idem fol. 2.
h Idem fol. 4,
i Breuia. Rom,
k Georg. fol. 2. Iſid. Pel, Ep. 56.
l Leo Imp. in Encomio.
m Georg. Alex. fol. 88.
n Damaſc. Or. 1. in paup. & ex eo Reſcius in Phalariſmis.
o Niceph. lib. 14. cap. 43.
p Angelus ad Flauianum Epiſcopum, apud Georg. Alex. fol. 14.
q Archadius Imp. apud eundem fol. 31.
r Onuphr. in vita Pauli 4.
ſ Ipſiuſmet ſchedię MM. SS.

Humillimus cliens Patrono potentissimo,
Cum æterna fide atque obsequio
Dedico, Consecróque,
D. N. M. Q. E.

t Ii Tituli Cælitibus etiam tributi. Acta enim S. Cæciliæ habent, Aspectus angelici Numinis, &c. Et Luc. cap. 9. Moyses & Elias visi in maiestate: i. in gloria & in claritate. Maut. Nec Superos odi, nec Numina sãcta.

ANTONII CARACCIOLI CLERICI REGVLARIS VITA A FRANCISCO BOLVITO CLERICO ITEM REGVLARI DESCRIPTA.

ANTONIVS Caracciolus è sancti Boni Principibus Religioni Clericorum Regularium nomen dedit Neapoli, in Sanctorum Apostolorum domo, die Catharinæ Virgini, ac Martyri dicato, anni millesimi, quingentesimi, octogesimi quarti, à B. Andrea Auellino tunc Præposito in eam cooptatus: cum flueret illi annus decimus nonus, & iam quatuor minoribus Ordinibus esset initiatus. Non ego natales eius extollam, tota ferè Europa splendescentes: Extollam potiùs eius modestiam, minimè illos per contumaces, ac rebelles spiritus obscurantem, sed humilitate reddentem, splendidiores. Posito tyrocinio, & Philosophiæ cursu exacto, Romam missus Theologiæ vacauit sub

Marcello Tolosa, cui coniunctus cum scientia spiritus ardor, magnam apud posteros laudem peperit. Ibi quoque habuit ad sacras litteras manuductorem nostrum Antonium Agellium, laudatum à doctis viris Psalmorum interpretem: cui postea sic ipse addictus fuit, vt in Codice Commentariorum, quo vtebatur, imitatus Lucretium, lib. 3 initio, scripserit:

Te sequor ô Graiæ gentis decus, inque tuis nunc,
Fixa pedum pono pressis vestigia signis.

Theologiæ studijs absolutis Neapolim reuertitur, philosophicas disciplinas docturus. Sed vix Logicas docuit (quo ego præceptore glorior) auocabatur enim, & veluti quodam naturæ impetu rapiebatur ad studia sacræ Historiæ, sacrarumque litterarum. Fuit porrò in antiquitate Ecclesiastica eruenda studiosissimus: Quantum enim fuit Scriptorum peruolutauit, apumque instar, attentè, & feliciter ex floriferis quibusque saltibus omnia delibauit. Potuit iure dici *Librorum helluo.* Sed talem eum fuisse, virum iam, & professione religiosum, quid mirum? quandoquidem paruulus adhuc à iocularibus alienus, in quibus ætas illa licet tantilla tota est, à lectione nunquam feriabatur, ac ne in mensa quidem, cui cum suis assidens, gustato vix cibo, libellum è crumena eruebat, parentis obiurgationes minimè veritus. Mirandum potiùs, lectitasse illum assiduo studio, ophthalmia laborantem, lippientibus, & cæcutientibus semper oculis, quorum dexter aliquandiù ad nucis instar intumuit, & prosiliit.

Quamquam verò à studiis nunquam temperaret, proximorum nihilominus saluti procurandæ se sacrauit. Ipsum experta fuit in spiritu ductorem, & doctorem *Vincentia de Oda* Virgo Neapolitana, cuius egregia gesta, diutinosque cum Diabolo virginitatis eius hoste conflictus, scripto tradidit, & quod compertum habuisset, sub externo nigro amictu, cinereo illam internè indutam, Fratri Paulo Fulginati Cappuccino illud transmisit, in suorum Chronicon reponendum.

Nostris quoque instituendis, Magister effectus nouitiorum, indefesso labore, solertique cura sudauit eius industria, cogitantis fundamenta tunc fodi superextruendis molibus: euentu certè felicissimo. Nam vnus pro omnibus suffecisse censendus est. Fuit is *Iacobus de Stephano* Neapolitanus, immaculatæ puritatis adolescens, ideoque à B. Andrea Auellino vnicè dilectus, & Antonio peculiari affectu commendatus. Hunc tyronem suum vidit postea spiritualium magistrum: ac demum ab Vrbano VIII. ad Iberos Caucasi montis radices incolentes missum, non quidem ad aureum vellus, vt olim Argonautæ fecerunt consequendum, sed ad animas ex Orco infidelitatis, & schismatis eruendas. Vbi per plures annos commoratus, cumulatus meritis obiit, relicta sanctitatis fama, vti breui compendiolo typis Coloniensibus edito, testatus est noster Franciscus Maria Maggius, prolixiore narratione gesta eius propediem, vt audio, complexurus.

Tantarum

Tantarum sobolum felix educatio, aliud Patribus de Antonio instillauit, zelum præcipuè ipsius circa regularem obseruantiam demiratis. Ter igitur collatum ei fuit Visitatoris munus, semel in Galliæ Cisalpinæ Prouincia, semel & iterum in Neapolitana, illecto ad subeundos oneri humeros, quod lustrandæ Prouinciæ occasione, loca sacra per Italiam collocata, posset venerari: virosque sanctitate, ac doctrina conspicuos, coram agnoscere: vtrumque assecuto: quod, de his, litteræ testantur ab eis ad illum licet semel, & in transitu cognitum, datæ, ingenti volumine adhuc extante, comprehensæ.

Eodem pio astu deceptus, coactus fuit Consultoris Patris Generalis munus subire, nimirum, quòd in Vrbe Sanctorum Martyrum purpurata sanguine, nullis consanguineorum curis exagitatus, posset deuotus quiescere. Cognita ibi eius scientia nonnullis S.R.E. Cardinalibus nempe Bandino, Mellino, Montis Regalis, & Bellarmino: quorum opera Congregationis Sacrorum Rituum, & expurgationis Christianæ Bibliothecæ, adiunctus fuit. Quibus adiutrices quoque manus præbuit, quanquam absens, & Neapolim reuersus, dum sub Vrbano VIII. noua Breuiarij, & Martyrologij cusio pararetur, missis ad vtriusque emendationem doctis *Notationibus*, quarum exemplar apud nos extat M. S.

Inquies animum Antonij tenebat, lamentantis iugiter, & optantis, ablegatis externorum occupationibus, tandem aliquando reddi se sibi. Ideo, vt omnem alios regendi curam radicitus à se euelleret, iuribus ferendi suffragij pluries renunciauit, nunquam annuentibus Patribus, nisi decimo ferè ante eius obitum anno.

Ne verò hoc renunciandi honorum culminibus nouitium tibi in Antonio videatur, scito Lector, ter ipsum eluctatum fuisse importunas cuiusdam Principis è sua familia viri suasiones. Qui cum esset Proregi Neapolitano ab intimis, virtutumque Antonij conscius, putauit obsequium se Hispaniarum Regi præstiturum, si tantus vir, Ecclesiæ alicui Regiæ præsentationis destinaretur Episcopus. Robur tamen pectoris eius nequaquam potuit emollire, contestati, electurum se potiùs patriæ extorrem fieri, totoque Orbe profugum, quàm Episcopum. Quæ cùm socio, qui aderat, fuissent manifesta, ipse, solo Deo teste contentus, iuramenti Sacramento illum adegit, ad audita silentio contegenda. Sed Princeps ille, vocalis in sui laudem effectus, cuncta patefecit.

De paupertatis amore, qui in eo fuit eximius, quid dicam?

Excussa semel per solenne eius votum diuitiarum pondera, nunquam repetijt. Nec aliquando amare cœpit, quæ tunc didicit odisse. Erat verò iucundus cellæ eius intuitus, & artificia illuc inspicere ingeniosæ paupertatis. Nihil in ea comptum, ne in sacris quidem Sanctorum icunculis. At neque in vestibus. Extremo vitæ tempore, adhuc pelliceo thorace induebatur, quo vsus fuerat Felix Barilis Ducis Caiuani, ac Regni huius Secretarij auunculus, qui ante quadraginta octo ferè annos è viuis excesserat. Cúmque, quantus quantus esset, lectioni, ac studijs intentus esset, ob paupertatis tamen amorem, laceras vestes, manu sua ipse sibi sarciebat.

Religionis virtutem adeo coluit, vt ob eius cultum, cùm vix esset sacerdotio insignitus, enixè rogauerit, facultatem sibi fieri, loca sancta Hierosolymitana, Christi Domini nostri pedibus calcata venerandi, cùm illa adijt Coriolani Marchio: quæ tamen illi minimè concessa fuit. Venerabatur Paulum Papam IV. nostræ Religionis cum B. Caietano Conditorem, ob propensum illius in Apostolorum Principem animum, cuius Cathedræ Officium, ac Festum restituerat: & pro eiusdem Basilicæ Primatu tractatum scripserat, quem extare in Bibliotheca Cardinalis Sirleti, testatus est Posseuinus in Apparatu. Ad hæc, optauit aliquando, Religioni nostræ Clericorum Regularium, absque additamento aliquo, vtpote omnium primæ, sic appellatæ, adijci, & hoc, *sancti Petri.* Quandoquidem Petro tanquam Parenti nostro, post Omnipotentem Deum, Virginemque Sanctissimam, vota nuncupamus in solennitate Professionis: nec aliam tunc Regulam legimus, quam ex capite Apostolicorum Actuum. Cineres Vaticanos è sepulchris sanctorum Pontificum iuxta sepulchrum Principis Apostolorum tumulatorum effossos, dum fundamenta iacerentur superextruendo ciborio, eorum ossiculis refertos, à Canonicis Vaticanæ Basilicæ annuente Vrbano Pontifice sibi missos, solenni ritu, ac pompa, sub Altare maius huius Templi Sanctorum Apostolorum collocandos curauit. Sericeam vittam, mensuram ossis sancti Ioannis Chrysostomi, cui erat deuotissimus, à nostro Michaele Ghislerio amicissimo suo sibi missam, thesauri loco semper habuit.

Ex hoc Religionis amore, manasse credendus est, ardor ille, quo æstuabat iuuandi eos, qui abiurata hæresi, ad sinum Catholicæ Matris Ecclesiæ reuersi essent: qui ad ipsum, commendantibus etiam ex Vrbe S.R.E. Cardinalibus, tanquam ad patrem confugiebant: quorum inopiæ subleuandæ, nihil intentatum relinquebat. Neque minus cum lancinabat fama de hæreticorum victorijs, qua aliquan-

do percrebescente, visus fuit multoties in oratione afflictim dolere, & ingemiscere.

Mentali quoque oratione animum suum irrigasse, & quadam veluti pinguedine fœcundasse, ex eius frequentia colligitur, ac deuotis quibusdam meditationibus, quas in proprium vsum, ex SS. Patribus sibi concinnauerat.

Die trigesima Octobris anni millesimi sexcentesimi vigesimi noni, qui dies in Fastis Neapolitanis, Leuitæ, & Martyri Maximo est sacer, cuius ipse tunc agones scripto tradebat, fulmine de cœlo tactum fuit eius cubiculum, dum ipse ad vitream fenestram legeret. Dei tamen ope nihil læsus. Expiatis statim per confessionem labeculis suis, ad salutarem Hostiam Liberatori suo litandam se parauit: tantique beneficij memoriam quoad vixit, recursante anniuersaria die, semper retinuit.

His denique Antonij virtutum exemplis, prouocati fuere multi ad eius imitamentum, ac præcipuè Gentiles sui. Cùm enim, ipso Religionem ingrediente, vnus tantùm ex Caracciola familia inter Nostros numeraretur, ipso tantis virtutum splendoribus radiante, numerati sunt aliquando ex ea supra decem & octo simul in viuis existentes: inter quos bini ex Iulio fratre suo nepotes.

Verùm, ô inscrutabilia Dei iudicia, & arcana eius consilia! Talis, tantusque vir, anno ferè ante eius obitum, memoriæ lapsum passus est incredibilem, ita vt nec verba nectere posset, & communia quæque vocabula, nedum propria, minimè illi fierent obuia. Ex inueterata tamen consuetudine, orationi vacabat adhuc, & in genua prouolutus. Abstinendum postea illi fuit, ob eiusmodi memoriæ lapsum à Sacro faciendo: cui nihilominus quotidiè adstabat, eucharistico se epulo reficiens. Ingrauescente demum obliuione, factusque omnium, ac præcipuè gressus impos, in cubiculo detinebatur. Vbi improuisa apoplexia correptus, placida morte obijt, die sancto Ioseph sacro, cuius & nomen in Baptismo cum alijs, sibi inditum fuerat, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, qui ætatis suæ erat penè septuagesimus septimus. Obitus eius communi omnium luctu exceptus est, ac funus frequenti populorum concursu curatum: contendentibus quibusque deuotionis ergo, aliquid quod suum fuisset, lucrari.

Edidit Antonius ista. *Apologiam pro psalmodia in Choro* exercita etiam à doctissimis, nedum sanctissimis viris: quam cùm priuatim ad Franciscum fratrem in Hispanijs agentem misisset, ipso inscio typis mandata fuit, opera Didaci Granerij Alarco-

nij, in Prouincia Matriti Dominicanorum Prouincialis, multis scatens erratis, quà ex scriptorum imperitia, quà Typographorum incuria: sed nuper typis Lugdunensibus prodijt emendata.

Notas in Constitutiones Clericorum Regularium ad eas ab antiquitate firmandas. Quas mutata post annos aliquos epigraphe inscripsit, *Synopsim veterum Religiosorum rituum Notis ad Constitutiones Clericorum Regularium comprehensam.* Æditæ fuerunt Notæ Romæ. At Synopsis Parisijs triginta ferè locis auctior, cura P. Berulli Congregationis Oratorij Galliarum Præpositi Generalis, ac paulò post S. R. E. Cardinalis.

Collectanea Vitæ Pauli IV. & B. Caietani, & Sociorum, nostri Ordinis Institutorum.

Bigam illustrium controuersiarum, de S. Iacobi scilicet *accessu in Hispaniam: & funere sancti Martini à S. Ambrosio curato.* Prodijt ea primùm Neapoli, deinde Coloniæ apud Kinchium. Habemus eam ab auctore recognitam, innumeris penè locis locupletatam.

Vitam S. Antonini Abbatis, & Surrentinæ Ciuitatis Patroni è M. S. Codice Bibliothecæ nostræ SS. Apostolorum erutam, Notis illustrauit.

Flosculos è S. Augustini Confessionibus collegit, inque *Areolas sex* distinxit, excusos Neapoli, & Antuerpiæ. Sed hi nomen præferunt *Petri Mariani.* Antonius enim in sæculo audiebat Petrus, natusque est in Oppido Villæ sanctæ Mariæ in Pelignis prope fluuium Sarrium, vulgò Sangrium, paternæ ditionis.

Kalendarium Ecclesiæ Neapolitanæ cum Notis, sub nomine Decij S. R. E. Cardinalis Carafæ Archiepiscopi Neapolitani.

Chronologos quatuor nempe *Herempertum Longobardum, Lupum Protospatam, Anonymum Cassinensem, & Falconem Beneuentanum*, ex antiquis MM. SS. Codd. vulgauit, addidit eis *Propilæa* vice Commentariorum, & *Nomenclatorem.*

Contra Neotericum quendam Beneuentanum, qui B. Ianuarium ciuem suum fecit, scripsit *Historicam Demonstrationem, quod S. Ianuarij patria, Neapolis fuerit.* Cùmque nouitium quoddam *epitaphium* circumferretur, validissimis rationibus, recenter illud esse confictum docuit.

Aliquorum sacræ Scripturæ locorum expositio, studio, & industria nostri Aloysij Nouarini de Republica litteraria optimè meriti, in lucem edita cum alijs aliorum Opusculis.

Demum, aliquibus ante obitum suum annis, Operi, cui hanc ille Epigraphen decreuerat: *Fasti Ecclesiæ Neapolitanæ*, siue *Fasti Diuales Neapolitani*, totus intentus fuit. Quam ego, doctorum quoque virorum sequutus iudicium, coactus fui mutare. Cur enim *Fastorum* nomen mereri posset lucubratio, in qua interrupta sæpius annorum series, & vasti multoties annorum hiatus? Cui malo, vt ipse mederetur, multa à præfixo sibi scopo aliena congesserat, ad vniuersalem potius, quàm Neapolitanam Ecclesiam attinentia. Et, cùm ipse, non continuato, sed saltillante calamo scriberet, inde lacunarum ille infinitus numerus hiauit, quibus implendis, mea sudauit industria. Sicut etiam ijs, quæ in autographo ipsius pugnantia reperi, conciliandis, multisque ob illius obliuionem, curarum secundarum dola destitutis, dolandis, poliendis, illustrandis. Reposui hanc ego epigraphen. *De sacris Ecclesiæ Neapolitanæ monumentis.* Vtque in pagina liminari, siue Operis titulo legis, *pleraque*, non omnia enarranda suscepi. Nam, si quid in illa gestum eo temporis spatio, quod ad vsque renouati Orbis annum nongentesimum excurrit, Auctorem fugit, nolim id, ipsius vitio duci, cùm minimè omnia narrandi onus susceperit. Sed *pleraque* tantùm. At de huius inscriptionis mutatione, tuum adhuc expecto iudicium, Lector.

Sed & alia nobis reliquit Antonius, quæ lucem non aspexerunt. In primis *Vitam Pauli IV.* nostri, quam Italicè scripsit, excussis omnibus Archiuis, præcipuè Vaticanis, Capitolinis, & Arcis sancti Angeli: peragratisque locis quibuscumque, vbi aliquid potuisset de Paulo sciscitari. Sed cùm ipse veritati, in ea scribenda, litasset, ne quempiam offenderet, coactus est intra latebras Bibliothecarum nostrarum illam condere.

De metaphoris sacræ Scripturæ, minimè absolutum tractatum.

Propugnaculum antiquitatis contra Neotericos multos, ingenij felicitate abusos, ac venerandæ antiquitati nouarum speculationum inuentione illudentes.

Aduersariorum sacrorum tomos tres, in quibus multa sacræ Scripturæ loca explanantur, & historicæ controuersiæ enodantur.

De Sanctis Regni Neapolitani, Opùsculum ex MM. SS. Martyrologijs Pulsanensis Ecclesiæ, & Pleschiensis, in Regno Neapolitano, litteris Longobardicis exaratis.

Apologiam pro debita receptione Mariæ Austriacæ Reginæ Hungariæ, nunc Imperatricis, *sub baldachino*, Cùm enim Regina, dum Neapoli esset, à Metropolitani Templi visitatione, Templum nostrum

Paulinum ſemel, & iterum inuiſeret, prima vice ſub baldachino, ad Aram vſque maximam recepta fuit. Aliquibus poſtea ea de re rumuſculos excitantibus, coactus fuit Antonius, vulgato materna lingua hoc ſcripto, id ex ſacrarum ceremoniarum ritibus rectè, ac ritè fuiſſe factum demonſtrare.

De Inſtituto Religionis Clericorum Regularium actuoſo, & contemplatiuo.

Et alia multa. Fruere Lector editis: & me apud Deum precibus tuis iuua.

IN DOCTISSIMAS SACRORVM RITVVM NOTAS R. P. D. ANTONII CARACCIOLI.

IVSTI RYKII GANDENSIS BELGAE Carmen.

SACRORVM ritus, atque ignorata prophanis
Arcana, & quicquid prisci venerabile sacli est,
Sacratis depromptum adytis; quæ Spiritus alti
Ætheris, & magni sanxit Mens prouida Mundi,
ANTONI in dias reuocasti luminis oras.
Miratur veteres, miratur Roma recentes
Vno à fonte peti mores, stupet ipsa Sororum
Optima Relligio, stupuit Pietásque Fidésque
Rursus in antiquam faustè reuocata figuram.
Haud meritò: nec enim licuit de pectore tanto
Expectare minus; pulchra sic messis ab herba
Præuisa trepidos suspendit fruge colonos.
Sæpè tuos nutrix dum sensit culta labores

Parthenope, & teneris præsumpsit gaudia curis,
Amplexa est surgentem animum, potuitque videri
Fatidica, inque tuos nimiùm procliuis amores:
Quamuis ista tuam non permouêre iuuentam,
Aut stimulos generose tibi fecêre: sed almis
Mens incocta bonis, & pulchro fœtus honesto
Spiritus, obscuræ spreuit palmaria terræ:
Maioris cupidus palmæ, melioris amator
Consilij. Haud dubita, Cæli manet arce repostum
Quod sequeris; nostros fugiunt tua præmia sensus.
Tempus erit cùm te subuectum ad cærula templa
Vilibus ereptum curis, cælóque tuentem,
Quæ miseros agitant mortales, stellifer axis
Suspiciet, meritósque tibi componet honores.
Tunc dulcis labor iste fluet; meminisse iuuabit
Vt quondam in terris sudoris largus acerbi,
Hybernæ vt patiens auræ, per scrinia pallens,
Librorúmque strues, non molles duxeris annos.
Tunc quibus immundæ placuerunt otia vitæ,
Indignati animis, suspirantésque, decorum
Inuidia mordente caput conuellere tendent.
Heu miseri incassum! volat omni celsior Ira
Gloria, quam iustis docti peperêre triumphis.

In Vrbe PP. VI. KL. Feb. CIↃ IↃC.X.

CLEMENS

CLEMENS PAPA VII.

IOANNI PETRO * EPISCOPO THEATINO, ET CAIETANO* Presbytero Vicentino, atque eorum Socijs & Successoribus.

* Carafę.
* Thienço.

VENERABILIS *frater, & dilecti filij, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exponi nobis nuper fecistis, quòd vos, & nonnulli alij, eiusdem propositi, socij vestri, diuina, vt creditur, inspiratione ducti, cupientes cum maiori animi quiete Deo seruire, & illi magis pro desiderio cohærere posse, tria Substantialia religiosæ vitæ, Paupertatis scilicet, Castitatis, & Obedientiæ Vota emittere, & sub solito & communi habitu Clericali in vnum habitantes, & in communi de communi viuentes, ac Deo humiliter & deuotè, quantum ipse dederit, seruientes, sub nostra, & Apostolicæ Sedis humili, & immediata subiectione, & speciali protectione, Clericalem vitam ducere decreuistis; supplicaréque nobis fecistis, vt de nostra, atque huius sanctæ Sedis plenitudine potestatis, solitáque Clementia in præmissis benignè annuentes; de ijs quæ ad huius vitæ propositum conducere, aut quomodolibet expedire videntur, vobis socijs, successoribúsque vestris prouidere dignaremur.

Nos, qui omnium Christi fidelium pijs & honestis desiderijs libenter annuimus, vestrum in hac parte laudabile desiderium, plurimùm in Domino commendantes, vestrísque huiusmodi supplicationibus inclinati, Vobis, & cuilibet vestrûm, vt quandocunque visum fuerit, possitis tria Substantialia religiosæ vitæ (vt petitis) Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ vota publicè emittere, & in manibus cuiusque Presbyteri sæcularis, vel cuiusque ordinis Regularis, solemniter profiteri, ac sub solito & communi habitu Clericali, súbque nomine, & nuncupatione Clericorum Regularium, in communi viuentes, in locis Religiosis, aut sæcularibus, prout vobis ab illis, quorum loca ipsa, concessum fuerit, seu expedire videbitur, sub nostra, & sanctæ huius sedis Apostolicæ immediata subiectione, & speciali protectione in vnum habitare, atque ex vobis, inter vos, singulis annis superiorem eligere Præpositum nuncupandum, qui vsque ad triennium, & non

vltra confirmari possit, aliósque quoscunque sæculares Clericos, quauis dignitate fulgentes, seu laicos, qui, Deo inspirante, ad huiusmodi vitæ propositum, & communem viuendi modum, sese conferre voluerint, recipere, & post annuam probationem, ad talem trium Votorum professionem, in manibus Superioris, seu Præpositi emittendam, ad huiusmodi communem viuendi modum admittere, necnon statuta quæcunque, ordinationes, & constitutiones de omnibus, & singulis, quæ ad huiusmodi vitæ propositum conducere, moresque & institutum, honeste & deuotè clericaliter viuendi concernere videbuntur, de Missis præcipuè, & alijs diuinis Officijs, seu Horis Canonicis, prout vobis melius videbitur, celebrandis, & recitandis, licita tamen, & honesta, rationabilia, & bonis moribus, & sacris Canonibus non contraria, facere, edere, & pro tempore facta edere, corrigere, reformare, & in parte, vel in totum immutare, ac de nouo alia prout vobis expedire videbitur, instituere, & ordinare, & iuxta illa viuere: Quæ postquam à vobis condita, & edita, & reformata, instituta, aut immutata, & ordinata, ac nobis, seu successoribus nostris exhibita fuerint, Apostolica auctoritate approbata, & confirmata sint, & esse censeantur: & vt omnibus & singulis priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, indulgentijs, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, fauoribus, concesionibus, & gratijs spiritualibus, & temporalibus, quibus potiuntur, & gaudent, aut in futurum potientur, & gaudebunt, Canonici Regulares Lateranenses, Congregationes, personæ, & loca eorum, vos, personæ, & loca vestra, vti, potiri, & gaudere possitis: Quorum tenorem, præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus: Ita vt literæ Apostolicæ super eisdem priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, & gratijs eisdem concessis, vel pro tempore concedendis, mutatis duntaxat nominibus, cognominibus, inuocationibus, & diebus, ad libitum expediri possint, perinde ac si illa omnia, & singula non solum per clausulas generales, sed per eorum tenorem, de verbo ad verbum expressionem, & insertionem, fuissent vobis per has nostras literas sub hac ipsa die expressa, & specialiter concessa, tenore præsentium, ex certa nostra scientia, & ex Apostolicæ plenitudine potestatis, vobis, ac socijs, & successoribus vestris, in perpetuum concedimus, pariter & indulgemus, & ad præmissa omnia, & singula, quibuscunque impedimentis, & contradicentibus amotis; liberam plenámque auctoritatem, & facultatem elargimur, non obstantibus nomine, dignitate, & Officio Episcopali, quæ Ioanni Petro supradicto per alias nostras literas reseruauimus, Apostolicisque, & generalibus, aut specialibus constitutionibus, ordinationibus, etiam iuramento, aut quauis alia firmitate roboratis, etiam si quæ specialiter, seu de verbo ad verbum exprimenda essent, quæ pro expressis habemus, & quibus quoad effectum præsentium duntaxat specialiter & expresse derogamus, alijsque contrarijs non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima quarta Iunii M. D. XXIV. Pontificatus nostri anno primo.

Iacobus Sadoletus.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ETsi ex debito Pastoralis Officij, singulos Religiosos, qui spretis huius mundi vanitatibus, iugum Religionis, vt Altissimo liberiùs inseruirent, sunt amplexi, paterna dilectione prosequimur; Tamen dilectorum filiorum Congregationis Clericorum Regularium præcipuus in Dei seruitio feruor, regularis disciplinæ obseruantia, & vberes in Ecclesia Dei fructus, quos assidua verbi Dei prædicatione, frequenti Sacramentorum administratione, probatæ vitæ exemplo, & bonæ famæ odore assiduè producunt, à nobis exigunt, vt laudabile eorum institutum, specialibus fauoribus, & gratijs, atque Apostolica protectione foueamus:

Sanè cùm Constitutiones & Statuta prædicta Congregationis Clericorum Regularium, à Dilecto filio nostro Pompeio Arrigonio Tit. Sanctæ Balbinæ, S.R.E.Cardinali, de Ordine nostro, diligenter visa, recognita, & examinata, typis cudere, & ad communem dictæ Congregationis vtilitatem & commoditatem in lucem emittere expediat; Nobis propterea ex parte dictorum Clericorum fuit humiliter supplicatum, vt Constitutiones & Statuta huiusmodi, Apostolicæ auctoritatis robore communire, aliisque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur Congregationem prædictam specialibus fauoribus & gratijs prosequi volentes, ac singulos dictæ Congregationis Clericos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à iure, vel ab homine, quauis

occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes: Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, huiusmodi laudabile prædictæ Congregationis institutum, & prædictas omnes, & singulas Constitutiones, Ordinationes, & Statuta, quæcunque à prædicto Pompeio Cardinale, vt præfertur, visa, & examinata, quarum & quorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis haberi volumus, auhoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus: illisque perpetuæ & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus: ac omnes, & singulos tam iuris quàm facti defectus, si qui in eisdem interuenerint, supplemus: illásque, & illa, perpetuò valida, firma, & efficacia fore, & esse: ac per Clericos prædictos, & alios ad quos spectat, & pro tempore spectabit, perpetuò inuiolabiliter obseruari debere, ac in lucem edi, & typis mandari posse decernimus, & declaramus. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, cæterísque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 28. Iulij 1604. Pontificatus Nostri anno xiij.

M. Vestrius Barbianus.

PRÆFATIO
AD RELIGIOSVM
ET BENEVOLVM
LECTOREM.

LIBRVM legum nostrarum, superioribus annis Romæ editum, ecce nunc, Religiose Lector, Notis auctum firmatúmque, denuo luci damus. Huius verò nostri consilij non vna ratio est: Et debeo hoc tibi vestibulo significare opellæ meæ caussas atque scopum.

Principio igitur nolim ignores, studuisse humani generis Hostem, Clericorum Regularium superiore sæculo renascentem Ordinem, non vno machinamento, antequam succresceret, præfocare. Nimirum præuidebat perfidus ille veterator, quàm magno malo suo nobilis illa nostrorum Patrum Quadriga, Sancto Spiritu aurigante, pleno iam gradu, nisi mox obsisteret, promoueret. Nihil igitur cunctandum ratus, excitauit effrænes quosdam Aulicos [a], (certè satellites suos,) qui plaudente & parasitante vulgi fæce, tantorum virorum nomen famámque concerpere, hypocritas, seditiosos, nouarum re-

[a] Vide Bonfadij epistolam ad Oliuum.

rum inuentores, per summam ignominiam appellitare, aliáque id genus multa procaciter effutire.

Neque verò mireris, mi Lector, adeò probos viros tam subitò in sceleratorum odium incurrisse: eiusmodi namque ij erant, *in quibus* (vt cum Saluiano vetusto & graui scriptore dicam) *omnia* [a] *sibi æmula atque inimica cernerent: Illi enim viuebant iugiter in nequitia, isti in innocentia; illi in libidine, isti in castitate; illi in lustris, isti in Monasterijs; illi prope iugiter cum diabolo, isti sine cessatione cum Christo.* Hoc igitur primùm turbine diabolus, satam recens arbusculam nixus est conuellere. Id tamen incommodum Sancti illi Dei cultores summa animi fortitudine, & præstanti in Deum fide sunt amoliti; haud ignari, virtutis theatrum ingresso nunquam suum deesse Antagonistam. Et hæc quidem ipsis fidentia bene cessit: nam malis fortiter toleratis firmiores euaserunt, & illi, Deo vindice, disiecti atque confracti, miserrimè periere; securi, laqueo, igne [b], morbóve prodigiosè absumpti; vt eos omittam qui impiarum opinionum insania abrepti, ad Geneuensem, aliásque eiusmodi Hæreticorum haras, vt tutiùs inde in Catholicos grunnirent, se receperunt.

a Li. 8. de prouid. Dei.

b Bonfadius, Otho, Dudithus, Francus, & alij.

At non ita multo pòst tempestas altera exorta est: Etenim in immani illa Vrbis direptione, quæ Clemente VII. Pont. Max. contigit, IV. Viri nostri Ordinis autores, ingruente Hæreticorum militum manu, in extremum vitæ famæque discrimen sunt adducti. Nam dum Vrbem sanctam scelesti prædones, veluti canes venatici, circumeunt vniuersam, fortè rescíscunt aliquot Sacerdotes verè Catholicos, hoc est, hæreticarum partium impensè osores, in parua casa ad montem Pincium delitescere: Quo illi audito, extemplo vestigant, odorantur, inueniunt, adoriuntur. Quid tunc facerent pectora pijssima? quodve consilium nisi constantiæ & pietatis in summo periculo capesserent? Ad sacram igitur ædiculam, quam inibi instruxerant, Deum precaturi confugiunt; vtique erant obeundæ pro Christo mortis sitientissimi, figunt humi genua, & martyrij iam candidati, lethum expectant læti; illud interim animo voluentes suo, felicissimos se futuros, si ante Christi sanctum Corpus & Sanguinem, sanguinem suum ipsi funderent, & cor-

pora (votas Deo victimas) neci offerrent. Verùm impij satellites probo afficere, quàm gladio in eos agere maluerunt. Itaque reuinctis manibus, longè abductos, & titulo nouitatis, dirisque conuitijs petulanter impetitos, ac variè insuper cruciatos in carcerem trudunt: è quo sanè non diu post incolumes, per Dei gratiam, exiere. Illud tamen hinc elici debet, quoscunque siue in Deum impios; siue in homines, improbos, nostri Ordinis persecutores; eos in vnam hanc Nouitatis labem ipsi affingendam conuenisse, ac veluti collata tessera coniurasse.

Hanc igitur maculam, ex se licet fugientem & euanidam, penitus diluere nunc est animus. Porrò, vt Basilio Magno morem geramus, consulenti (epist. 62. ad Clericos Neocæsar.) Ad criminationem nequaquam silere oportere, non vt nos contradicendo vindicemus, sed ne mendacium cursu prospero progredi, deceptósque in damno hærere permittamus. Ita sanè fiet ne vllus vnquam possit in nos aptare illud Baldaddi Suhitis[a], (*Hesterni sumus*:) Deinde vt nos ipsi, dum serimus de priscis moribus sermonem, hunc sanè magnum fructum demetamus, noscendæ videlicet nostri instituti antiquitatis: Cuius si à capite origo arcessenda sit, profectò præter religionem ritúmque veterum, pene nihil in ea sit reperire: atque adeò sacram hanc Clericorum Sodalitatem Apostolicæ sedis autoritate firmatam, deuoto nobis esse animo cultúque prosequendam. Etsi enim, vt Arnobius inquit, [b] *autoritas non est tempore æstimanda, sed numine, nec qua die, sed quid cœperis cogitandum*: tamen[c], *cùm vitio conditionis humanæ datum sit, vt præsentia despiciamus, & suspiciamus antiqua*, profectò memorias legere sanctæ vetustatis, religionis cunabula, & succrescentis ætatis profectum intueri, consensionem morum perspicere, germanam illam priscæ Ecclesiæ imaginem, in nostro ordine, veluti ex antiquo prototypo delineatam, recognoscere; id videlicet tum multum affert ponderis, tum verò plurimum interest publicæ disciplinæ. Quocirca minuta etiam vestigia veteris ritus curiosè indagauimus, & operosè prosecuti sumus, rati, *in minimis quoque rebus*, vt ille ait [d] *omnia antiquæ consuetudinis momenta obseruanda*.

Iam verò tibi, Regularis Clerice, danda opera est, vt hoc

a Iob. 8.

b Lib. 2. con Gent.

c Tacit. de Clar. Orat.

d Val. Max. lib 2.

qualecunque monumentum vetuſti moris ; quod tibi obijcēre paramus, identidem reſpectare memineris , neque ſinas in te veterum memoriam noſtrorum Patrum , quorum crebrò exempla adducemus, vnquam intermori. Illi quippe adeò regularis obſeruantiæ viam perpetuò inſtiterunt , vt de ijs verè dici poſſit id quod alicubi (libro de Abrahamo) de antiquis Patriarchis ſcripſit diſertiſſimus Philo : *Leges ſcriptæ nihil aliud ſunt quàm vitarum Patrum commentarij.* Sed ecce iam ad Notas tranſeo , ſpe bona fretus , vt labor hic maximè in rem noſtram communem, hoc eſt, in religioſi huius inſtituti, incrementum cedat.

ANTONII CARACCIOLI, CLERICI REG. AD PRIMAM PARTEM Constitutionum Notæ.

IN TITVLVM. Constitutiones.

1. A Titulo nobis incipiendum est. Et meritò *Constitutiones* dictæ sunt nostræ Leges, cùm & Apostoli suas præceptiones, per B. Clementem editas, titulo *Constitutionum*, nuncupauerint.

Hæc quoad nomen. De re ipsa autem, illud scito, Clerice Regularis, has nostras Constitutiones, siue Leges, magni profectò tibi æstimandas esse, & multis nominibus amandas, charásque habendas. Primò, quia ipsarum auctor, partim nobilis illa Quadriga nostrorum Patrum fuit, & in iis præcipuè magnus ille Carafa ἐτεράρχης: partim verò congregatio ipsa Patrum, in Comitiis generalibus legitimo coacta modo: & illos quidem, qui sacrum hoc sodalitium fundauerunt, iuuat credere (anne fallimur?) à quolibet nostrûm (modò mentem tenacem propositi habeat, & sub his signis ad mortem vsque animus sit militare) impensè suspici, & leges ab iisdem latas religiosè custodiri. Id quippe iure exposcit illorum Christiana prudentia, auctoritas, religio, & cælo terráque perspecta probitas. Quæ quidem res, quantùm valeant, etiam vecordes homines ad virtutes erigere, B Ambrosius aperit, qui disertè, vt solet, & grauiter; *Primus*, inquit, *discendi ardor, Nobilitas est Magistri.* Alios verò Patres, qui deinceps comitia celebrarunt, non nisi salutaria decreuisse, illud argumento est, fuisse postmodum ea ipsa summorum Pontificum non semel auctoritate firmata. Præterea si constitutiones ipsas, ritúsque

ἑτεράρχης.

lib. 1. Offic.

nostros, & Patrum scita consideres, omnia à vetusto Religiosorum more, vti de vnoquoque singillatim ostendemus, orta sunt, atque adeo vsu antiquorum trita, & experimento librata ad nos vsque peruenerunt: nimirum vt lingua quadam sua, nobis edicere videantur: *Hæc est via, ambulate in ea.* Itaque nihil est cur diffidas aut paueas, huic quasi nouitiæ te totum tradere disciplinæ. Nam, vt sapienter Ambrosius. *Antiquitas robur est nouitatis.* Quocirca magnus ille Gulielmus Sirletus Cardinalis, Orbi toti à doctrina omnigena, & morum sanctitate notissimus, cùm aliquando, vti solebat, de rebus nostris (quas ille diuturno contubernio intimè nouerat) cum S. Siluestri Præposito, alijsque Patribus, sermonem haberet, Religiosum hoc institutum, à sanctissimo Paulo IV conditum, regulasque nostras vir sapientissimus impensè laudauit, asseruitque posse nos sanctè gloriari, eiusmodi à maioribus nostris accepisse disciplinam, quæ in procuratione diuini cultus, contemptione diuitiarum, cæteroque viuendi modo, vestigijs Apostolorum insistens, prima illa Christianæ Ecclesiæ tempora nostra ætate repræsentaret. Denique comperta res est, illam esse certam & expeditam viam, quæ plurimos tutò ac rectà ducit ad metam. Iam verò conuerte oculos, Regularis Clerice, ad præterita tempora: videbis sanè, per totos hos centum annos, quibus Ordo iste noster per Dei gratiam viguit, illos omnes, qui constanter in cœpto itinere perstiterunt, ad metam, ad palmam, ad Christum Agonothetam peruenisse securos. In his non vnum, aut duos solummodo, sed certè plurimos in memoriam reuocare poteris; Virum tamen vnum ego libenter hoc loco proferam, tibi identidem cum admiratione virtutis, & veneratione suspiciendum, Iacobum Tornum intelligo, senem illum religiosissimum, quem quindecim ab hinc annis è nostra Neapolitana S. Pauli Domo, cœlorum aula recepit. Non est hîc sanè locus in eius virtutum laudibus longiùs excurrendi: sat erit dixisse, Quotquot illum probè nouerunt, non aliam magis ob rem, ad tam excelsum sanctitatis fastigium peruenisse arbitrari, quàm ob has ipsas sanctiones adeò accuratè assiduéque seruatas, vt nemo vnquam, ne tantillam quidem Religiosæ institutionis minutiam, ab Iacobo, aut præteritam, aut non diligentissimè obitam animaduerterit. Quin imò idem ipse Iacobus, instituti Religiosi obseruationem, quam exemplo præstiterat, visus est veluti testamento posteris reliquisse. Nam paulò antequam mortalitatem exueret, identidem rogatus à Ludouico Antinorio nostri Ordinis sacerdote, vt aliquid memoria nobis retinendum ediceret, quod Religiosæ vitæ perfectioni in omnem vitam admodum conducibile arbitraretur, hoc tandem intermortuis pœnè verbis pronunciauit: *Mementote, Patres, ea etiam, quæ minima videntur, magni semper nihilominus æstimare.* Hac ille sententia sanè memorabili, palam ostendit summo studio nostræ religionis leges, tametsi à recentioribus editas, esse custodiendas. Et meritò quidem: id namque Christus ipse ad B. Brigittam, diuinitus sæpe afflatam, secretò dixisse, his verbis legitur, postquam S. Francisci instituta laudasset: *Ita etiam omnes aliæ regulæ, quas amici mei inceperunt, & ipsi personaliter tenuerunt, & seruauerunt, aliosque ea efficaciter docuerunt, non fuerunt dictata & composita ab ipsorum*

Isa. 30. 21.

Comment. in 2. Tim. 3.

Lib. 7. Reuel. cap. 20.

intellectu, & sapientia humana, sed aspiratione eiusdem Spiritus Sancti. Eat nunc audaculus quispiam, improbúsque saperda, & à nostris Patribus, diuino spiritu aspirante, sancitas constitutiones, quas ipsi diligentissimè seruauerunt, & summi Pontifices identidem roborarunt, veluti nouitias parui faciat?

Clericorum Regularium.

II Sacrum id cognomentum & antiquitus vsurpatum. Certè Augustinus, ad Regulares Clericos, duos habuit tractatus. Instituerat enim magnus ille vir, Apostolica lege, sodalitium Clericorum, quos posterior ætas, [a] vel *Canonicos*, id est, Regulares, vel, sicut olim Eusebius Alexandrinus, [b] *Cœnonicos*, hoc est, communi cibo cultuque viuentes, appellauit. Et Basilius magnus, Augustino antiquior, meminit τῶν κληρικῶν κανονικῶν, hoc est, *clericorum Regularium*, nos locum & verba ipsa inferius expediemus. At si rem hanc penitiùs inspexerim, video idem fermè significare Clericum, ac Therapeutam; cuius vocis meminit Philo, & vim explicat Θεραπευταὶ enim interpretantur, *cultores, quia didicerunt*, inquit Philo, [c] *à natura & à sacris Legibus colere illud ens & bono melius, & vno sincerius*, & (ne sterilem agrum hunc crederes) *vnitate in generando antiquius, atque, vt ita dicam, principalius.* Clerici verò nomen id ipsum profectò denotat. Augustinum audi ad Clericos scribentem: [d] *Commune, inquit, erat nobis magnum & vberrimum prædium, ipse Deus.* Et alibi ad Clericos trahit [e] illud Matthæi: *Duo erant in agro*, &c. Et Augustinus quidem ad etymon allusit, nam κλῆρος, *prædium* significat. Hinc apud Pausaniam [f] legimus; κλήρους τῆς γῆς, *prædia terræ.* Eadem metaphora & Plato [g] accepit θεραπείαν, pro cultu Dei. Neque ij, qui vulgò *Clericum* interpretantur, *in sortem Domini vocatum*, aliud sibi velle debent, quàm ad Dei ipsius, vberrimi agri, sortisque magnæ culturam inuitatum. Notat verò Ioannes à Nigrauelle, [h] autor obscuri licet cognominis, non obscurus, Clericorum vocabulum ab Apostolis fuisse inditum Sacrorum Ministris; quod ex Actibus Apostolorum [i] fortassis potuit elicere. ὅτι κατηριθμημένος ἦν σὺν ἡμῖν καὶ ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης. Et ex Petri priore epistola [k] longè clariùs, vbi Cleri vocabulum profertur, non alia certè significatione, quàm vt sacrum cœtum à profano distinctum intelligeremus: quod Oecumenius in eum locum docet.

a Concil. Mogunt. cap. 9.

b Serm. de die Domin. apud Turrianum.

c De Supplicum victur.

d Tract. 1.

e In Ps. 99.

f In Sauromatis.

g In Euthyphrone.

h Lib. 13. Chro. c. 18.

i Cap. 1.

k Cap. 5.

PRÆFATIO AD CONSTITVTIONES.

QVAM nos religiosè viuendi rationem, ex Apostolorum Actis excerptam, Clementis VII. aliorumque Summorum Pontificum authoritate firmatam, Patrum nostrorum vsu & consuetudine tot annos receptam, in Generalibus Capitulis sæpius roboratam, Congregatione, Deo fauente, in dies aucta, Constitutionum more calamo scriptam hactenus seruauimus, eam nunc accuratè recognitam typis mandare visum est: vt quæ vitanda, aut sequenda sunt, præ oculis quisque habeat. In his scribendis edendisve ea mens nostra est, tum, vt quæ naturali, Euangelica, & sacrorum Canonum lege sanciuntur, probè seruemus, tum verò vt trium sacrorum Votorum nexu, hisque religiosis Constitutionibus communiti, aditum nobis ad perfectæ charitatis adeptionem, Deo iuuante, faciamus. Ceterùm, vt animarum consulamus tranquillitati, declaramus, nullas Constitutiones, aut Regulas nostras, obligare nos ad culpam, sed ad pænam tantùm, nisi propter præceptum, aut contemptum: Præceptum autem apud nos nullum aliud haberi, quàm quod naturali, aut diuina, aut Ecclesiastica lege, aut trium Votorum ratione continetur. Quamuis autem ad culpam obligandi, etiam peccati mortalis, Superioribus nostræ Congregationis non desit autoritas, maximè in rebus grauibus, etsi præceptum his verbis exprimant, Præcipimus in virtute sanctæ Obedientiæ, *aut horum similibus; caueant tamen, ne quid vmquam præcipiant temerè; & à multitudine præceptorum abstineant, ne laqueum subditorum animis iniiciant. Excommunicandi etiam quamuis habeant facultatem, sobriè tamen, & cum consilio vtantur hoc gladio. Nemo autem, excepto generali Capitulo, (penes quod per Summorum Pontificum Priuilegia, est autoritas, nouas condendi leges, & veteres abrogandi,) audeat his nostris Constitutionibus aliquid immutare, addere, vel minuere. Hæ in tres præcipuas partes sunt distributæ: In quorum Prima agitur de iis quæ ad diuinum cultum pertinent: In Secunda, de obseruantiis quibusdam nostræ Congregationis: In Tertia, de vniuersi Ordinis administratione.*

In Præfationem, Notæ.

I. QVam nos religiosè viuendi rationē, ex Apostolorum Actis excerptam. E primęque Ecclesiæ, hoc est, illorum credentium, quibus cor vnum fuisse legitur, [a] vetere disciplina manasse, Cœnobitarum, nempe Religiosorum in commune viuentium, institutum, fusè tradit Cassianus, non vno in loco. [b] At Clericorum Regularium Ordinem, vitæ formam in Actis Apostolorum præscriptam, accepisse, & Apostolos ipsos voto ac professione Clericos extitisse Regulares, locus iste poscit vt diligenter ostendamus. Primò, Regulam communiter viuendi, ex Actis Apostolicis ad nos deriuasse, facilè patebit intuenti nostrum viuendi modum. Vna omnium domus, &, (vt Augustinus loquitur,) [c] *sicut pascimur ex vno Cellario, sic induimur ex vno Vestiario.* Nihil cuiquam est proprium, nihil à quoquam alienum; etenim omnia sunt communia: communis labor, communis quies, & siquid alicui singulariter mittitur, in commune confertur. Sed illud enixiùs procurandum est, vt instar primitiuorum fidelium, sit nobis *cor vnum, & anima vna. Propter hoc enim*; vt ibidem Augustinus inquit, *in vnum sumus congregati, vt vnanimes habitemus in domo.* Cæterùm Apostolos vt Clericos eos fuisse nemo, nisi impius, dubitauerit; ita regulam trium votorum, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, quæ Religionem formant, sectatos fuisse, sunt multa quæ probent. Primùm illa profectò vrget ratio. Nihil est dubitandum, quin Apostoli, eis, quas modò dixi, virtutes perfectissimo gradu possederint: perfectissimè autem, Pauperes, Castos, & Obedientes eo modo fuisse dicendum est, vt nedum simplici quodam voluntatis proposito, sed voto etiam, & eo quidem perpetuo, eas sibi virtutes excolendas proposuerint. Liquidò enim ostendit D. Thomas [d] perfectiorem existere voluntatem, quæ per votum in bono firmetur, ea quæ pro libito demutari queat. Apostolos itaque ad religiosam vitam, quæ Christi ipsius consilio & autoritate promulgata legitur, perpetuo se voto deuinxisse non est cur ambigamus. Accedit, non videri verisimile, id quod Apostolorum primi sectatores fecerint, Apostolos non fecisse: atqui religiosa vota plerosque primitiuos Ecclesiæ alumnos nuncupasse Deo, tradunt passim Historici, atque Theologi. Sed quid immoror in re hac probanda, quam sancti & vetusti Patres suis calculis firmauere? Hieronymus: [e] *Nonne discipuli Christi, nonne Apostoli, qui non priùs in sacri disciplinatus collegio numerantur, quàm illud consilium altissimo voto, & cordis desiderio professi sunt?* Augustinus: [f] *Ergo ipsi* (Apostoli) *primi audiuerunt: non autem ad illos tantùm ista dilectio, & vnitas fratrum venit; venit enim & ad posteros ista charitatis exultatio, & votum Deo.* Chrysostomus, [g] *Apostoli huius philosophiæ documenta dederunt.* Idem alibi, vocat Monachos Apostolorum discipulos, iisdemque, atque Apostoli, legibus educatos, & religiosam philosophiam à Christo traditā docet. Basilius etiam idipsum

[a] Act cap 4.

[b] Lib. 2. Instit. cap 5. Coll. 18. c. 5.

[c] In Reg ad Clericos.

[d] 22 q 88 art. 6.

[e] Epist. 70. cont. Vigil.

[f] Cont Vitup. vi. Mon. lib. 3.

[g] Hom. 17. ad Pop.

docuerat (Constit. Monast. cap. 19.) sic dicens: *Hi* (nempe Religiosi) *Redemptoris nostri, eiusque vitæ dum inter nos versaretur, institutorum veri perfectique imitatores existunt. Quemadmodum enim ille coacto discipulorum choro, communia cuncta, seque ipsum communem Apostolis præbuit: ita ij quoque Antistiti suo obtemperantes, genus viuendi Apostolorum ac Domini imitantur.* Hæc Diuus Basilius. Quocirca S. Bernardus (Apolog. ad Guliel. Abb.) meritò asserit, *ab Ordine Religioso incœpisse Ecclesiam*: quod est dicere, Apostolos, & discipulos Christi primitiuos, qui Ecclesiam fundauerunt, fuisse Religiosos, hoc est, Vota religiosa sub capite Christo professos, vt pluribus doctè & solidè ostendit eruditissimus ille Theologus, Basilius Poncius Legionensis, (Controu. 3. Scholastic.) Sancti verò Bernardi verba hæc sunt: *Heu me miserum qualemcunque Monachum, cur adhuc viuo videre ad id deuenisse Ordinem nostrum, Ordinem scilicet qui primus fuit in Ecclesia, imò à quo cœpit Ecclesia?* Quæ certè verba non tam de Ordine Benedictino signatè ille dixisse intelligendus est; (is enim ordo quarto post Christum natum sæculo prodijt;) quàm de ipsorum Apostolorum religioso Instituto: quod Benedictus Amplissimi Ordinis eximius conditor, imitatus est. Prætereà non satis fuit ijs sanctis Patribus, scripsisse, Apostolos & vota vitamque religiosam fuisse professos; quin etiam singillatim ostenderunt Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ vota nuncupasse. De Paupertatis Apostolico voto hæc Augustinus. *De terra*, inquit, [a] *suscitatus est ille supra omnes diuites pauper: & de illo stercore erectus supra omnes populos opulentos ille inops, vt sedeat cum potentibus populi: quibus ait, Sedebitis super sedes duodecim: & sedem gloriæ hæreditatis dans eis. Dixerunt enim potentes isti; Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te: hoc votum potentissimi vouerant. Sed vnde hoc eis nisi ab illo de quo hic continuò dictum est; Dans votum voventi?* Chrysostomus autem idem breuiùs asserit; [b] *Ex quibus*, inquiens, *fontibus* (Apostolis scilicet) *religiosa paupertas fluxit vniuersa.* De Castitatis autem voto ita Epiphanius; [c] *Quinam hi fuerunt, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, nisi generosi Apostoli, ac monasticam vitam degentes, & deinceps virgines?* Obedientia autem Apostolorum patet ex illis Petri verbis, nomine omnium aliorum Apostolorum prolatis; [d] *Secuti sumus te:* hoc est, nos ipsos totos tuis, ô Magister, mandatis mancipauimus: quæ vera est obedientia. Vnde meritò S. Bernardus initio expositionis horum verborum, ait, *hoc loco obedientiam colloqui cum salute, nempe Simonem cum Iesu.* Scholastici verò Theologi optimè succinunt sanctis Patribus, & B. quidem Thomas Theologicæ scholæ facilè Princeps, disertè concludit, [e] *Apostolos vouisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum, relictis omnibus, sunt secuti.* Itaque iuxta B. Thomæ sententiam, iis paucissimis B. Petrus verbis tria illa nota Religionis vota comprehendit; quod & S. Bernardus Abbas ante S. Thomam sensisse visus est, cùm scripsit: [f] *Non terret te studio, quam sociat similitudo, amor conciliat, professio maritat: Professionis forma hæc est: Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Hanc secuti Apostoli aiebant: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Hæc S. Bernardus. Ergo formula Apostolicæ professionis, cùm sua, seque Christo de-

[a] De Ciu. Dei, lib 17. cap. 4.

[b] Homil. 31.

[c] Hom. 58.

[d] Matth. 19

[e] 2. 2. q. 88. art 4. ad 3.

[f] Serm. 85. in Cant.

diderunt, fuerunt ea B. Petri verba. Neque verò S. Thomas, cæterique scholastici Doctores, qui ei in hac præcipuè verborum Petri expositione adstipulantur, limites veri ac germani sensus excedunt. Quis enim paulò oculatior non videat, tria illa vota iis verbis comprehendi? Omitto huc citare recentiores reliquos: Vnius Francisci Feuardentij testimonium sat mihi erit: *Huius*, inquit, [a] *religiosæ vitæ perfectionem amplexos se Apostoli manifestè declarant, cùm voce Petri protestantur: Eccè nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Nam qui vxores habuerant, veluti Petrus, eas, vt cælibes viuerent, reliquerunt; nec non domos, scaphas, retia, vt paupertatis disciplinam capesserent. Demum sibi ipsis renuntiauerunt, vt se totos Christi mandatis manciparent; quæ vera est obedientia.* Stet igitur, Apostolos, Paupertatem, Castitatem, Obedientiam coluisse, voto firmasse, Religiosorum ordinum fundamenta iecisse; potissimùm verò, Clericorum Regularium institutum, Clericos ipsos in sacrorum ministerium felicibus auspicijs consecrasse.

[a] In Theomac Caluin. to. 1. c. 4.

Quòd si nedum huiusce fontis primitiuam scaturiginem, quam modò deteximus, sed decursum etiam per successionem temporum nosse cupias, eum tibi, mi Lector, hoc loco historica methodo breuiter indicabo, si illud priùs aperuero, Ordinem Canonicorum Regularium, tametsi vetustum & amplum, non tamen eos omnes Clericos olim comprehendisse, qui in communem vitam regulariter conuenerunt. Sed sicut hac ætate, qua omnes ferè religiosi Ordines, ad Episcoporum subsidium, & ad animarum procurandam salutem adsciti, è Clericis quidem constant, inter se tamen habitu, nomine, regulisque distinguuntur; ita dicendum est de priscis Ecclesiæ temporibus, quibus tametsi Monachi, propriè sumpti, vtpote tunc merè Laici, à Clericis & Canonicis diuersi essent; nihilominus Clerici ipsi in commune viuentes non vnius ordinis erant, neque sub vna eademque regula militabant. Mitto Clericos, quos merita nuncupatione vocamus *sæculares*, qui cùm seorsim ex suis quisque bonis viuant, à Regularibus Clericis distinguuntur. De Clericis in commune degentibus loquor, atque hos non vnius extitisse generis, aut ordinis asseuero. Nam vt scriptor quidam ex ordine Canonicorum Regularium adnotauit, [b] *alij vitam quandam communem in refectorio, dormitorio, communique domo propè sacras ædes degebant, propria tamen bona priuatim possidentes: quorum Canonicorum institutum describit Præpositus, atque Abbas: qui huiusmodi Clericos Collegiatos vocant, & à Regularibus differre significant.* Hi igitur Clerici, eò quod religiosa vota non profiterentur, sæculares & ipsi dici debent, potiùs quàm Regulares. Ij autem Religiosi Clerici, qui non solùm victum, domúmque communem haberent, sed etiam tribus Religionis votis nuncupatis, nihil sibi propriæ aut facultatis, aut voluntatis reseruarent, adhuc inter se multis distinguebantur modis; nempe regulis, habitu, vocabulo. Regulis quidem, quod aliæ essent S. Augustini regulæ, aliæ Eusebij Vercellensis, aliæ Prosperi, aliæ ceterorum Clericalis instituti Ducum, quos inferius nominabimus. Habitu, quia vt idem docet Autor, [c] *Canonicorum Regularium proprius habi-*

[b] Io. Trullus lib. 1. c. 31.

[c] Lib. 1. c. 1.

bitus est sub nigro pallio albam induere lineam, quæ tamen neque à Prospero: neque ab Eusebio, neque fortassis ab ipso S. Augustino assiduè delata legitur. Nam quod sermone quodam ad fratres in Eremo,[a] lineæ tunicæ Augustinus meminerit, etiamsi ij sermones verè sint Augustini, vt certè non sunt, non subitò tamen cogimur fateri, S. Augustinum, eiusque Clericos lineam gestasse extimam, vt his temporibus Canonici Regulares deferunt, eò quòd de linea tunica vnum aut alterum verbum semel protulerit: præsertim cùm Augustini dictum de linea, videatur à Concilio Aquisgranensi[b] exponi de subucula, atque intima linea, quæ ex Concilio Canonicis conceditur, Monachis inhibetur. Potiùs possent, vt Matth. Galenus insinuat, albas vestes à Therapeutis, hoc est, antiquissimis illis Clericis, deriuare, qui à Philone albis induti describuntur. Denique vocabulo & nuncupatione distinguebantur. Inter primos enim qui vocabuli Canonicorum Regularium meminerint apud Latinos, extitit canon[c] Concilii Moguntini, circa tempora Caroli Magni, celebrati: Vocabuli, inquam: nam si de re & instituto ipso loquamur, nulli dubium est, Ordinem Canonicorum regularium, ab Apostolis ipsis, veluti à fonte riuum, originem suam ducere. Itaque de vocabulo ipso Canonicorum nunc nobis est sermo; atque hoc modo eorum præclarissimi Ordinis antiquitati, nihil per hæc derogabitur. Clericorum autem certis sacrisque regulis viuentium, & ob id Regularium nuncupatorum, mentio apud scriptores extat longè antiquissimos. Eorum enim & Augustinus scriptis ad eos epistolis, & præter Augustinum Concilia, Patres, & Ecclesiasticæ historiæ meminerunt, quorum loca, quia paulo post recensebo, hîc adscribere supersedeo. Quod si quispiam hîc dicat, eos ipsos quos nunc Canonicos vocant, principio vocatos fuisse Clericos Regulares, nihil obsto: immo gaudeo, id nobis nunc esse nomen quod vetustissimo & nobilissimo Ordini olim fuit, eósque vetustos nobis postremis præluxisse.

Igitur post Apostolos, quos nostri instituti Principes, primosque, secundùm Christum, autores extitisse monstrauimus, Clericorum Regularium Ordo à Petro ad Vrbanum vsque I. inuiolatus, & propositi sui tenax perstitit. Patet id eiusdem Vrbani testimonio, in epistola ad omnes fideles; *Scimus*, inquit, *vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter bonos Christianos viguit, & adhuc gratia Dei viget, maximè inter eos qui in sortem Domini sunt electi.* Hæc ille. Interea verò multa claruerunt per Apostolicos viros eo primo Christi sæculo fundata Clericorum Regularium collegia, quorum illud imprimis quod Alexandriæ, Marco institutore, floruit, reticere non debeo; Therapeutas intelligo, de quorum sancta, & pœnè cœlesti conuersatione, officiis, gradibus, sacrisque ministeriis proprio volumine tractauit[d] Philo,[e] & post eum Eusebius,[f] Hieronymus,[g] Cassianus,[h] Epiphanius,[i] Nilus,[k] Io. Diaconus,[l] Nicephorus, &[m] recentiores alij, quorum verba hoc loco ponere non est necesse. Sat fuerit scire, per hos Clericos fundatam fuisse Alexandrinam illam celebrem scholam, cui posteriore tempore præfuerunt eruditissimi viri, Pantenus, Clemens, Origenes, Pierius, aliique insequentes. Igitur post Therapeutas

a Ser. 13.
b Cap. 115.
c Cap. 9.
d De vit. Contempl.
e Lib. 2. c. 17.
f Catal. script. Eccl.
g Coll. 8. c. 5.
h Hær. 29
i In Ascet. fol. 1.
k l. 2. vit. S. Greg.
l lib. 2. ca. 16.
m Copus Dial. 1. c. 3. Galen. de Orig. Mon. Rob. Arbor. de Cœlib.

peutas, eodem primo sæculo recensendi mihi sunt Ignatius, Barnabas, Polycarpus, horumque socii, atque sectatores, qui regularem sanè vitam obseruasse videntur. Nam præter illa verba generalia Vrbani Papæ à nobis paulò ante recitata, eiusdem Ignatii epistolæ non obscurè id significant: inquit enim, Polycarpum alloquens, veluti Cleri Smyrnensis Principem: a *Collaborate vobis mutuò, vnà certate, concurrite, compatimini: vnà ad quietem vos componite, vnà exsurgite, vt Dei dispensatores, assessores, & ministri. Placete illi, cui militatis, à quo stipendia referetis: Nemo vestrûm desertor inueniatur.* Hæc certè verba, *vnà ad quietem vos componite, vnà exsurgite, mutuò collaborate*, regularis vitæ disciplinam indicant. Rursus cùm monet eos, ne sint desertores, tametsi videri possit dictum, ne Christi fidem abnegent, nihilominùs rectè exponi potest, nè religiosæ vitæ, & votæ Deo fidei Sacramentum abiiciant: nam eodem ferè modo loquitur Paulus, de Religiosis viduis adolescentioribus Timotheo scribens; b *Adolescentiores autem viduas deuita: cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quod de Smyrnensi dico, idipsum autumo de Clero, & Presbyterio Antiocheno sub Ignatio Episcopo: quam rem eiusdem Ignatii verba significant: c *Saluto sanctum Presbyterorum collegium, saluto sacros diaconos:* Et ad Heronem, suum in ea sede successorem; *Saluto*, inquit, d *diuinis ornatum moribus Presbyterium, saluto sanctos Condiaconos, quibuscum ego sum & corpore, & spiritu.* Inculcat item sæpissimè Ignatius obedientiam, & subiectionem, quam inferiorum ordinum Clerici debent Episcopis, adducitque exemplum Apostolicorum Diaconorum. e *Quid verò*, ait, *Diaconi? imitatores Angelicarum virtutum, qui purum, & inculpatum ministerium Episcopis exhibent, vt S. Stephanus B. Iacobo; Timotheus & Linus Paulo; Anacletus & Clemens Petro.* Vt scilicet ex iis verbis intelligat lector Obedientiam, quam hodieque sacrorum Ordinum susceptores, ad præscriptam in libris Pontificalibus formam, spondent suo quisque Episcopo, vestigium esse regularis illius obedientiæ, quam vnà cum ceteris votis, Castitatis scilicet, Paupertatis, primis Ecclesiæ sæculis Clerici nuncupabant. Præerant enim Episcopi suis Clericis, vt religiosis contubernalibus. Cuius antiquæ consuetudinis extitit diu post, insigne exemplum S. Cuthberti Lindisfarnensis Episcopi, eiusdémque sui Cleri regularis Præpositi; apud Bedam; & S. Augustini Cantuariensis Episcopi, suum itidem Anglicum Clerum iure Præpositi regentis; apud S. Gregorium Magnum; de quibus mox dicemus. Neque huic nostræ assertioni de illius primi Ecclesiæ sæculi regularibus Clericis obest, quòd Dionysius f Christianam aciem suæ ætatis, in Pontifices, Sacerdotes, Ministros, Therapeutas, & plebem sanctam partiens, videatur secernere Therapeutas, hoc est, Ascetas, siue Religiosos, à Clericis. Nam, sicut non negamus extitisse eo sæculo quamplurimos simplices Therapeutas, hoc est, Religiosos viros nullo insignitos ordine Ecclesiastico, qui proculdubio à Clericis erant distincti; atque de his locutum Dionysium non imus inficias: ita, extitisse etiam eodem sæculo, Cleros planè religiosos,

a Epist. 8.

b 1. Tit. c. 5.

c Epist. 9.

d Epist. 10.

e Epist. 2.

f Eccl. Hier. cap. 6.

qui ſimul Therapeutæ eſſent, & Clerici; id tam certum eſſe arbitramur, quàm certum eſt, Apoſtolos (quod ſuperiùs probatum eſt) & Barnabam, quem ſuorum bonorum ſolemnis illa apud Lucam [a] abrenuntiatio, paupertatis votum euincit nuncupaſſe, alioſque innumeros eius æui Clericos, verè fuiſſe Religioſos. Denique quidquid ſit de Dionyſianis Therapeutis, certè Alexandrinos illos, à Marco Epiſcopo inſtitutos, Clericos extitiſſe, & Philo [b] ſignificat, & Euſebius atque Nicephorus, Philonis interpretes, euidenter affirmant. *Præterea ſcribit Philo*, inquit Euſebius, [c] *quo pacto præſideant inter eos ij quibus Eccleſiaſtica commiſſa ſunt miniſteria: Diaconatus etiam, & quæ ſupra cunctos eminent, Epiſcopatus præſidentia.* His ſimilia habet Nicephorus. Sed & Clemens, Petri diſcipulus ac ſucceſſor, Regulares Clericos, ſuo, hoc eſt, primo Euangelij ſæculo, extitiſſe, confirmat [d] his verbis, à Gratiano relatis: *Communis vita, fratres, omnibus neceſſaria eſt, & maximè his qui Deo irreprehenſibiliter militare cupiunt*, (hoc eſt, Clericis,) *& vitam Apoſtolorum, eorumque diſcipulorum imitari volunt.* Et inferiùs; *Veſtram prudentiam hortamur, vt ab Apoſtolicis regulis non recedatis, ſed communem vitam ducentes, & ſcripturas ſacras rectè intelligentes, quæ Domino vouiſtis, adimplere ſatagatis.* Itaque ab Apoſtolicis regulis, quas Clemente teſte primi illi ex voto ſeruabant Clerici, dicti ſunt Regulares, quotquot deinceps veſtigia illorum, nuncupatis Deo votis, inſtiterunt. Seriem igitur cœptam proſequamur.

B. Creſcens, Pauli diſcipulus, Gallorum Apoſtolus, vitæ regularis formam in Gallicanum Clerum primus inuexit: videlicet, vt ex ſacro Altari miniſtri altaris viuerent, neque aliud quiſpiam eorum haberet, diceretve ſuum: Huius religioſi, ac verè Apoſtolici inſtituti, vitio ſuccedentium temporum miſerè violati, meminit Synodus Moguntina [e] ante 800. annos habita. Vide Turianum contra Nouatores ſcribentem, & hanc rem memorantem. [f]

Itidem feciſſe cæteros Apoſtolorum diſcipulos, ab ijs in diuerſas orbis oras fundandis Eccleſijs amandatos, pro comperto habeo, tum quòd eo tempore, vt acutè notat Sotus, [g] vna omnibus fuerit diſciplina, vt quod de Ignatio, Barnaba, Polycarpo, Creſcente probatum eſt, idem dici iure debeat & de cæteris: tum etiam quòd Clementis & Vrbani Pontificum teſtimonijs nuper allatis id religioſi moris, bona omnia relinquendi, & paupertate vota, de communi Eccleſiæ ſubſtantia vitam Epiſcopo ſubiectam tranſigendi, ijs eſſet ſæculis in vſu omnibus Clericis.

Pergo igitur vlteriùs, & reperio S. Cyprianum Carthaginienſem Epiſcopum idem inſtitutum fuiſſe ſectatum. Nam vt Pontius [h] ſcribit, is primùm Neophytus, per omnia Eccleſiaſtica munia magno ſuo merito ad ſacerdotium peruenit. Sed priuſquam eos gradus aſcenderet, cùm diuinas litteras peruolutando, didiciſſet paupertatis, & caſtitatis præconia, ſtatim vir beatus in earum virtutum amorem exarſit. Ita factum, vt & continentiam tueretur, & diſtracto patrimonio, facultates omnes in pauperes erogaret: idque teſte Pontio adhuc Catechumenus: ſcilicet vt antè pœnè cœperit perfectus eſſe, quàm didicerit: Hinc Cypriano floridæ illæ lau-

a Act. c. 4.
b De vita contempl.
c Lib. 2. c. 17.
d Epiſt. 4. apud Grat. 12. q. 1.
e Can. 9.
f De iur. Ordi. lib. 2.
g Lib. 10. de Iuſt. q. 4. art. 3.
h In vit. Cypr. Vid. Pamel.

des virginitatis, pudicitiæ, ac voluntariæ paupertatis. Hinc illi toties de ijs virtutibus sermo recurrit. Hinc cùm ob longam Ecclesiæ pacem Apostolicæ disciplinæ neglectus, Clericos potissimùm infregisset, à Cypriano [a] his verbis correpti sunt: *Studebant augendo patrimonio singuli, & obliti quid credentes, aut sub Apostolis antè fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus inhiabant. Non in sacerdotibus Religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina.* Hæc ille. Atque adeò ætate Cypriani, feruore Clericorum paulatim remittente, eò peruentum est (quod notant [b] Pamelius, & [c] Sotus) vt non sicut antè, omnis Clerus communem & religiosam ageret vitam, sed in duas classes dispertitus; alijs in communi viuentibus, alijs priuato victu cultuque degentibus; è quibus illi, communi mensa ab Episcopo sustentabantur, his verò singulis pro cuiusque merito, certa nummorum quantitas, alijs maior, alijs minor, distribuebatur, vel ciborum demensum quotidie per sportulantes Patres (vt Cyprianus loquitur) mittebatur. Huiusce duplicis Clericorum Ordinis, qui sequenti etiam æuo in Ecclesia perdurauit, testis est in Africa S. Augustinus, sermonibus duobus de communi vita Clericorum: [d] in Gallijs S. Prosper Aquitanicus: & in Italia S. Hieronymus, de posteriori Clericorum genere loquens, dum Clericorum luxum suis epistolis exagitat. Sed de his postea. Interim post S. Cyprianum occurrit S. Lucianus Martyr, Antiochenus, quem D. Basilius vocat, *Ascetam & Presbyterum*, hoc est, religiosum Sacerdotem, atque adeò regularem Clericum: illa scilicet inter Clericos Monachósque distinctione, quam antiquitus vsurpatam docebimus.

a Li. de lapsis.
b In epist. Cypr. 36.
c Lib. 10. de iust. q. 4. art. 3
d De vita contem pl. lib. 2. ca. 9.

Syluester Papa sanctissimus, quem describit Damasus, Clericis copiosis egentes coniunxit vtique in conuictu, & contubernio regulari, iuxta primæuam Ecclesiæ formam: qua diuisis facultatibus, prout cuique opus esset, nemo egens erat inter Christi discipulos, ministrósque.

Non multò post vixit S. Eusebius Episcopus Vercellensis, & Martyr inclytus; ad cuius pro Fide Catholica exulis, gloriosum reditum, lugubres vestes, teste B. Hieronymo, [e] Italia fermè tota deposuit. Is in Ecclesia sua Vercellensi Clericorum Regularium Monasterium tanta religionis obseruatione constituit, vt proinde à B. Ambrosio his verbis meruerit commendari: [f] *Primus in Occidentis partibus diuersa inter se Eusebius, sanctæ memoriæ, coniunxit, vt & in Ciuitate positus instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate.* Et post aliquot verba, *Hæc igitur patientia, in S. Eusebio coaluit vsu Monasterij, & durioris obseruationis consuetudine hausit laborum tolerantiam. Nam hæc duo in attentiore Christianorum deuotione præstantiora esse quis ambigat, Clericorum officia & Monachorum instituta?* Clariùs autem S. Maximus Taurinensis [g] eius institutum exponit, laudátque hoc modo: *Nam vt cætera taceam, illud quàm admirabile est, quòd in hac sancta Ecclesia* (Vercellensi) *eosdem Monachos instituit, quos Clericos; atque ijsdem penetralibus sacerdotalia officia contineri, quibus & singularis castimonia conseruatur; vt esset in ipsis viris contemptus rerum, & accuratio Leuitarum: vt si videris Monasterij lectulos, instar Orientis propositi,*

e Adu. Luciferia.
f Lib. 10. epist. 82.
g Ser. de S. Euseb.

indices; si deuotionem Cleri perspexeris, Angelici ordinis obseruatione gaudeas.

Eadem fermè ætate S. Basilius in epistola ad Amphilochium memorat τοὺς κανονικοὺς, quos fuisse Clericos declarat Balsamo Scholiastes. Id verò nomen ad nos potiùs pertinere, quàm ad Canonicos Regulares, clarum est, si verba Balsamonis κληρικῶν κανονικῶν Latinè vertantur: sonabunt enim, non, *Clericorum Canonicorum*, sed *Clericorum Regularium*. Idem notatum velim in aliis Basilii locis, vbi eorundem meminit. Erant igitur in Cappadocia, Basilii æuo, Clerici Regulares, quos idem Sanctus non semel instruit monasticis regulis: atque ob id Græcis κανονικοὶ, hoc est, Regulares nuncupati sunt.

Ex Oriente ad Gallias conuertamur: quam Prouinciam Clericali monachatu B. Martinum Turonensem Episcopum exornasse, præter testimonium Matthæi Galeni [a] eruditissimi viri, & Cardinalis Baronii [b] Scriptoris Amplissimi, sunt argumenta, quæ probent; Primùm, multorum nomina Monachorum de Martini schola, quos Clericos fuisse testatur Sulpitius, dum memorat, Clarum, & Eusebium Presbyteros, Aurelium Diaconum; rursus Refrigerium Presbyterum; alium item sacerdotem Martini sodalem, & apud Cæsarem Maximum, conuiuam. Et nisi me coniectura fallit, Clerici fuerunt illi, quos funus B. Martini prosecutos Sulpitius refert; *Agebat*, inquit, [c] *nimirum ante se pastor extinctus greges suos, sancta illius multitudinis pallidas turbas, agmina palliata: & aut emeritorum laborum senes* (Presbyteros intelligit) *aut iuratos Christi sacramenta tyrones*, hoc est, iuniores Clericos, Votis tamen adstrictos. Denique pergit Seuerus, Monasterii à Martino fundati Clericos, presbyterósque seriatim prodeuntes, describere. Constabat enim è Clericis, vt vidimus, & Presbyteris, cùm alioquin inusitatum fuerit in cœnobijs simplicium Monachorum aliquem habitare sacerdotem præter vnicum, qui Monachis sacramenta ministraret. Vnde in Monasterio Scythico apud Cassianum [d] vnus Paphnutius Presbyter legitur, cui in officio Abbatis, simul & Presbyteri, vnus Daniel successurus ordinatur. Et apud eundem [e] scriptum reperio, quatuor Presbyteros, quatuor Ecclesiis Monachorum, singulos singulis præsedisse; ceteris omnibus vtique, neque Sacerdotio, neque Minorum Ordinum gradu pollentibus, vtpote qui merè Laici essent. Imò adeò verum est Monachos illius æui fuisse clericatu immunes, vt Monasteria plerumque neque vnum Presbyterum intra septa Claustri secum cohabitantem habuerint, sed Dominico die è ciuitate proxima aliquem liturgum accersere soliti fuerint: quod à B. Epiphanio scriptum, [f] tradidit glossa Decreti, [g] Sanctus etenim Epiphanius excusat se apud Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, quòd in Monasterio eius Diœcesis, ipso inconsulto, Presbyterum ordinasset, asserens illud ipsum Monasterium diu antea caruisse sacerdote: & adeò refugere solitos Ascetas eius loci sacerdotii gradum, vt opus fuerit per vim ordinare vnum ex eis qui tali ministerio aptus iudicatus fuerat à ceteris fratribus. Itaque nulli dubium esse debet, ea ætate diuersa extitisse Monachorum & Clericorum officia, quod etiam

a Lib. de Orig Mon. p.186.
b Ad annum 328.
c Epist. ad Bassul.
d Coll. 3. cap 1.
e Coll 10. cap. 1.
f Tom 1 oper. Hier. epist 60.
g In c Hinc est 16. q 1.

Hieronymus ad Pammachium, & ad Heliodorum, & ad Riparium scribens apertè testatur. Hæc omnia, quæ huc congessimus testimonia, eò tendunt, vt exploratum compertumque sit Lectoribus, ea monasteria, quæ complures sacerdotes, altarisque ministros haberent, fuisse Clericorum Regularium collegia, eosque vocatos alicubi Monachos, non quòd à Clericis, vti hodie fit, distinguerentur; sed quòd (vti ex Augustino discimus) communem vitam ducerent, & in vnum concordi voluntate conuenirent. Olim quippe longè aliter atque hodie Regulares Clerici à Monachis distinguebantur. Nam apud priscos ex viris religiosis ij omnes Clerici dicti reperiuntur, qui ad religiosa vota sacros Ordines adiungebant, ac proinde Ἱερομόναχοι, Græcè sunt appellati, hoc est, *in sacram militiam adlecti Monachi*: Nunc verò id non est satis, sed opus est præterea, vt non cucullati, sed Clericali habitu induti procedant. Itaque olim non habitu, sed ordine atque Officio dispescebantur; nunc verò contra, non Ordine, aut Officio, sed habitu, atque vocabulo distinguuntur. Passim enim tum Clerici, tum Monachi propemodum omnes, docent, prædicant, & sacerdotio insigniti, Sacramenta Eucharistiæ & Pœnitentiæ administrant. At verò Monachi Officium antiquitus erat luctus, oratio, silentium, & manuum labor; iidem autem, quòd nullo insigniti ordine erant, sed merè laici, infimum inter Ecclesiæ ministros locum habebant, vti post [a] Dionysium Areopagitam, qui eos extra cancellos statuit, clarè ostendit ex Concilio Romano, à Syluestro Pontifice celebrato, Greg. dist. his verbis: [b] *Pontifici Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acolythus, Acolytho Exorcista, Exorcistæ Lector, Lectori Ostiarius, Ostiario Abbas, Abbati Monachus in omnibus præstet obsequium, siue in publicis, siue in gremio Ecclesiæ.* Super quæ verba scribit Glossator: Loquitur hic Canon secundùm ea tempora, cùm Monachi non erant Clerici, vt infra 16. q. 1. Generaliter. Denique B. Hieronymus, quodnam olim esset inter Clericum Monachúmque discrimen, breuiter comprehendit, contra Vigilantium scribens: *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, qui vel se vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum.* Inde cœpta est olim migratio è Monachismo ad Clericatum. Vnde ortum est prouerbium, cuius meminit S. Augustinus Epist. 76. ad Aurelium, Qui non fuit bonus Monachus, non erit bonus Clericus. Itaque qui ex Monachis in Clerum adsciscebantur, ijs quidem vtriusque vitæ munia coniungere licebat, vti Vercellenses Clericos fecisse, testatur Ambrosius, & ijdem, vt dixi, Ἱερομόναχοι, siue, vt Gregorius loquitur, *Monachi Presbyteri* appellabantur; ac proinde Regulares Clerici dici possunt; Clerici quidem, quòd sacris ordinibus essent insigniti; Regulares autem, quòd non secus ac Monachi, districtam religiosis regulis vitam agerent. Eiusmodi igitur Martini Monasterium extitisse ex his quæ diximus, palam est; ac proinde B. Petrus Damianus meritò [c] appellat B. Martinum Clericorum & Monachorum speculum, vtpote qui vtriusque vitæ munia, laudésque coniunxerit. His adiungendi sunt, ex Hieronymi Chronico, Aqui-

[a] Hier. Eccl. cap 7.
[b] Cap. A Subdiacono.
[c] To. 2 Ser. 17.

leienses Clerici, de quibus sic ille scribit: *Aquileienses Clerici quasi Chorus Beatorum habentur.* Hi nimirum S. Valeriani Episcopi, quem tantopere idem Hieronymus laudat, exemplo, atque doctrina, & S. Chromatij itidem Episcopi confirmati vigili rectione, tantum profecerunt in stadio religiosæ virtutis, vt adeò insigni elogio promeruerint commendari.

Nec præterire debeo Antiochenæ & Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clericos, qui Chrysostomi auctoritate, atque exemplo, è Monasterijs prodierunt, & initiati sacris, magnum ijs Religionibus Christianis incrementum attulerunt. Quocirca Agellius noster, vt sacræ Antiquitatis consultissimus, meritò existimabat, Ioannem Chrysostomum inter Regulares Clericos, & Regularium Clericorum Patres, esse adnumerandum: Ipse enim è Monasterio prope Antiochiam ab Hilarione fundato, diuinitus per Flauianum Episcopum euocatus, Ecclesiæ Antiochenæ quatuor annos Diaconus, & duodecim Sacerdos, idest, è Monacho Regularis Clericus; mirificè administrauit, vti Theodoretus, Georgius Alexandrinus, alijque scriptores vitæ eius fusè scripserunt. Formam verò, Regulámque Clericalis vitæ, ex eiusdem Homilia IX. in Epistolam ad Philippenses, elicere possumus: nempe, vt eius ætatis Clericis ab eo institutis, domos sibi proprias extruere; præter necessaria alimenta, atque indumenta, res superfluas procurare, stipem victumve ostiatim emendicare nequaquam liceret; sed ex vltro datis muneribus spes illi esset, Deo prouidente, tolerare vitam, vt seruos Christi decet, frugalem, & moderatam.

Venio ad B. Hieronymum Presbyterum, quem & Regularis Ordinis extitisse, & eius ætate in Vrbe potissimùm Roma, Clericos aliquot in communi, & ad religiosam formam vixisse, testantur eiusdem Hieronymi aliorumque veterum scripta. Et de sua quidem ipsius regulari professione tradit in epistola [a] ad Pammachium, sic se à Paulino Antiochiæ Episcopo Presbyterium accepisse, vt Monachismus, hoc est, Deo votis dicata vita, non auferretur. Epiphanius verò [b] scribens ad Io. Ierosolymitanum, idipsum significat: asserit enim nullo modo se ab Hieronymo obtinere potuisse, vt publicè sacrificaret, & animarum curæ intenderet. Hæc de Regulari B. Hieronymi Presbyterio. De alijs autem eius æui Regularibus Clericis, presbyterisque, satis opinor, clarè patet ex regularis vitæ institutione, ab Hieronymo scripta ad Nepotianum Clericum, & ex eiusdem defuncti Epitaphio: quibus locis Continentiam, Paupertatem, & Obedientiam, cæteráque clericalis religionis officia, idem Hieronymus miris commendat modis, nempe (vt aliqua hîc adscribam) Obedientiam, quam Episcopo Clerici præstabant: ijs verbis; [c] *Esto subiectus Pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe.* Paupertatem verò dum narrat, sacerdotes alienis facultatibus veluti pauperes, sustentari; *Turpe est*, ait, *ante fores sacerdotis, Christo crucifixi, & pauperis, & qui cibo quoque vescitur alieno, lictores Consulum, & milites excubare.* Et rursus: *Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi Leuita, & sacerdos viuo de decimis, & altari seruiens, altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam*

a Epist. 60.

b Epist. 61.

c Epist. 2. ad Nepot.

crucem nudus sequar. Super quæ verba benè notat Scholiastes Victorius, Nepotianum doceri à Hieronymo ea quæ perfecti sunt Clerici: propterea decimis, & oblationibus (quarum loco Sacerdotia, quæ *Beneficia* vulgus appellat, successerunt) contentum esse debere: Itaque cùm iuxta Canones Apostolorum, quos Gratianus [a] recitat, Episcopis data fuerit potestas dispensandi bona Ecclesiastica Clericis, cæterisque pauperibus, secundùm cuiusque necessitatem, & gradum; verisimile est, hunc communis vitæ morem, qui Hieronymi quoque ætate, apud quædam saltem Clericorum collegia deuotissimè seruabatur, ijs verbis significasse, maximè cùm in eadem epistola legatur; *Gloria Episcopi est, pauperum inopiæ prouidere: Ignominia sacerdotis est, proprijs studere diuitijs.* Damnat igitur in Religioso sacerdote proprietatis vitium. Denique castitatis præclara eodem loco dat Clericis documenta: *Ne fœminam quampiam absque honesto comite visitent; Ne soli cum eis sedeant; Ne munuscula recipiant: Ne ijs familiariter sese insinuent: Vt suspiciones caueant, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, antè deuitent. Tenui victu, & aspero cultu vtantur, delicias, lepôres, risum, vrbanitates fugiant:* hisque similia alia pleraque scribit, quæ continentiæ thesaurum apta sunt custodire. Vota autem religiosa his verbis non obscurè declarat: *Quantò magis delicias, & lepôres, quæ in sæculi hominibus detestamur, in Monachis, & in Clericis erubescemus, quorum & sacerdotium proposito, & propositum ornatur sacerdotio?* Vocabulo *propositi*, firmam mentem, ab eo significatam intellige, iuxta illud Ciceronis; [b] *Cato grauitatem suam perpetua constantia roborauit, semperque in proposito susceptoque consilio permansit.* Vnam item Clericis domum communem B. Hieronymus fuisse significat, cùm inquit; *Audi fratrem collegio, patrem senio* Et clariùs; *Inter Presbyteros, & coæquales primus in opere, extremus in ordine.* Idem; *Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si lector, si Acolythus, si Psaltes te sequitur, non exornentur veste, sed moribus* Hæc omnia paulò diligentiùs excerpsi, vt planè cognosci queat quis fuerit status, quæ religio bonorum illius sæculi Clericorum; bonorum, inquam: iam enim ætate Hieronymi plurimi Romæ, & per Italiam erant Clerici vix religionis leue vestigium retinentes, seorsùm singuli degentes, prædiorum ac sacerdotiorum redditibus benè nummati, in viduarum hæreditates auidissimè inhiantes, pompas, & ceteras sæculi vanitates miserè consectantes: in quorum deprauatissimos mores B. Hieronymus religiosissimus, & verè Regularis Presbyter, non vno loco validè intorquet stilum. [c]

Atque id caussæ extitit, cur Augustinus, Hieronymo non admodum posterior, de reformanda Clericorum vita seriò cogitauerit. Ergo in hanc rem intendens vir beatus, primum statuit nullum ordinare Clericum, nisi secum vellet habitare, & regulariter conuiuere: ei verò, qui vellet à proposito recedere, clericatum adimere. At cùm postmodum experimento didicisset, tantam Clericorum Hipponensis Diœcesis multitudinem, communem vitam ægrè tolerare posse; ab ea sententia discessit. *Ecce*, inquit, [d] *in conspectu Dei & vestro muto consilium. Qui volent habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus, & Ecclesia eius, maneant, vbi volunt, & vbi possunt: non eis aufero Clericatum: nolo habere hypocritas.* Itaque ijs

[a] Cap. Episcopus & Præcipuus 12. q. 1.

[b] Offic. li. 1.

[c] To. 1 ep. 17. 18. 22. 43. & li. 1. in Iouin.

[d] Apud Grat. cap. Certe 12. q. 1.

quos propositum vitæ sanctioris illexerat, cœperunt, Augustino duce, in vnum congregari, vnanimes habitare in domo Domini, atque (vt Augustini [a] verbis vtar) *pasci ex vno cellario, & indui ex vno vestiario.* Proinde ij, ex his aliisque sanctis regulis, quas seruabant, dicti sunt Regulares: ceteri vero, seculares, veluti regulis soluti, & sæculi fluctibus, non absque periculo, propiores, vti ex doctrina S. Isidori notat Concilium Aquisgranense. [b] Hanc Clericorum nuncupationem & distinctionem tradunt etiam recentiores Canonum Doctores, videlicet Præpositus, [c] Abbas, [d] aliique.

Augustini propositum, Cleros suos ad Apostolicæ vitæ cultum reuocantis, imitati sunt in Africa primùm, deinde per omnem ferè terræ ambitum multi: adeo eius regula Clericis lata, sancta & probabilis visa est: Peperit autem hæc sanctissimi Patris Clericorum reformatio, vel ipso adhuc viuente, plurimos sanctos viros, quorum gesta præclara alibi cum Dei auxilio fusiùs enarrabimus. Hic aliquorum nomina tantummodo recensemus, videlicet, Alipium, Nebridium, Eutropium, Possidium, Euodium, Paulinum, Fulgentium, Hilarium, Vincentium, Prosperum. Hos tametsi alii ordines sibi vendicent, atque ad se trahant, ad nos tamen vel æquè, vel multo fortasse magis pertinere, facilè sibi persuadebit is qui iusta lance rerum istarum momenta ponderabit. Id vt fidenter asseram, facit non sanè nostrorum virtus, & religio Patrum: (ea enim, etsi nonnulla quidem ipsa est, nulla tamen est, si cum aliorum sanctorum virorum, quos cæteri Religiosi ordines pepererunt, præclarissimis virtutibus comparetur:) sed potiùs Clericorum vocabulum, professio, habitus, vitæque nostræ cultus, atque, vt cum B. Augustino, [e] *quòd pauperes expectemus misericordiam Dei:* hoc est, quòd Apostolorum more [f] *ex iis quæ mittuntur*, victitemus; hæc profectò peculiarem quandam nostri instituti cum Augustini regulis, si non expressam, perfectamque similitudinem, at conatum tamen, atque adumbrationem aliquam præ se ferre videtur. Sed redeo ad lineam. Contigit itaque primi Augustiniani Monasterii ædificatio, atque adeò Apostolici Ordinis restitutio, anno salutis CCCXCI. Siricii Papæ VII. Theodosii Imp. xiii. & vt Sigebertus adnotat [g] post festum Pentecostes.

Post quartum Christi sæculum floruit in sede Petri S. Innocentius Pontifex, cuius inter cætera, quæ sanctissimè statuit, huiusmodi extat de Regularibus Clericis decretum: [h] *De Monachis, qui diu morantes in monasterio postea ad Clericatus ordinem peruenerint, non debere eos à priori proposito deuiare.* Iubet videlicet summus hic Pontifex perseuerare eos in voto, ac proposito monasticæ professionis: quod est, esse Clericos Regulares, Ecclesiasticis muniis, prædicationi scilicet, Sacrorum administrationi, & animarum plerumque curæ illigatos.

Post plusculos eiusdem sæculi annos vixit, scripsitque S. Prosper Aquitanicus, Rhegiensis Episcopus, & Augustinianæ doctrinæ eruditissimus propugnator. Is libro 2. De Vita Contemplatiua [i] meminit Clericorum Regularium suo æuo ex oblatis viuentium; *De Clericis quidem*, inquit, [k] *dicit Spiritus Sanctus: Peccata populi mei comedunt: sed nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt.* Et infra:

[a] in Regul.
[b] Cap. 101.
[c] in Appar. c. 1 dist. 43.
[d] in c. Deus qui de vi. & hon. Cler.
[e] Ser. 1. de vit. Cler.
[f] Ioan. cap. 12.
[g] Ep. Maced. apud Trullum fol. 10.
[h] Ep 9.
[i] Cap. 10.
[k] Cap 16.

Et infra; *Deo consecratis vtuntur ad necessaria sacerdotes, vt illis omnibus qui se perfectionis amore, sub vno constituunt, & sua sibi non vendicant, Ecclesiæ facultates ad hoc ipsum collecta sufficiant: vt quicquid omnibus occupationibus soluti perficiunt, fructus illius qui vnus pro multis occupatus est, fiat. Atque ita ille, qui sollicitudines omnium sub se viuentium portat, in Congregatione sua proficiente proficiat, vt sicut illius occupatio facta est omnium suorum fructuosa vacatio; ita omnium discipulorum perfectio gloriosa, magistri honor habeatur, & gloria.* Et cap. seq. *Hæc itaque virtus, quæ abstinentia non solùm delicatorum ciborum, sed etiam malorum omnium nuncupatur, cùm omnibus omnino necessaria sit, tum maximè illis familiarior, atque coniunctior esse credenda est, quibus, iuxta illud quod in Actibus Apostolorum legitur, factum cor vnum est, & anima vna, diuinæ charitatis igne conflata: & quibus sub vnius ordinatione viuentibus, omnium communia fiunt: Si tamen ita eis vna sit vita, sicut sit vna substantia; & nulla sit eis diuersitas animorum, quibus sit vnio facultatum: quia vt fieret, & esset animorum sancta coniunctio, necessaria est facultatum iudicata communio. Cæterùm quid eis prodest, quòd facultates suas abijciunt, qui voluntates proprias non relinquunt? Cùm sit longè præstantius voluntatibus proprijs abrenuntiare, quàm rebus?* His verbis S. Prosper, Clericorum communem vitam & religiosam eorumdem paupertatem, castitatem, & obedientiam describit, vti ante nos doctissimus Pamelius [a] obseruauit.

Sequitur S. Fulgentius, religiosus & ipse Clericus ex Augustini regula, atque Clericorum Regularium Restitutor eximius, vt ex eius vita, graui & vetere stylo descripta patet: vbi hæc habentur; *Comitantibus ergo Monachis, simul & Clericis, Fulgentius ad exilij locum migraturus, magister egregius vtriusque professionis, exit, flentibus omnibus laicis, de cathedra honoris ad locum beati certaminis.* Et infrà; *Similitudinem magni cuiusdam Monasterij, Monachis, & Clericis adunatis sapienter effecit: erat quippe eis communis mensa, commune cellarium, communis oratio simul, & lectio.* Apparent & alia ibi vestigia veteris Clericorum religionis; nempe obedientia sub Præposito & Abbate, ca. 25. Studiosorum schola ibid. Clericalis ordinatio, cap. 29. Mutatio habitus per aliquot dies ab ingressu religionis, cap. 4. Cœmeterium commune extra Ecclesiam, cap. vlt. & huiusmodi alia, quæ apud nos per Dei gratiam vigent. Quòd si ibidem legas, S. Fulgentium monastico habitu cultúque vtentem, & Monachum item appellatum, ne ob id eum à Clericis secernas velim; sed in memoriam reuoca, mi lector, id quod superiùs non semel dixi, priscos Monachos, non habitu aut nuncupatione distinctos à Clericis, vti hodie distinguuntur, sed ordine, & munere. Itaque ij omnes, qui regularem vitam professi, & ob id etiam Monachi appellati, sacros Ordines suscipiebant, inter Clericos Regulares adnumerandi sunt. Monachi enim vocabulum nihil Clericis officere debere, quin à Monachis propriè dictis, & qui merè laici erant, distinguantur, patet ex Augustino, qui exponens cur ipsemet Regularis Clericus, & Clericorum Restitutor, Monachus tamen appellaretur, inquit, ad Clericos suos scribens; [c] *Quare nos non appellemus Monachos, cum dicat Psal. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum? μόνος enim* vnus *dicitur.* Hæc ille. Dionysius autem

[a] In ep Cy. 66.

[c] Ser. 1 de vit. Cleric.

Areopagita idem vocabulum deductum ait, ab vnione cum Deo; quæ quidem Clericis etiam aptissimè conuenit: [a] *Vnde factum est*, inquit, *vt Diuini nostri Cathegemones* (idest Apostoli) *sacris eos qui Monasticen sunt amplexi, dignati sint cognominibus; dum partim Therapeutas, partim Monachos appellandos censuerunt, eo quod Deo purè ministrarent, & indiuisi vnitique cum eo viuerent.* Non ignoro, τοὺς μοναχοὺς, ab alijs quibusdam nominatos, quòd vitæ vacent solitariæ, ac proinde Philonem [b] scripsisse velle, Monasteria dicta esse, quòd ἐν ᾧ μονούμενοι τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου μυστήρια τελοῦσι, hoc est, *vbi solitarij sancta vita mysterijs datis operam*, sed ex hoc ipso satis patere arbitror, vocabulum, τοῦ μοναχοῦ, indiscriminatim tribui posse, tum Clericis, qui in vnum habitent, & indiuisi vnitique cum Deo viuant, tum solitarijs illis Religiosis, qui à mundo seiuncti, diuinis contemplationibus vacant; atque adeò, mirum non esse quòd S. Augustinus se, suosque Clericos Regulares, appellauit *Monachos*. Posteris verò sæculis paulatim factum est (quod & hodie perdurat) vt Clerici Regulares à Monachis, fermè non nisi habitu, & nuncupatione distinguantur: quippe cùm & Monachi ferè omnes altari ministrent, & Sacramenta non secus ac Clerici Christiano populo dispensent, neque minùs à se ipsis Monastici Ordines habitu & Regulis discrepent, quàm à Clericis Regularibus.

a Eccl Hier cap 6.

b De vit. suppl.

Circa hæc S. Fulgentij tempora scripsit in hæc verba Sozomenus, [c] *Ecclesiam Rhinocurensem eiusmodi ab initio nactam Antistites, Nigri, Dionysij, & Solonis, Episcoporum institutis, vti eámque bonos ac pios viros proferre non desistere: quia etiam Clericis*, inquit, *illius Ecclesiæ ædes sunt communes, communis mensa, alia denique communia omnia.*

c Lib.6.ca.31.

Lego item in Synodo Constantinopolitana II. sub Menna [d] Apamææ Ecclesiam, quæ in Syria posita est, habuisse eo sæculo Monasterium Regularium, videlicet Clericorum. Ita enim eam vocem explicare solet Theodorus Balsamon, vt supra dictum est.

d Act.3.

Iustus Orgelitanus Episcopus, Iustiniano Cæsari synchronos, inter Religiosorum congregationes admiscet Clericos. Dum illud Canticorum edisserit; *Vineæ florentes dederunt odorem suum:* ait, *Congregationes Clericorum, Monachorum quoque, ac Virginum, in Ecclesia proficiunt & per bonam famam, & conuersationem insonuerunt.* Porrò complura huius & posteri sæculi Clericorum Regularium instituta Collegia possem hoc loco proferre. Parco autem, & de nostro iure cedere malo, quàm odiosam disputationem aduersus quemquam inire: nequis Religiosus è suo nos Ordine ad nostrum trahere conqueratur.

Sequenti item sæculo Gregorius Magnus cùm Apostolicam Clericorum vitam, qui magno Ecclesiæ malo à vetere disciplina defecerant, instaurare pro virili sua percuperet, scribit ad Angliæ Episcopum Augustinum, in hæc verba: [e] *Quia*, inquit, *tua fraternitas Monasterij Regulis erudita, seorsum viuere non debet à Clericis suis, in Ecclesia Anglorum, quæ autore Deo nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituere conuersationem, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum, ex his quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia* Hæc ille. Quæ & exemplo

e Lib.10. ep.31.

ſuo egregiè in Vrbe præſtitit: nam eo Pontifice, obſeruantiſſimos Clericos in ſuam familiam adſciſcente; *talis erat* (Io. Diacono teſte) *penes Vrbem Romam Eccleſia, qualem fuiſſe ſub Apoſtolis, Lucas; & ſub Marco Euangeliſta, penes Alexandriam, Philo, commemorant.*

S. Clarus, Viennenſis Abbas, eadem ætate vixit & inclaruit. Eius vitam vetus autor grauiter, & ſincerè conſcripſit. De Clericis verò regularibus hæc habet: [a] *Porrò in domo maiori, SS. Martyrum Apoſtolicam vitam tenentes, in vnùmque viuentes plurimi Clerici erant, ita vt turmis diſpoſitis myſteria peragerent. Apud* S. *Seuerum quoque cœtus Clericorum venerabilis.* Concluditque; *Sic tunc temporis ad gloriam omnipotentis Dei Viennenſis Eccleſia florebat.*

a Cap. 2. tom. 2. Sur.

Octauo autem ſæculo, Carolo Magno Imperante plura ſunt habita Concilia, quibus de Clericis ad priſtinam communem vitam reducendis feriò egerunt Patres; vti videre eſt in Concilio Turonenſi, & Moguntiaco. Proinde in ſuis Conſtitutionibus idem Carolus ſic ſanxit: [b] *Qui ad Clericatum veniunt, quod nos nominamus Canonicam vitam, volumus, vt illi canonicè, ſecundùm ſuam Regulam omni modo viuant, & Epiſcopus, illorum regat vitam, ſicut Abbas, Monachorum.* Sed eodem Carolo regnante vixit Ledradus Lugdunenſis Epiſcopus, qui ad eundem Carolum ita de ſe ſuiſque Regularibus Clericis ſcribit: *Clauſtrum quoque Clericorum conſtruxi, in quo omnes nunc ſub vno conclaui manere noſcuntur.* Neque verò hi Clerici, ſæculares, vt vocant, erant: Nam ex iam citatis Concilijs conſtitutionibúſque patet, illo æuo in id incubuiſſe Eccleſiarum Præſules, & Regem ipſum pijſſimum Carolum, vt Clerici Religioſis Regulis adſtringerentur, quemadmodum priſcis Eccleſiæ ſæculis adſtrictos vixiſſe ſciebant: vt patet ex Concilijs Aquiſgr. Francofurt. atque alijs ijs temporibus celebratis.

b Capitul. fol. 254.

His conſentanea poſtmodum ſtatuere Patres Aquiſgranenſis Concilij [c] Ludouico Pio celebrati. [d] Præterea in Ticinenſe, & Pontigorenſe, ſub Ioanne Bononienſe Epiſcopo [e]: & in Romano, ſub Nicolao primo, idem decretum legitur emanaſſe.

c Can. 94.
d Apud Sigo. de Epiſcopis Bononiæ.
e Decr. 5.

Synodus item Auguſtana, Othone Auguſto coacta, circa annum 952. decreuit, Clericos religionem profiteri cupientes, ab Epiſcopis ſuis, vt in ea mente perſiſtant, firmandos potiùs, quàm dehortandos: optantibus ſcilicet illius Concilij Patribus, vt Clerici ad regularem formam viuerent, Apoſtolico more.

Sequenti ſæculo floruit B. Iuo Carnotenſis qui Clericorum Regularium Ordinis, quem S. Ioannis Baptiſtæ Ordinem nuncupauit, inſtitutor fuit. De huius viri ſanctitate, eruditione, & præclara in S. Euchariſtiam deuotione, vide quæ habet Poſſeuinus in ſuo Apparatu De Ordine autem prædicto, vide Thomam Vualdenſem [f], & Valentiam [g]. Sed pergamus ad poſteriora tempora.

f To. 3 tit. 10 cap. 14.
g Contro. de Indulg.

Vixit Innocentio II. Pont. S. Epiſcopus Malachias. In eius verò præclariſſima vita, quam S. Bernardus luculenter enarrat, hæc reperio: *Malachias factus Dunenſis Epiſcopus, confeſtim more ſuo curauit adſciſcere ad ſolatium ſibi de filijs ſuis Conuentum Regularium Clericorum. Et ecce rurſus accin-*

gitur, quasi nouus Christi tyro, ad spirituale certamen: rursus induitur arma potentia Deo, sanctæ paupertatis humilitatem, rigorem disciplinæ cœnobialis, ocium contemplandi, orandi assiduitatem. Et obseruo ab eodem Bernardo in Apologia ad Gulielmum Abbatem, crebrò fieri mentionem Regularium, eósque non Canonicos, sed Clericos appellari, & à Monachis distingui: *Monachi*, inquit, *& Regulares Clerici sibi inuicem derogare dicantur, quia proprijs ab inuicem obseruantijs separantur.* Et non multò post: *Itaque diuersi diuersa accipientes dona, alius quidem sic, alius verò sic: siue Cluniacenses, siue Cistercienses, siue Clerici Regulares, siue etiam laici fideles.*

Circa annum verò Domini 1380. Gerardus celebris Doctor Parisiensis, re & cognomine Magnus, Ioannis Rusbrochij pijs cohortationibus incitatus, contempto nominis & generis sui splendore, abiectisque diuitijs, primus eo sæculo Dauentriæ instituit Ordinem, quem appellauit Clericorum Regularium. Quo non diu superueniente, Florentius Traiectensis eius discipulus, vir nobilis, & eruditus, secundùm formam, quam à Gerardo didicerat, eis viuendi Regulam præscripsit: *statuitque* (inquit Iodocus Ascensius [a]) *vt quàm proximè possent, ad Apostolorum, & primæ Christi Ecclesiæ vitam accederent: ita vt in tota Congregatione esset cor vnum, & nullus quidquam haberet proprium, nemo sacerdotia, aut dignitates ambiret: omnes autem castè, & in paupertate viuerent, in eo habitu quem Gerardus instituerat: nempe picea tunica, pallio crassiore, capitio nigro. Nullus stipem mendicatò cogeret: scriptioni & scholis incumberent: Primario Patri ex animo promptéque obedirent:* & huiusmodi alia, quæ eo loco Iodocus narrat. Itaque cùm ij nihil proprium possiderent, atque, libello apologetico in Concilio Constantiensi edito, Io. Gerson disertè pronuntiauerit, eos non minùs esse religiosos, alijs qui religionis nomine nuncuparentur, proculdubio tam diuersi censendi sunt à recentioribus quibusdam Sodalibus, quàm nostratibus Clericis vocabulo & instituto propiores. Neque verò mihi quisquam dicat, eos fuisse Canonicos Regulares. Nam Thomas ipse à Kempis apertissimè tradit non Canonicos, sed Clericos Regulares extitisse: imò verò idem ipse Thomas cùm plusculos annos inter hos Clericos Regulares versatus fuisset, ab eis postmodum discedens, institutum Canonicorum Regularium professus est, vti de eo Iodocus narrat. Quàm verò egregiam frugem iam dictus Ordo Clericorum Regularium protulerit, gesta virorum ex eo Ordine insignium, quæ memoratus Thomas Kempensis literis mandauit, præclarè testantur. Sed & literarum studijs, scriptisque, plurimi inter eos nomen suum, suique ordinis famam, ad posteros transmiserunt: videlicet (vt aliquot recenseam) Gerardus Sutphanius, scriptor Asceticus; Gabriel Biel, Theologus Tubigensis: Christianus Massæus, insignis Chronographus: Georgius Macropedius, philologus: aliíque, quos Aubertus Miræus in suo Chronico cum laude memorat.

[a] In vit. Thomæ Camp. c. 9.

Denique superiore sæculo, cùm Adrianus VI. Pont. Max. eiúsque successor Clemens VII. orbem Christianum, Vrbémque ipsam Romam, inscitia luxúque ea ætate contaminatam, probis Clericorum moribus, atque exemplis instructam iri cuperent; neque tamen reperire esset inter Eccle-

ſiaſticos viros, qui Chriſtianis populis viam ad pietatem, verbo & opere, quaſi protenſo digito, demonſtrarent; grauis proinde eorum animos coquebat cura. Sed tempori ſuccurrit Deus Eccleſiæ ſuæ. Nam cùm tantam Cleri populique iacturam IV. Viri, Patres noſtri, ſcilicet Io. Petrus, Caietanus, Bonifacius, & Paulus imo corde commiſerarentur, atque identidem reputarent, quo pacto, quave ratione Eccleſiæ miniſtri, qui piè puréque Deum colerent, & humanas mentes virtutibus imbuerent, formari, atque ad cœleſtem militiam accenturiari poſſent, de Clericorum religioſa ſodalitate ſubijt eorum animos cogitatio. Itaque ad Clerum omnem redintegrandum, & Apoſtolico ſpiritu imbuendum noſter Ordo inſtitutus eſt, non quidem vt aliqui putarunt, ſub Auguſtini Regula: non enim Auguſtino religioſa promiſſa facimus, ſed Petrum, poſt Chriſtum, primum noſtrum Parentem, Præſidemque agnoſcimus, ac proinde Petro ipſi Apoſtolo vota noſtra exhibemus, quæ Diuino Numini, ſolemni formula nuncupamus. Eiuſmodi igitur cælitus inditam cogitationem iam dicti noſtri Ordinis Conditores non multo poſt, Deo propitio, factis expreſſerunt, anno ſcilicet Chriſti 1524. & Clementis VII. primò, ſacris Votis, ſolenni formula, in æde Vaticana ad Aram maximam nuncupatis. [a] Hos autem ſi non merito, tempore ſaltem primos ſecuti ſunt alij multi Clericalium Sodalitatum Conditores, quorum nomina recenſere ſuperſedeo.

[a] Vid. Onuphr. in vita Pauli IV. Genebr. in Chro Hiſt. Monaſt. par. 2.

Habes nunc itaque, lector, antiquitatis pleraque monumenta, quibus librata noſtra Religio firma ſiſtit. Ea, vt vides, recto deduximus narrationis filo, non quidem pauca, ſed neque omnia. Crebra enim rerum iſtarum in hiſtorijs occurrit mentio. Mihi verò cuncta diligenter excutere neque animus, neque otium fuit. Aliàs fortaſſe impenſiùs exquiram, atque proferam. Interim, pro inſtituta breuitate, ſat erit proferre quæ Ioannes Mauburnus, Religioſiſſimus Roſeti Auctor (pag 767.) doctè & ſolidè ſcribit. *Non ex incertis auctoritatibus reperimus, quòd Ordo Cl. Reg. ſub ſanctis Apoſtolis eſt inſtitutus, à B. Marco apud Alexandriam dilatatus, à B. Iacobo Ieroſolymitano, & Clemente Pont Romano, ac cæteris Apoſtolicis viris obſeruatus; ab Vrbano Papa & inſigni martyre decreto reformatus.* Hæc ille: & alia quæ addit complura, à nobis breuitatis ſtudio omittenda. Neque mihi quiſquam dicat hos quos recenſui antiquos Clericos Regulares, ad Canonicos Regulares referendos. Nam ſi ij Clerici fuere, & à Monachis, qui Laici olim erant, reapſe diſtincti, eos ad nos etiam quis dubitet æquè pertinere? Perperám-ne fortaſſe ego feciſſe exiſtimer, qui ex eadem, vt aiunt, fidelia duos parietes dealbaui? Gloriatur Bernardus ſuum Ciſtercij Ordinem in Apoſtolis, primiſque Chriſtianis fuiſſe dedicatum: & nos non poterimus originem noſtri Ordinis iure omni ad vetuſtos illos Religioſos referre, quos verè Clericos Regulares extitiſſe hiſtorica auctoritate probatum eſt? Gaudeant itaque Noſtri (meritò enim poſſunt) & Deo gratias agant, ſe præclarum hoc Inſtitutum ab Apoſtolis inchoatum, à poſteris iugi imitatione ſtabilitum atque auctum, hac ætate ſeneſcentis Eccleſiæ ad Dei ſummi gloriam procurandam atque exaugendam primos omnium reſtituiſſe. Ego verò interim demonſtraui quod propoſueram, nempe immeritò feciſſe

eos qui adeò vetus institutum nouitatis titulo accusauerint. Etsi verò tempus ipsum & ex eo nata Veritas omnem eiusmodi frigidæ calumniæ nebulam propemodum dispulit, libuit nihilominus euanescentem falsitatem graui Vetustatis vento magis magisque disperdere. Finiam hîc igitur, si priùs te sincere lector inuitauero ad ea tempora respectanda, quibus perditi homines, calumnias hasce struere non sunt veriti: certè tam misera atque fœda animaduertes, vt inde facilè concipere poteris, quantanam nostris Patribus ingruerit necessitas, pristinum Ecclesiastici Ordinis robur, noua sacrorum militum instructa acie, reparandi, ad profligandas nimirum Hæreses atque scelera, & Diuini cultus decorem nitorémque sedulò procurandum. Quæ an nostri præstiterint præstentque, liber de Nostrorum Patrum Vitis, quem edidimus, & res ipsa patefacit.

11. Congregatione, Deo fauente, in dies aucta.

Nostri ordinis Moderatores, nullam per octoginta fermè annos typis excusam, aut firmam euulgasse legem, mirum videri non debet: cùm & Apostoli, neque à Christo aliquod scripto præceptum acceperint, neque (si Irenæo [a], atque Nicephoro [b] credimus) per totos quindecim post Christi Ascensionem annos, vllo Ecclesiam scripto docuerint. Nam principio viua tantùm voce, & διὰ τῶν ἀγράφων, fideles instituebantur: vti Eusebius [c] & Theophylactus [d] tradiderunt. Imò verò Chrysostomus grauiter deplorat, fideles scripta tandem lege indiguisse. *Neque Apostolis*, ait, *scriptum aliquod tradidit Christus, sed pro literis, Sancti Spiritus se illis daturum gratiam repromisit. Ille, inquiens, docebit vos omnia: atque vt discas, quia hoc sit multo illo melius, audi Dominum per Prophetam loquentem. Et disponam vobis Testamentum nouum, dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum perscribam eas, & erunt omnes docibiles Dei.* Hæc B. Chrysostomus. Quin etiam, [e] S. Irenæo teste, ducentis fermè à Christo nato annis, multæ gentes extiterunt, quæ sincerè credebant in Christo non vlla scriptura, sed sola voce perdocti. Quocirca apposité huc faciunt Tertulliani verba: [f] *Prior est anima, quàm litera, & prior sermo, quàm liber, & prior sensus, quàm stylus.* Accedit, idem fecisse sanctum & magnum Abbatem Benedictum. Nam, vt notat Gallonius siue Baronius in apologetico, Simplicius Abbas è Gallijs rediens, illam quam à Benedicto acceperat experiundam Regulam, non ante in Italia promulgauit, quàm per 43 annos assiduo vsu, quasi Lydio lapide fuisset expertus: nimirum vt ea, in lege ferenda, tarditas maiorem vim, & veluti grauiore momento libratam auctoritatem sacris Regulis afferret. Vetus enim illud Solonis verum est, [g] *Numquam ita quemquam bene subducta ratione ad vitam esse, quin res, ætas, vsus semper aliquid adportet noui.* Itaque quòd diu nostras leges priuato scripto exaratas, veluti in Aduersarijs habuimus, operę certè pretium fuit: vt scilicet quas vsus probasset, figere, quas improbasset, facilè possemus refigere. Nunc verò tandem adaucto Clericorum numero, & huius instituti Colonijs per omnem Italiam ex Vrbe Roma diductis, extructisque, iure & merito Patres has dispositiones firma lege statutas, & Summorum Pontificum auctoritate firmatas, in lucem

[a] Lib. 3. cōtra Hær.
[b] Lib. 2. c. 41.
[c] In Matth.
[d] Præf. in Matth.
[e] Lib. 3 cōtra Hær. cap 4.
[f] De testim. an cap 5.
[g] Apud Terent. ad.

ediderunt: peruigili nimirum cura posteris consulentes, *vt hæreditatem pietatis, ac religiosæ obseruationis successoribus suis transmitterent.* Quem eundem scopum in regulis edendis habuisse priscos Ascetas testis Cassianus [a].

a Lib. 1. c. 5

III. Tum verò vt trium votorum nexu ad perfectæ charitatis adeptionem. Differit apud Cassianum Abbas Moses [b] quinam sit religioso viro scopus; *Cùm enim*, inquit, *clarum sit, finem nostræ professionis Regnum esse Cælorum, futuramque æternæ beatitudinis retributionem, iuxta illud Prophetæ Regis; Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem; adhuc tamen quisnam scopus noster sit, restat inquirendum.* Postque multa præclarè dicta, scopum, quo opera laboresque nostri collineent, charitatem esse concludit. *Vnde*, ait, *liquidò comprobatur perfectionem non statim nuditate, nec priuatione omnium facultatum, aut dignitatum abiectione contingi, nisi adfuerit charitas illa, cuius Apostolus membra describit, quæ in sola cordis puritate consistit. Omnia igitur huius gratia gerenda appetendáque sunt nobis. Pro hac solitudo sectanda est: pro hac ieiunia, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, cæterasque virtutes debere nos suscipere nouerimus, vt scilicet per illas ab vniuersis passionibus noxijs illæsum parare cor nostrum, & conseruare possimus, & ad perfectionem charitatis istis gradibus innitendo conscendere.* In eandem prorsus sententiam Religiosissimus ille Pater & auctor nostri Ordinis Bonifacius à Colle, ex Augustino sumens, ad Gibertum Veronæ Episcopum scripsit: *Vana scilicet sunt omnia etiam apud eos qui sæculo renunciauerunt, nisi concupiscentiæ perdomandæ & charitati fratrum inuigilent omni industria. Quæ Charitas, vt B. Augustinus ait, tunc præcipuè custoditur, si charitati victus, charitati sermo, charitati vultus aptetur. Addamus nos: Si charitati Vota, si charitati professio, si charitati Religio vniuersa deseruiat: si hanc solam violare, tamquam Deum, nefas ducamus; scientes hanc ita commendatam à Christo & ab Apostolis, vt si hæc absit (vt dixi) inania; si hæc adsit, plena sint omnia.* Magni itaque æstimandæ cuiusque sacri Ordinis Regulæ, quippe gradus quidam & scalæ sunt, quibus ad veræ charitatis & abnegationis adeptionem peruenimus. Falsa autem ea charitas est, quæ leges spernit. Et certè verum est quod B. Thomas docuit [c], legem nostram (modò bonam, & iustam,) nihil esse aliud, quàm deriuationem, & quasi radium illius æternæ legis, quæ est in Deo. Itaque per rectam legis obseruationem, quasi per radium euehimur ad diuini Solis contuitum. Quod cùm omnibus rectis legibus conueniat, in sacris Religiosorum hominum institutis præcipuum locum habet. Quocirca nonnunquam se Deus expressis miraculis, religiosorum legum autorem declarauit: vt de Pachomij [a], Benedicti [b], & Francisci [c] regulis legitur euenisse. Atque adeò ab ipso Deo aliorum quoque Ordinum Constitutiones per Apostolicam sedem firmatas, profectas esse iure sibi quisque debet persuadere. *Omnes Regulæ*, inquit Christus ad B Brigittam, [d] *quas amici mei incœperunt, & ipsi personaliter tennuerunt, & seruauerunt, aliósque eas efficaciter docuerunt, non fuerunt dictata, & composita ab ipsorum intellectu & humana sapientia, sed adspiratione*

b Coll. c. 6.

c 1. 2. q. 93. art. 3.

a Pallad. in Lausiaca.
b S Bern in illud, Ecce nos.
c Bonau. in vita eius.
d Lib 7. reuel. c. 20.

Spiritus sancti. Vide de hac re Gregorium Valentinum, & Richardum Cœnomanum [c], Theologos eruditissimos. Per has itaque regulas legésque nostras eò tendere nitamur, quò sancti illi nostri Ordinis conditores peruenerunt, nimirum ad vitæ Christianæ perfectionem: quæ charitas est, qua Deo vnimur, & proximo. Ex ea, si in cordibus nostris viguerit, permanabunt actus Deo grati, & hominibus proficui. Quapropter beatus ille seniculus Ioannes Marinonius, de quo sæpe nobis sermo redibit, scriptum nostrarum constitutionum, legúmque omnium, quasi compendio concludens, hæc Apostoli Pauli verba sæpissimè Clericis Regularibus sibi subiectis ex intimo cordis inculcabat: *Odientes malum, adhærentes bono, charitate fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes, sollicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus Sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes: benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere; Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus, idipsum inuicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes.*

c In Antid. contra Erasmum.

III. Nouas leges condendi, & veteres abrogandi.

Qua tamen potestate (si me audit) non nisi raro Generale Capitulum vtetur, & re maturè diligentérque considerata. *Vetera enim Patrum instituta*, [f] inquit B. Basilius, *non temerè deserenda.* Si quid verò temporum hominúmque conditio ferat, quod noua indigeat sanctione, id ita fiat, vt vetus Reipub. vestis, quæ lex est, concinnari potiùs, vel aptè sarciri, quàm dissui aut lacerari videatur. Proinde Eusebius Cæsariensis [g] meritò laudat Lacedæmones, qui lege cauerunt, antiqua instituta non tractanda cum iuuenibus, ne scilicet ea ipsi nouitate illecti rescinderent. Mali mores abolendi sunt, non leges. Deploranda quippe res visa est, sapienti illi, [h] *leges miseras ad parietem cernere fixas clauis ferreis, vbi malos mores affigi nimio fuisset æquius.* Cauenda igitur crebra legum variatio: *Ipsa quippe mutatio*, inquit sapienter, vt solet, Augustinus, [i] *etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat.* Itaque memoriæ retinenda est vetus illa Parœmia, *Non conualescit planta, quæ sæpius transfertur.* Certúmque sit illius Alcibiadis [k] dictum, *Eos hominum tutissimè agere, qui præsentibus moribus legibúsque, etiamsi deteriores sint, minimùm variantes, Rempublicam administrant.* Quocirca nostri Ordinis moderatores deinceps pro libito rogare & abrogare leges, & (vt verbo dicam vetere,) *præceptare* desistant; Non enim multitudo legum, sed earum vel paucarum, quas habet, diligens obseruatio, felicem facit Rempublicam.

f In Asceticis.

g De præp. Euang.

h Plau. Trinum 4. 3.

i Epist. 118.

k Apud Thucyd. li. 6.

PRIMA

PRIMA PARS.

CAPVT I.

De Horis Canonicis.

DIVINI preces Officij, nocturnas quidem, horis matutinis; diurnas verò, interdiu, statis horis, tum Sacerdotes, tum Clerici omnes, ex præscripto rituque Romani Breuiarij, in Choro deuotè alacriterque persoluant. Integrum tamen nobis erit, pro consuetudine locorum. Patroni tantùm, vel præcipui alicuius Sancti, eius loci, vbi degimus, diem festum, officiumque celebrare.

Missa solennis diebus festis celebretur: Quibus manè, Prima: proximè ante Missam, Tertia: ea peracta, statim Sexta recitetur. Cæteris diebus Prima, Tertia, Sexta, simul dicantur: Nona, siquidem ieiunandum sit, ante cœnam. sin minus, statim à prandio. Vespertinæ preces, siue festus dies, siue profestus sit, hora congruente, vnà cum Completorio. In ieiunijs Quadragesimæ, Vesperæ ante cœnam; Completorium, vigesima secunda hora; nisi ob sacras conciones aliter quandoque fieri necessitas, aut populi commoditas postulauerit.

Officium paruum B Virginis, Officium Mortuorum, Septem Psalmi pœnitentiales, & Quindecim Graduales, quibus diebus in Breuiarij rubricis præscribitur, ijs in Choro recitentur. Liberum tamen Pręposititis erit, ex rationabili caussa, permittere quandoque, vt Matutinum B. Virginis in Choro omittatur. Quo autem tempore, siue ex Breuiarij rubricis, siue ex Superioris facultate omittitur Officium B. Virginis in Choro, faciet quisque vt apud se priuatim dicat; id enim postulat, quę pręcipua nostra debet esse in tantam Virginem pietas.

Psalmos Pœnitentiales, genibus flexis; Graduales, & pro defunctis, sedentes: reliquos, stantes in Choro recitent. Dum quis in Choro medio stans, de more, ad Matutinas preces, lectiones, vel ad Primam, Martyrologium legit, ceteri sedentes audiant, & responsoria ad singulas lectiones respondeant. In Missis solennibus Sacerdos & Ministri ne sedeant.

Nulla nos musica, vel cantus modulatione nec in Missis, quantumuis solennibus celebrandis, nec in quibusuis horis Canonicis recitandis, in Ecclesijs nostris vtimur. Sęcularibus tamen seorsum cùm indicitur oratio publica, id bis in anno concedi poterit. *Conemur autem* (inquit S. Bernardus) a *purè semper, ac strenuè diuinis interesse laudibus, non pigri, non somnolenti, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis nec remissis vocibus, muliebre quiddam balba de nare sonantes, sed virili (vt dignum est) sonitu, & affectu, voces Spiritus Sancti depromentes.* Hæc ille. Simul incipiamus, simul desistamus; commodam in versibus pausam faciamus, in penultima vel antepenultima pro syllabarum quantitate immoremur; in vltima semper moram cauebimus.

a Serm. 48. in Cant.

Præpositi, quàm maximè poterunt, domestica negotia in aliud tempus differant, quò singulis horis Canonicis cum alijs in Choro intersint. Idem seruent Vocales, Sacerdotes, Clerici, Neue sibi quis remissionem quampiam à Diuinis Officijs assumat;

re audeat, nisi cui,vt studijs, aut lectioni, aut prædicationi operam det, sit aliqua concessa potestas. Qui tamen, si actu ipso non amplius legat, aut prædicet, aut lectionibus non intersit, vna cum ceteris conuenire in Chorum teneatur. Clerici, quibus à Matutinis horis, stu iorum causa, datur aliqua immunitas, ad Ecclesiam priùs veniant; ante Altare sanctissimi Sacramenti orationes fundant, benedictionem in Choro à Superiore petant: tum in suis quisque cellulis sedulò studijs vacent.

Laici ad Matutinas preces vnà cum alijs surgant: benedictionem in Choro post Inuitatorium simul petant: preces in Ecclesia fundant; tum ad sua se opera recipiant. De precibus, quas Laici debent persoluere, dicetur infrà.

Si quis ad horas Canonicas, postquam fuerint inceptæ, veniat, ad suum locum ne accedat, nisi priùs genu flexo à suo Superiore benedictionem acceperit. Quòd si iam Inuitatorium, & Hymnus in matutinis precibus, primus Psalmus in Vesperis, Hymnus, & Antiphona in singulis Horis sint recitati: genuflexus in Choro medio permaneat, donec Superior surgendi fecerit signum: & benedictione accepta ad suum locum se conferat. Post officium, negligentiæ suæ culpam in medio fateatur. Qui iusta de causa detentus, ad Officium tandem venerit, Superiorem in Choro adeat: caussam aperiat: benedictionem petat. Quæ item vel in diuinis Laudibus recitandis, vel in celebrandis Missis, vel in præstandis Ecclesiasticis functionibus, vel omnino in his quæ ad diuinum cultum pertinent, errata commissa fuerint, statim ac diuinum Officium in Choro fuerit absolutum, spontè proferantur. Pœnas Præpositus, aut qui Præpositi eo loco vices gerit, vnicuique debitas imponat.

Ad Cap. I. Notæ.

1. NOcturnas quidem horis matutinis. Optimè factum. Nam vt scitè Prudentius:

Post solis ortum fulgidi
Serum est cubile spernere,
Ni, parte noctis addita,
Tempus labori adieceris.

Profectò antiqui illi nostri, & Deo chari seniculi, Caietanus, Ioannes, Andreas, aliique complures, multò etiam citiùs somnum & cubile spernentes, tempus illud nocturnum, quod Ambrosius sacratissimum vocat, aut sacræ lectioni, scriptionique, aut cœlestium rerum contemplationi attribuebant: ferebántque nostri Patres ægerrimè, si quando, sub prætextu discretionis, solito tardiùs excubitor excitasset, eúmque seuerè reprehendebant, & publicè puniebant. Porrò matutinos Hymnos non media nocte, sed diluculo nostri concinunt. Suffragatur antiquissimus Christianorum vsus. Plinius Nepos, [a] *Soliti*, inquit, *stata die ante lucem conuenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum inuicem.* Et Tertulianus [b] è Plinio sumens, *Plinius*, ait, *Traianum consuluit, nihil de sacris Christianorum comperisse, quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo & Deo, & ad confœderandam disciplinam.* Accedunt Sanctiones ritúsque Patrum. Cyprianus, [c] *Resurrectio Domini matutina oratione celebretur.* Ioannes, siue Chrysostomus, siue (vt ego censeo) Damascenus; [d] *Optimi quique viri ac pietate præditi, quouis die stationem ad Deum faciunt septies: Primùm scilicet noctu vigilantes, quod & diluculum appellamus.* Isidorus Hispalensis; [e] *Matutinum officium est in lucis initio: à stel-*

Hymno ad Nocturn.
a Epist ad Traian.
b In Apologet c. 2.
c De Orat. Dom
d In Psal. 118.
e Lib 6. Orig.

la Lucifero appellatum, inchoante mane oritur. Rabanus Maurus, [a] *Diluculo autem oratur, vt resurrectio Christi celebretur. In vigilia matutina Dominus Israëlem ducens per mare rubrum, Pharaonem & Ægyptios in ipso demersit: & Matutina hora Christus à morte resurgens, populum suum soluens, Diabolum & Satellites eius æterna captiuitate damnauit.* Fauet vocabulum ipsum: Matutinum enim à Matuta, hoc est, Aurora, est. Denique & Sapientis congruit præceptio: *Oportet*, inquit, [b] *præuenire Solem, ad benedictionem tuam Domine, & ad ortum lucis te adorare.* Cæterùm ista antiquitatis monumenta attuli equidem, vt ritum hunc nostrum firmarem: nequaquam autem vt mediæ noctis psalmodiam vllatenus infirmarem. Scio illud vetus esse, & Apostolicum institutum. Hinc Clemens Romanus Pontifex [c] ἀλεκτοροφωνίαν, indicit, quam Latinè dixeris *Gallicinium* seu *Gallicantum.* Primum verò gallicinium est circa noctis medium. Legimus item, Apostolorum æuo supparem Carpum, media nocte surgere ad preces consueuisse, vt tradit antiquissimus autor Dionysius [d]. Laudo igitur eos qui de diuinis laudibus ne ipso quidem conticinio conticescunt, & ad illos celebrandos Hilarij & Chrysologi aurea verba deriuo: *Meminerunt* (inquit Hilarius [e]) *hoc esse tempus, quo primitiæ Ægyptiorum meritissima obstinationis clade percussæ sunt: his ergo horis non laxantur in somnum, ne gladio Ægypti admisceantur. Hoc noctis tempore introeunte sponso sapientes Virgines in nuptias cum lampadibus introibunt: Vigilant ergo, ne cum stultis videantur excludi. Hoc tempore psallentibus Paulo & Sila Apostolis, catenæ & vincula resoluuntur: non dormiunt itaque, ne victi sint, nec habet eos nocturni temporis somnus.* Hilario suauissimè succinit Chrysologus: [f] *Hoc tempus est quod deuotum & iuge pernoctantis demonstrat officium. Hoc tempus est, quo inter præteritos & futuros labores, ardens animus (sed ad diuina) nihil indulget corpori, nihil quieti: sed antequam finiat transacti diei opera, incipit & anticipat iam futuri. Ista satis hora est efficax impetrandi. Hoc sciens Propheta, ipsum tempus suæ supplicationis asserit extitisse cantando;* Media nocte surgebam ad confitendum tibi. *In hac hora vigilantibus, semper sponsus ille cælestis occurrit, de quo dicitur:* Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit. Adderem mellitissima S. Bernardi [g] verba, nisi prolixior videri dubitarem. Patet itaque, cùm à nobis, qui anteluculo, tum ab ijs qui media nocte consurgunt, stare Priscos Patres ritúsque veterum.

Hoc autem loco non præteribo ligneum illud instrumentum, quo ab excubitore excitamur, è vetustatis penu producere. Scio equidem, olim antequam æneæ campanæ Ecclesiarum vsui deseruirent, ligneo quodam crepitaculo Clerum populúmque ad Synaxim cogi solitum: nam lego apud Amalarium; [h] *Adhuc iunior Roma, quæ antiquis temporibus sub vno domino cum antiqua Roma regebatur, vsum lignorum tenet, non propter æris penuriam, sed propter vetustatem.* Propter vetustatem, inquit: nam, vt idem autor subdit, *hoc ipso lignei instrumenti sono vtebatur Ecclesia Romana antiquis temporibus, quando latitabat per cryptas, propter persecutores.* Hæc vniuersè dicta sint de ligneis crepitaculis, quæ erant priscæ Ecclesiæ campanæ. At fores prætereà singulas, ligneo malleo tundi solitas, vti apud nos fit, indicat Palla-

[a] Li. 1. Inst. cap. 2.
[b] Cap. 16.
[c] Const. li. 8. cap. 36.
[d] Epist. 8.
[e] In Psal. 118.
[f] Serm. 39.
[g] Ser. de duob. Discip.
[h] Lib. 4. de Diu. Off. c. 25.

[a] Lauſ.cap. 104.

dius [a] his verbis: *Hoc autem in eo* (Adolio Tarſenſi) *magnum, quòd à Veſpertinis horis vſque ad tempus matutinum, quo rurſus cæteri fratres ad Oratorium colliguntur, ille in monte Olineti ſtans, in eo loco vnde Saluator aſſumptus eſt, pſallendo & orando pernoctare conſueuerat, & ſiue ſub nimbis, ſiue ſub pluuijs, ſeu pruinis, immobilis permaneret. Qui poſtquam hoc modo ſolitum tempus impleſſet, ſigno mallei, quo cæteros fratres excitabat, percutiens fores omnium cellarum ad propria Oratoria deducebat.* Huc etiam pertinere arbitror, quod ſcribit Leo Imp. in Panegyrico de Chryſoſtomo. *His adhuc dormitantibus, Excubitor ad matutina Cantica excitat ligni pulſibus.* Itemque illud, quod ex vita ſancti Anaſtaſij martyris recitatum lego in Nicæna II. Synodo: *Cùm ſanctæ ciuitati Reliquiæ* (B. Anaſtaſij) *ſanctæ appropinquaſſent, omnibus res ea fuit declarata, & ſignificata. Itaque lætitia magna perfuſi omnes, ſurgentes ſubitò, lignáque ſacra pulſantes, inuicem obuiam facti ſunt in veneranda B. Virginis Æde, quæ appellatur Noua. Illinc cum cruce, & ſupplicatione egreſſi læti, & gaudentes, cum gratiarum actione occurrerunt.* Hæc ibi. Legitur etiam apud Cyrillum Monachum in vita ſancti Theodoſij cœnobiarchæ, Monaſterij cultores eiuſmodi pulſatione lignorum conuocari ſolitos ad ſynaxes. Hic tamen mos non fuit omnibus communis. Nam in Monaſterio ſanctæ Paulæ, vox *Alleluia*, altiuſculè prolata ſignum erat ſynaxeos: *Poſt Alleluia cantatum* (ir [illegible] it B. Hieronymus) *quo ſigno vocabantur ad collectam, nulli reſidere licitum erat: ſed prima, ſeu inter primas,* (Paula) *veniens cæterarum operiebatur aduentum, pudore, & exemplo, ad laborem prouocans, non terrore:* Lego item, ſed diu ante hæc tempora, per curſores, conuocatos ad ſynaxim priſcos illos Chriſtianos: quòd tunc Eccleſiæ Chriſti ab ethnicis Regibus, aut Iudæis hoſtibus preſſæ liberum non eſſet Chriſtianorum cœtum publico tinnitu conuocare, imò opus eſſet ſæpe loca mutare, ne impij ſcirent, quò Conuentus fieret Chriſtianorum. De Curſoris itaque electione (vt recentiores taceam) agit antiquiſſimus & ſanctiſſimus Ignatius Martyr, Epiſtola ad Polycarpum. Quamuis enim curſoris officium eſſet, datas ab Epiſcopo literas perferre etiam ad longinquos; tamen ipſum quoque nuntiare ſolitum abſque literis, vbinam foret celebranda fidelium ſtatio conuentúſque, nemo debet ambigere. Porrò hic mos Romæ hodieque ſeruatur; nam per Curſores, dies locúſque celebrandæ Cardinalium, aliorúmue Prælatorum congregationis, ritè maturéque ſignificatur.

Act. 4.

Epiſt. 27.

II. Ex præſcripto, rituque Romani Breuiarij.

Monachorum plerique Ordines proprio vtuntur Breuiario; modò ducenteſimo anno ſit antiquius, vti Pius V. Pont. Maxim. prudentiſſimè conceſſit. Nos verò Romanum Breuiarium libenter amplectimur, imitantes ſcilicet Patres noſtros, qui numquam Quignonij illud breuiſſimum Officium, quamuis licuiſſet, recitarunt. Et eſt præterea peculiaris ratio ob quam Romani Breuiarij ritus nos omnium maximè obſeruemus; memores videlicet, huius ipſius Romani Breuiarij, qui Pio V. Pontifice prodijt, noſtros veteres Patres extitiſſe propemodum concinnatores, vt

idem sanctissimus Pontifex in suo Diplomate, quod Breuiario præfixum legitur, abundè testatur. Porrò tanti fecit Clemens VII. Ioannis Petri Carafæ, aliorúmque nostrorum Patrum, sacrorum Rituum eruditionem, & in diuino cultu exquisitissimam diligentiam, vt anno Christi 1529. ijs per literas Apostolicas concesserit, vt Missas, & Diuina Officia ipsorum, ac præcipuè Carafæ industria ad meliorem formam composita, per annum publicè experiri, atque in Choro recitare liceret; eáque nostrorum Patrum experimento probata, exactéque recognita, posset postmodum sedes Apostolica publico Ecclesiarum vsui tradere. Quod & fecit: nam iam dictum Missale, ac Breuiarium, quod nostri seniores ediderant, ad Concilium Tridentinum primò delatum est: inde verò, quòd Concilij Patres grauissimis alijs occupationibus distenti, sacris ritibus, officijsque recognoscendis vacare non possent, cura eiusmodi ad summum Pontificem redijt. Itaque Pius V. nostrorum Patrum commentationibus valde laudatis, & Bernardini Schotti Cardinalis Tranensis, ac Thomæ Golduelli Episcopi Asaphensis, Præsulum è nostro Ordine insignium, opera, atque eruditione, ad hanc rem perficiendam adhibita, Missalem librum, & Breuiarium sacrarum precum, ad pristinum decorem, grauitatémque restitutum, ac methodo certiore dispositum, vsui Ecclesiarum Christiani orbis feliciter tradidit. Hæc nos fusiùs narrauimus in vita Pauli IV. nostri Ordinis sanctissimi Conditoris.

III. Deuotè. Quàm erecto ad cælum animo, quàm puris cogitationibus affectibúsque exsoluenda sint Diuinarum laudum officia, optimè describit sanctissimus Bernardus Abbas, his verbis verè mellifluis: [a] *Immolantes hostiam laudis, iungamus sensum verbis, affectum sensui, exultationem affectui, grauitatem exultationi; humilitatem grauitati, libertatem humilitati, quò interdum liberis purgatæ mentis passibus procedamus.* Hæc ille. Ad hanc autem beatam tranquillitatem liberæ mentis quonam pacto perueniet is qui corpore incompositus, animo imparatus, vanis cogitationibus mersus accedit ad Chorum, quàm poterit, tardè, & ante propemodum psalmodiæ finem, fastidio propellente, recedit? Vt autem nauseantibus hisce stomachis aliqua medicina detur, quæ deinceps diuinorum Psalmorum nectar, non modò fastidium non ingerat, sed iucunda potiùs ipsorum varietas spirituali suauitate corda perfundat, operæpretium erit, Psalmorum & cæterarum sacræ Scripturæ partium, atque ipsarum sacrarum cæremoniarum, è quibus Diuinum Officium constat, aliquam saltem intelligentiam quemquam nostrûm sibi comparare. Et de cæremonijs quidem sacris, inquit antiquus ille Clericus Regularis Religiosissimus, Gerlacus Petri, Thomæ à Kempis contemporaneus, & cum vetustis SS. Patribus ob eximiam rerum spiritualium peritiam meritò comparandus: [b] *Nisi multo labore interiori studeat homo continuè inspicere in omnibus quæ fiunt, propter quid sunt, & fiunt, maximè in Diuino Officio, valde leuiter declinabit ad insensibilitatem interiorum; antequam sciat, & satis videbitur sibi habere folia, non curans de fructu. Et tali modo depressus non potest animus se ipsum leuare, aut in suam originem*

[a] Serm 31. in Cant.

[b] Soliloq. cap. 3.

se dirigere, & lucem incomprehensibilem, quantum fieri potest (dissimilitudine, & condensis tenebris suis contradicentibus) intueri: ad quam tamen perfruendam solùm creatus est. Hæc sanctissimus Gerlacus. Psalmorum autem, aliarúmque Diuini Officij partium intelligentiam poterimus nos Clerici facilè conquirere, si vel antiquos expositores, & præcipuè Chrysostomum, qui inhærentem literæ sensum præ alijs assecutus esse videtur, vel nostrum Agellium, germanissimum Dauidicæ mentis interpretem, studiosè legamus, & quasi compendium eius commentariorum in mentis nostræ scriniolo recondamus. Sic enim postmodum, cum delectatione, & fructu maximo, ex intimo animo depromere quisque poterit diuinos sensus, quorum (vt cum Cassiano loquar) [a] *iugi pascuo vegetatus, ita incipiet decantare, vt eos non tanquam à Propheta compositos, sed veluti à se editos, quasi orationem propriam, profunda cordis compunctione, depromat: vel certè ad suam personam æstimet eos fuisse directos, eorúmque sententias non tunc tantummodo per Prophetam, aut in Propheta fuisse completas, sed in se quotidie geri implerique cognoscat.* Vt autem hanc, quam Cassianus describit in diuinos Psalmos attentionem, ad cæleste quoddam mellificium aptissimam, vel ij etiam qui necessarijs occupationibus distenti sunt, sibi valeant comparare, saltem argumenta Psalmorum, & veluti capita quædam sententiarum, quæ in illis continentur, edíscat. Sunt profectò recentiores nonnulli, & inter antiquos Magnus Athanasius, qui breuissimè exposuerunt ad quemnam animi affectum exprimendum quisque Psalmus sit aptus. Hac verò habilitate, virtutéque Psalmorum probè cognita, paulatim assuefiet psallentis animus ad Psalmorum germanos affectus cum Propheta ipso exprimendos; nimirum, vt cùm Dauid timet, & ipse timeat, cùm amat, amet, Deum laudet, cùm laudat, cum plorante comploret, cum gaudente gaudeat, cum glorificante glorificet, cum petente petat, cum gratias agente, & ipse gratias agat: *Omnes namque* (subdit Cassianus) *hos affectus in Psalmis inueniemus expressos, vt ea, quæ incurrerint, velut in speculo purissimo peruidentes, efficaciùs cognoscamus: & ita magistris affectibus eruditi, non vt audita, sed tanquam perspecta palpemus.* Plura non addo. Nam qui hæc seriò monita seruare perget, reipsa multò maiora spiritus emolumenta experietur, quàm ego possim exprimere longiore sermone.

[a] Coll. 10. cap. 10

IV. Patroni tantùm vel præcipui alicuius Sancti.

Veteres nostri Patres, parcissimè locorum festa propria, &, vt ita dicam, municipalia celebrarunt, ducti, vt puto, ea ratione, quam lego Dominici Soti auctoritate firmatam: docet quippe Theologus ille grauissimus (lib. 10. de iust. & iur. q. 5. art. 4.) *neque ratione studij decorum esse, præsertim inter religiosos, vt omisso feriali Officio & de tempore, confugiatur ad breuissima officia de sanctorum festis, ex quauis occasione crebrò celebratis:* Hæc ille. Recentiores tamen ducti & ipsi satis idonea & probabili causa, ne videlicet in sanctorum cultu à reliqua ciuitate vel oppido, diuersi abire videamur, æquum esse existimarunt, vt eos etiam sanctos, qui ab Episcopis statis diebus cele-

brandi indicuntur, nos quoque proprio, si adsit, siue saltem communi officio celebremus.

V. Missa solemnis diebus festis celebretur.

Sacrificij solemnibus verbis, & sacro cantu ritúque ab Apostolis celebrati, meminit Proclus Episcopus Constantinopolitanus: *Etenim*, inquit, [a] *postquam Saluator noster in Cælum assumptus est, Apostoli priusquam per omnem terram dispergerentur, conspirantibus animis conuenientes, ad toto die orandum conuertebantur: & cùm multam consolationem in mystico illo dominici Corporis sacrificio positam inuenissent, fusissimè & longa oratione Missam decantabant. Hæc enim diuina sacra vnà cum docendi ratione coniuncta, cæteris rebus anteponenda existimabant.* Quibus verbis etsi Proclus non exprimit quoto die Apostoli Missam solenniter celebrarent, Lucas tamen significat, frequenter sacrum fecisse. *Erant autem*, inquit, [b] *perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* At Iessæos Apostolis Synchronos, Philo [c] memorat, sabbatum sacrificio celebrasse. Nec mirum Hebræos homines, tum primùm Christo credentes, aliquid sabbatici cultus secum in Ecclesiam, Synagogæ filiam, intulisse. *Septimum*, inquit, *diem vt festum sacratissimque cultu dignantur eximio.* Vtique sacro & liturgicò: *Scripsit enim Philo* (inquiunt Eusebius & Nicephorus) [d] *modum præsidendi eorum quibus Ecclesiastica liturgia commissa sunt*; siue (vt vertit Ruffinus) *quomodo Sacerdotes & Ministri exerceant officia sua.* Et Serenus Abbas, Tabennesiotas instituens; *Deinceps* (ait) [e] *pariter ad Ecclesiam procedentes, quoniam hoc nos facere Dominicæ diei solennitas commonet, reuersi, post synaxim, ea quæ Deus ad instructionem communem pro desiderio vestro largitus fuerit, duplicato gaudio conferemus.* S. item Augustinus [f] tradit, diebus solennibus publica Missarum sacra co[n]ſ[e]cto Clericorum populíque conuentu celebrata. Ritus igitur hic noster Dominicis, aut solennibus potissimùm diebus solenne sacrum celebrandi, satis probatus est, & ab Apostolorum æuo deductus, astipulantibus etiam Iustino Martyre [g], & Concilijs aliquot [h].

[a] De trad. diu. Missæ.
[b] Act. 2.
[c] De Vita contempl.
[d] Locis suprà cit.
[e] Apud Cass. Coll. 7. c. 34.
[f] Apud Iuon. Carnot. to. 2. c. 119.
[g] Apolog. 2.
[h] Aurel. 3. cap. 11. Nannet. c. 1. Saleg. c. 10.

VI. Mane, Prima.

Primam non anteluculo, vt plerique Religiosi, sed orto iam Sole canimus. Tuetur tamen nos antiquitatis vsus. B. Hieronymus, *Assuescat*, inquit, [i] *exemplo ad Orationes & Psalmos nocte consurgere; mane, hymnos canere.* Et idem alibi; *Præter Psalmorum, & Orationis ordinem, quod tibi mane est exercendum*, &c. Quibus locis expendenda est vox, *mane*. dicitur enim *mane*, cùm lux videtur Solis Paulus apud Festum; [k] *Manare Solem antiqui dicebant, cùm radios ex Oriente emittere cœpisset, & inde primum diei tempus* mane *est nuncupatum.* Sed idem ex Cassiano probatur euidentiùs; nam disserens hic autor [l] de institutis Cœnobiorum, postquam egisset de alijs horis Canonicis, de Tertia scilicet, Sexta, Nona, Vespertina, & Matutina, de ea videlicet Matutina, quæ post vigilias nocturnas celebratur, & in qua decantatur Psalmus 62. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo: hoc est, de ea Prece, quæ hodie *Laudes*,

[i] Epist. ad Lætam.
[k] In Manare.
[l] Li. 3 Inst. cap. 4.

nuncupatur, agit postea de altera Matutina, quam dicit sua primùm ætate fuisse in Monasterio Bethleemitico institutam; & ex eo postmodum in Occidentis Regiones vtilissimè propagatam: aítque celebrari statim post ortum Solis. Vnde apparet hanc Cassiani secundam Matutinam, esse eam ipsam quam nos Primam vocamus. Proinde Hugo de S. Victore [a] docet, *quòd Hora Primæ Officium celebramus, quia mulieribus aduenientibus orto iam Sole Angeli nuntiauerunt Christum resurrexisse.* Porro vox ipsa, Prima, satis apertè significat, prima diei hora debere celebrari. Idem pluribus explicant, qui de Horis Canonicis libros ediderunt [b], & aduersam, siue diuersam consuetudinem, confutant, quos qui volet, adeat. Interim hæc mihi dicta sufficiant.

a Specul. Eccl. c. 3.

b Francol Duran. alij.

VII. Vespertinæ preces vnà cum Completorio.

Et hunc nostrum ritum Vesperas cum Completorio coniungendi, è prisco vsu fluxisse ostendemus. Sciendum enim in primis est, veteres ea hora Vesperas recitasse, qua Christus Dominus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in postrema cœna instituisse legitur, nempe expleto iam die, & ad primam noctem. Id quippe cùm vox ipsa, *Vespere*, tum etiam Psalmi qui in ea recitantur, significare, ac propemodum repræsentare videntur. Nam Vespertini illi Psalmi CIX. CX. CXI. de Sacramento Eucharistiæ aptissimè intelliguntur. Et eo scopo à B. Thoma in Officio de sanctissimo Corporis Christi Festo à se sapientissimè composito, & ab Ecclesia tota recepto, meritò vsurpantur: præsertim verò id mysterium indicant versiculi illi: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech:* &, *memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus: escam dedit timentibus se:* &, *dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Cùm itaque circiter primam noctis horam Vespere, siue lucernarium veteres persoluerint, consequens erat, vt post Vespere celebratum, ituri dormitum, Completorias preces adiungerent. Et Magnus quidem Basilius has horas iunxisse videtur, cùm inquit, [c] *Completo iam die, pro his omnibus quæ in eo data nobis fuerint, feliciterve nobis euenerint, gratiarum actio* (Vespertina scilicet hora) *succedet. Tum autem primis se iam noctis intendentibus tenebris sequetur precatio* (vtique Completoria) *vt quies, quam sumus capturi, inoffensa, & ab omni perturbatione libera sit: qua hora etiam necessariò nonagesimus recitari Psalmus debet.* Hæc Basilius. Quo loco nota antiquissimum ritum recitandi Psalmum, *Qui habitat*, in Completorio. Accedit etiam huic nostro firmando vsui, quòd neque Hieronymus, neque Romanus Clemens, Completorium inter statas sacrásque preces adnumerant: quod profectò non ideo prætereunt, veluti primis Ecclesiæ sæculis inusitatum: eius enim, & Basilius Hieronymo antiquior, & Cyprianus [d], & Clemens Alexandrinus [e] multò antiquiores, meminerunt, sed quòd (vti ego conijcio) vnà cum Vespertinis Completoriæ preces iungere consueuerint, vt eruditè ante nos adnotauit Turrianus [f]. Nos igitur has duas lucernarias Horas ritè ex veterum more coniungimus: tametsi eas non ad lucernæ, sed ad solis lumen, vt plebs commodiùs conuenire possit, exsoluamus.

c Reg. fus. cap. 37.

d De orat Domin.

e Lib. 2. Ped. cap. 6.

f In Clem. Constit.

Postre-

Postremò obseruandum est, hisce septenis Psalmodiæ horis eò tendere Christi sponsam Ecclesiam, vt quoad fieri possit, continenter, diu noctúque diuinis laudibus incumbamus. Illum enim laudibus extollimus, *qui maior omni laude est*; quique, vt Salomon ait, [a] *quantumcumque enim glorificaueri- mus, superualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius.* Atque adeò is ille est,

Cui tu ponere nil queas,
Et scitu pariter, laude & assidua
Dignum quidquid habet Polus,
Quidquid terra boni possidet infima.
Qui quanto canitur magis
Et surgit celeber, hoc dulcius insonat,
Et sese vlterius docet,
Dignum carminibus fine carentibus:
Siue hoc magnus agat quidem
Vates quisque potens ardua dicere,
Seu quisque per humum mea
Voci persimilis repserit occinens.
Hunc & nocte canentibus
Notis, huncque die vesperis ad iubar,
Quæ confert requiem pijs,
Cùm suprema volet, tunc veniat dies.

Hac quippe eleganti paraphrasi pauca illa Salomonis verba carmine exposuit disertissimus Arias Montanus [b] suæ Hispaniæ insigne decus. Sed redeo in viam. Ad hunc finem perpetuæ psalmodiæ, extitere olim Religiosorum plerique cœtus Orientales & Occidentales, qui felici ausu, atque inuidenda constantia totos dies, totásque noctes, diuisi per turmas, sacra Templa diuinis laudibus continenter personare fecerunt. In Oriente Monachi illi ἀκοίμητοι, hoc est, *Insomnes*, ab eo instituto vocati, floruisse leguntur, Theodosio imperante. *Horum Monasterium* (inquit Nicephorus) [c] *Marcellus diuinissimus construxerat, in quo perpetuis carminibus nunquam non Hymni Deo canerentur, sodalitate Monachorum eam ob rem in tres turmas diuisa.* Beati verò iam dicti Marcelli exemplum felicissimè imitatus est Studius ille celeberrimus, à quo Studitæ Monachi cognominati sunt. Is quippe vel Romanus, vt puto, ciuis, vel certè Roma profectus, Constantinopolim abijt, & Diuo Præcursori templum erexit, in quod Monachos Achœmetas induxit, hoc est, perpetua Vigiles Psalmodia. In Occidente non multo post. præter B. Ioannem Calybitam, ex Achœmetarum ordine Romæ degentem, Diuus Columbanus è Scotia oriundus, Luxouiense Monasterium in Gallia ædificauit, perpetuis Dei laudibus celebre ad instar Orientis Achœmetarum. Postmodum in Vrbe Roma B. Petri augustissimum templum, septem diuersarum nationum Monasteria circuibant: quorum leue aliquod vestigium, sacellum illud vbi D. Chrysostomi sacrum corpus iacet, etiamnum extare cognoui. Horum studium illud erat præcipuum, vt alterum alteri continenter succedens, Basilicam principis Apostolorum

[a] Eccl. 43.

[b] Lib. 6. Hymnor.

[c] Lib. 15. Hist. Eccl. cap. 23.

assiduo cantu precéque percolerent, vt tradit Petrus ab Vrbe veteri, in suo de ea Basilica commentario. Ex ijs felicissimis Achœmetis (ne alioqui ad doctrinam & iuuandas animas prorsus ineptos fuisse quis credat) extitere, æuo SS. Simplicij, & Felicis, Pontificum, generosi illi aduersus Acacium Constantinopolitanum Episcopum Hæresiarcham, Athletæ, qui zelo fidei Catholicæ Romam vsque profecti sunt, [a] vt Felici Papæ perfidiam Legatorum, qui Acacio adhæserant, nunciarent. Ipsis porrò agentibus, & Concilium à Felice coactum, & Acacij damnatio conclamata est, & damnationis diploma, per quendam ignotum Monachum Achœmetam, Acacij ipsius pallio, dum ad celebranda sacra fastuosè procederet, appensum est. Qua ex causa plurimi ex eis dira ab Acacianis passi, [b] egregium pro Christo martyrium subierunt. [c] Ex ijsdem Achœmetis prodijt B. Theodorus, cognomento Studita, vitæ sanctitate & eruditione præstantissimus. Et horum quidem, aliorúmque ex eo sodalitio Monachorum, virtus, doctrina, fideíque constantia vel ob id maximè enituit, quòd illo calamitosissimo tempore, quo Alexandrina, Antiochena, & Constantinopolitana Ecclesia atque adeò totus ferè Oriens à Catholica vnitate desciuerat, ipsi insomnes, & erecti animo, corporéque, Romanam sedem, & Apostolicam communionem, eo ore, quo diuinos Psalmos noctu diúque canere consueuerant, fassi sunt, & scripto insuper, ac demum sanguine consignarunt. Concludit verò apud nos Completorias preces sacerdotalis benedictio, & aquæ lustralis adspersio, quæ sunt etiam ex antiquo ritu. Synodus Aquensis Abbatum Regularium, Ludouico Pio Imp. habita: *Benedictio*, inquit, [d] *post Completorium à sacerdote dicatur.* Ioannes item à Turrecremata [e] docet, ea hora nos adspergi aqua sanctificata veluti antidoto aduersus nocturnas diaboli præstigias. Ad quem etiam finem S. Alexander Papa & Martyr, eam in cubiculis habendam sanctè decreuit. Idque Sanctos viros seruasse legimus. Vnde habetur in vita S. Vuolphangi Episcopi Ratisbonensis [f], dixisse eum cuidam suo familiari; *Accipe, frater, aquam benedictam, quæ est apud lectulum meum, & adsperge ea hominem, qui est ad cubiculi fores, &c.* Plura alia suppetunt exempla, quæ lubens omitto.

a Liberat, cap. 18.
b Liberat. cap. 18.
c Niceph. lib. 17. c. 17.
d Apud Cuik. in Schol ad. Cassian.
e Tract. 107 in Reg. S. Bened.
f Cap. 23.

VIII. Vt Matutinum Beatæ Virginis quandoque in Choro omittatur.

Æstate scilicet, cùm adeò breues noctes antelucanam lucubrationem vix permittunt eousque protendere, donec Matutinum Domini ante claram lucem persolui queat. Eadem ratione factum, vt studiosissimi quilibet viri, & alioqui parcissimi temporis dispensatores, æstiuas noctes vel integras dormierint; vel quod de Plinio auunculo suo Plinius Nepos admirabundus narrat [g], non nisi à Vulcanalibus lucubrare cœperint. Quæ res excusationi posita sit, non exemplo.

g Epist. ad Tacit.

IX. Quoties Officium Beatæ Virginis in Choro omittetur, quisque apud se priuatim dicat.

Concilium quidem Claromontanum horarias preces Beatissimæ Virgi-

ni quotidie persoluendas sanctè decreuit. At multo ante priuatim recitari cœptum est, cùm, Gregorio VII. summo Pontifice apud nonnullos pios viros, vt habetur in vita B. Petri Damiani; tum verò apud Religiosos Carthusienses [a], quorum familia cùm adhuc recens, & tenera esset, & multùm à malorum omnium inuentore Dæmone diuexata, legitur fuisse in sancto proposito roborata à quodam sene venerabili, caluo capite, capillo crispo, qui Altissimi Dei nomine est pollicitus Deiparæ patrocinium, si ei dicatas Horarias preces quotidie recitarent: quibus dictis senex euanuit. ij verò nihil ambigentes, quin senex ille fuisset Apostolus Petrus extemplo pijssimis Apostoli monitis communi consensu obtemperarunt & Beatissimæ Virginis patrocinium deinceps sibi adfuisse senserunt. Prætereà Christus ipse, in Regula quam B. Brigittæ dictauit, iussit Brigittanos Religiosos quotidie recitare Officium B. Virginis; adeò laudes Deiparæ filio eius placent. Ijs exemplis tam conspicuis, liquidò patere arbitror, Religiosos quosque Ordines, Magnæ Dei Matris laudibus celebrandis debere esse addictissimos: quandoquidem *Ipsa est* (vt S. Bonauentura ait) [b] *totius religionis mirabile firmamentum.* De nostro autem Ordine hoc vnum dicam, natum esse cum nascente Virgine; nam inter Crucis exaltationem, & Deiparæ exorientis Octauas, nostra Religio fundata est [c], nempe vt perpetuò studeamus (quod S. Augustino feliciter accidit) *hinc pasci à Christi vulnere, hinc lactari à Virginis vbere.*

[a] Vita S. Brun. c. 21.

[b] In Psalt. B. Virg.

[c] Onuphr. in vita Pauli IV.

X. Psalmos Pœnitentiales; genibus flexis; Graduales, & pro Defunctis, sedentes: reliquos stantes in Choro recitent. Pœnitentiales Psalmos flexis genibus recitandos docet ipsa Pœnitentium abiecta conditio. Decet enim eos, vt Tertullianus loquitur, [d] *adgeniculari: cùm exomologesis, prosternendi & humilificandi hominis sit disciplina.* Psalmos autem eos, qui defunctorum iuuandis animis destinantur, sedendo debere persolui admonet priscus Ecclesiæ ritus, cuius nunc vnicum exemplum satis esto. Edinerus Anglus in vita S. Anselmi Episcopi, *Corpus* (inquit) *Osberni Monachi de more lotum, vestitum, in feretro compositum in Ecclesiam delatum est. Tum circumsederunt Patres, Psalmos pro eius anima decantantes.* Reliquos verò Psalmos, Canonicis horis assignatos, bene apud nos viget ritus priscus, vt stando canamus. Nam si veterum Patrum scripta consulantur, non tam quærendum est, vbi stantes legantur psallere, quàm vbi non legantur; adeò passim occurrit, & in oculos sese ingerit hic standi olim receptus præscriptúsque vsus. Itaque exempla Patrum, & præcepta non afferam pauca solùm, sed congeram absque ordine fasciatim. Philo Iudæus [e], *Extant Hymni inter sacra canendi à stantibus.* Idem alibi; [f] *Vbi viderint deuictum aduersarium, conuenit pulcherrimum decentissimúmque Hymnum canere datori victoriæ Deo: ita vt duo Chori alter è virili, alter è muliebri conclaui è diuerso stantes, alternis carminibus sibi respondeant.* Dionysius loquens de Carpo Christi discipulo [g], *Stans autem Carpus ad diuinam precem, & collocutionem non satis intentè, &c.*

[d] De Pœnitent.

[e] De vita Contempl.

[f] De Agric.

[g] Eccl. Hier. c. 3.

a Eccl Hier. cap. 3.

Idem alio loco; [a] *Summus quidem Sacerdos orationem sacram super diuinum altare perficiens, ex ipso adolere inchoans, in omnem venit sacri Chori ambitum, rediensque iterum ad diuinum Altare, incipit à sacra Psalmorum melodia, concinentibus secum sacra Psalmorum carmina omnibus Ecclesiastici ordinis gradibus* Ecce meminit Dionysius chori, & psalmodiæ. *Chorus* autem dictus est, (Isidoro teste,) *quòd initio in modum coronæ circa aras starent, & ita psallerent*. Philo item: *Nocte canebant Hymnos* (Therapeutæ) *ad auroram, stantes*. Iustinus Martyr; [b] *Lectore quiescente, Præsidens, orationem, quâ populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet*. Consurgimus, subdit; scilicet, vt stando psallerent. Athanasius; [c] *Media nocte surgito, & Psalmos dicito, quantùm potes, stans*. Regula S Pachomij, & vtriusque Macharij; [d] *Adstantibus ergo ad orationem, nullus præsumat, sine præcepto eius qui præest, Psalmi laudem emittere*. Basilius; [e] *Facta ad Deum confessione, tandem à contemplatione surgentes ad psalmodiam instituuntur*. Chrysostomus [f]; *cùm ante lucem gallus emittit vocem, omnes cum reuerentia discusso sopore consurgunt à Præsule excitati suo, adstantque sacro Choro; protinusque expansis manibus, sanctos concinunt Hymnos*. Loquitur de Syriæ Monachis, qui nedum stando, sed manibus etiam expansis psallebant. *Pachomius*, inquit Cyrillus Monachus, [g] *reuersus ad gymnasium veritatis, inuenit quidem fratres congregatos ad preces, & stans cum ipsis impleuit hymnodiam*. Gregorius Turonensis: [h] *Clericorum* (inquit) *psallentium stare mos est*. Sophronius, siue Ioannes Moschus, [i] *Ioannes*, inquit, *Abbas eunuchus, rursus nobis enarrauit, dicens: Ingressus sum in eodem cœnobio cellulam senis cuiusdam, vidique, quia vbi stare ad precationem solebat, tabula erat supposita: vbi autem genua figebat, & manus, concauum erat plusquam digitorum*. Idem alibi: [k] *Consueuerat Zosimus Abbas constituto diei tempore figere itineris cursum, & stans psallere, & genu flexo orare*. Ecce hîc vides nostrum expressum morem: dum psallimus, stamus; dum mente oramus, genua figimus. Monachi Vverdunenses, scriptores vitæ S. Ludgeri Episcopi; *Vnde dum noctu stans Ludgerus iuxta lectum matutinales laudes cum Clericis psalleret*. Chrysostomus iterum [l] *Expergefacti illico stantes propheticos Hymnos concinnitate summa, & modulatis carminibus decantant*. Concilium Aquisgranense: [m] *Mox vt datum fuerit signum, festinato omnes Canonici ad Ecclesiam conueniunt: quam non pompaticè, vel inhonestè, vel incompositè, sed cum reuerentia, & Dei timore, ingrediuntur: Nec cum baculis in Choro, (exceptis debilibus,) sed religiosissimè illis standum, & psallendum est. Sunt etenim quidam Clericorum, qui in sæcularibus negotijs, & disceptationibus, penè totum infatigabiliter deducunt diem, & mox in Ecclesiam ad diuinum Officium vt intrauerint peragendum, ita fatigati videntur, vt nec orationi vacare, nec ad psallendum stare queant, sed potiùs sedentes, non diuinis, sed vanis instare solent loquelis* Itaque psallentes Canonici nedum sedere prohibentur, sed vix etiam debilibus conceditur, vt stando baculis aliquantisper incumbant. Cui decreto affine est illud memorabile, quod de beato Hieronymo Suidas narrat [n]: quòd cùm Sanctus senex ætate iam & valetudine confectus, lecto non posset exsurgere, ad horam tamen orationis, fune, qui pendebat, apprehenso, sese

b Apolog. 2.
c De Virg.
d Cap. i. apud Cuik.
e Epist ad Neocæs.
f Hom. 14. in 1. Tim.
g In vit. S. Io. Silentia. cap. 68
h De Glo. m lib. 1. cap. 30.
i Prato. c. 184:
k In vit. S. Mariæ Ægypt.
l Ho. de Inst. Mon.
m Cap. 131.
n In Hier.

aliquantulum erigebat, vt eo modo, quo posset, stando psalleret. Sed illi nimirum Deus vires ad se laudandum colendumque suppeditabat, vti de Palestinæ Syriæque Monachis apud Nicephorum lego. [a] *Horum*, inquit, *opus est, frequentes genuum inclinationes, & graues rursus stationes, desiderio solo corpora eorum sustinente, & voluntariam imbecillitatem recreante. Cùm enim egregium virtutis opus peragendum, & preces ad Deum fundendæ sunt, tum robur nouum, & corpus mirificè viuidum cernas, etiamsi senio id iam confectum, & exoletum admodum sit.* Ex horum numero Elpidius ille erat, quem Palladius [b] refert, per totas noctes stando & orando psalluisse. Idem prorsus, eodemque standi modo, Adolium Tarsensem in monte Oliueti fecisse tradit. Suppetunt & alia exempla quàm plura. Simon Metaphrastes in vita S. Quiriaci [c]; *Quamuis autem* (inquit) *Quiriacus ad tantam peruenisset ætatem, centum scilicet & septem annorum, & esset tam profunda senectute, ne tantillum quidem remittebat de sua statione ad diuinos Hymnos.* Theodorus Studita in vita S. Platonis: *Psalmos*, ait [d], *constanter solebat canere, stationis tolerantiam ferre.* Legitur item in vita S. Abramij Confessoris, Sanctum virum, super stoream stando, psalmodiam celebrasse. Sed quid ego in re tam perspicua tandiu moror? Christus ipse nonne hunc ritum apertè vel indicit; vel indictum significat, cùm ait in Euangelio [e]; *Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis aduersus aliquem?* Et ne parum videretur instruxisse verbo, docuit & exemplo. Nam Hymnum, cuius Matthæus meminit [f], post extremam illam magnámque cœnam, Christus, & Apostoli, stantes erectique decantauerunt. Id planè colligitur ex ritu Hebræorum, quem seruasse Christum in ea celebri gratiarum actione, quæ Hymnus magnus à Iudæis nuncupatur, tradit Burgensis [g], & post eum multi recentiores [h]. Ritus autem erat huiusmodi: Agnum Paschalem recumbentes in triclinijs prisco more comedebant. His epulis ritè expletis surgebant à cœnatorijs lectulis, illúmque, quem dixi, Hymnum magnum, Psalmos sex continentem, stantes concinebant. Et verò, hodie Iudæos stantes concinere Hymnum hunc magnum, me docuit R. Isaac Gauisonius, ex Hebræo Christianus, vir optimus. Eundem morem seruasse pôstmodum Apostolum Petrum, verba Clementis non obscurè significant: *Atque ita*, inquit, [i] *cibo sumpto Petrus, Hebræorum ritu gratias agens Deo, quia adhuc aliquantulum diei supererat, iubet nos, de quibus velimus, percontari.* Hæc ille. Notanter autem dixit, *Hebræorum ritu*, hoc est, stando, & gratiarum actionem cum conuiuis celebrando. Denique hunc standi ritum homines mutuati sunt à cœlestibus spiritibus, Isaias enim [k] Seraphicos Spiritus stantes, & diuinum Hymnum Trisagion decantantes describit: *Seraphim*, inquit, *stabant super illud, & clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* In quem locum B. Bernardus inquit [l]; *Stant planè Seraphim, quia charitas nunquam excidit, stant attoniti, & suspensi in contemplatione sedentis in Throno.* Idem vidit noui Testamenti Propheta Ioannes, narrátque in hæc verba: [m] *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat: ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante Thronum Dei, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum: & clamabant*

a Lib. 14. c. 50.
b Lausi. c. 37 & 104.
c Cap. 17.
d Cap. 33.
e Marc 11.
f Cap. 26.
g In Tit. Psal. 112.
h Gagn. & Maldon. in Matth. 28.
i Recogn. li. 5.
k Cap. 6.
l Serm. 3 in Isai.
m Apoc. cap. 7.

voce magna, dicentes; Salus Deo nostro, qui sedet super Thronum, & Agno. Stant itaque Angelici spiritus, dum psallunt Deo. Hunc ipsum standi ritum seruauit & docuit Angelus ille qui psallendi modum suo exemplo Patribus Ægypti præscripsit. Illum quippe Casſianus [a] refert, *medium stetisse, & sublime erectum duodecim Psalmos decantasse.* Quòd si quis obiecerit, Casſianum eodem loco narrasse Ægyptiorum morem, qui non erecti, sed sedentes, psalmodiam celebrare consueuerunt; ex eodem Casſiano responsionem habebit, referente, illos Patres non recitasse quidem Psalmos, sed solummodò vnicum psallentem auscultasse. Itaque eo ipso capitulo vtrumque apud Casſianum habetur, & psallentem stetisse, & non psallentes consedisse. Itemque responderi potest ad similem alteram obiectionem ex alio loco eiusdem Casſiani [b] exsurgentem.

a Li. 2. inst. c. 5.

b Li. 2. inst. c. 11.

Habemus igitur, cælo, terraque docentibus, debere nos stando psallere, & erecto corpore animoque Dei laudes celebrare. Ratio est, quam aliud agens adducit Chrysostomus, [c] videlicet, *non esse ministri sedere, sed stare.* Adde Græco Chrysostomo Latinum Tertullianum, & Latinorum antiquissimum, eandem rationem fusiùs & vehementiùs explicantem his verbis: *Irreuerens est*, inquit, [d] *assidere sub conspectum, contraque conspectum eius quem maximè reuerearis, ac venereris: quantò magis sub conspectum Dei viui, Angelo adhuc orationis adstante, factum istud irreligiosissimum est? nisi exprobramus Deo, quòd nos oratio fatigauerit.* Concludo denique hanc Notationem cum verbis Thomæ Campensis, recentioris quidem scriptoris, sed probatissimi viri, & religiosorum rituum obseruantissimi: *Ibi est*, ait [e], *operatio bona, & perfecta, cùm corpore stamus, & ore cantamus.*

c Hom. 13. in epist. ad Hebr.

d De Orat. cap. 12.

e Lib. 5. de Discipl. Claust. c. 5.

Debeo autem ad finem huius Adnotationis diluere argumenta, quæ Ioannes Lorinus societatis Iesu Theologus, aduersus ea quæ de standi ritu scripsimus, obiecit. Laudaui alibi [f] virum, qui plurima sanè scripsit eruditè. In hoc non laudo. Qui enim debeam, aut possim, cùm non mihi modò, sed plurimis & alijs, antiquis, nuperis, & suis quoque è societatis Iesu sodalibus, aduersetur? Fecissem verò satis multò citiùs; sed fuit mihi hæc secunda editio libri expectanda, maximè cùm interea nullum esset periculum, Religiosum ordinem aliquem posse à vera sententia standique vsitato ritu diuelli. Is itaque in Prolegomenis [g], ad suos in Psalmos Commentarios, non multis verbis, multas mihi lites intendit. Primùm asserit, maiorem esse reuerentiam genibus flexis psallere; *quod tamen isti*, inquit, *non faciunt.* Non facimus, quia nequaquam sequitur, vt qui Psalmos pœnitentiales, aut preces in diebus ieiuniorum, genibus nixi persoluimus, totam præterea psalmodiam pari genuflexione recitemus. Suo quique ritui tempora. In defunctorum exequijs sedetur, cùm ex vetere exemplo iam allato Osbernum Monachum tumulantium, quod nunc multo vetustiore confirmamus, videlicet sanctarum mulierum, quæ, vt canit Ecclesia, *ad Christi monumentum sedentes lamentabantur flentes Dominum*: tum etiam idonea ratione, vt scilicet indicetur, luctum non solùm deiicere animum, sed etiam corpus, hoc est, adimere standi alacritatem. Quocirca, sedisse olim lugentes mortuum, vt sederunt amici Iob, docet Origenes [h]. Dum

f Biga illustr. Controu. controu. 1. §. 16.

g Præfat. cap. 14.

h In Iob l. 3.

verò preces ieiunijs indictas, vel Psalmos pœnitentiæ illices, recitamus, meritò in genua procumbimus; quòd ea sit congrua pœnitentibus positio, vti iam ex Tertulliano demonstraui, & totius Ecclesiæ vsus ritúsque præscribit: accidenti etiam insigni elogio à D. Ambrosio, his verbis scripto, a *Flexibile genu, quo præ cæteris Domini mitigatur offensa, ira mulcetur, gratia conciliatur.* Cætero autem propemodum tempore, dum in Choro psallimus, stamus: quod quàm valde conueniat psalmodiæ (de hac enim loquor) præter tot exempla, & monita veterum à nobis adducta, solidè ostendunt Tertulliani, Amalarij, Alberti magni, & Roseti Auctoris verè rosei, rationes. Debemus stare, dum psallimus, *ne sedendo,* Tertullianus ait, b *videamur exprobrare Deo, quòd nos oratio fatigauerit.* Atque, vt Amalarius docet, *vt ex statu corporis demonstretur affectus mentis: stans enim* (Albertus c inquit) *rursum erigitur, & omnia membra dirigit, & in ordinem ponit.* Denique, *standum est,* inquit sacri Roseti Auctor d, *ad laudem Dei, ad imitationem Christi de cruce pendentis, ad reuerentiam Angelorum, ad exercitationem corporis, ad ædificationem intuentium, ad terrorem dæmonum, qui eiusmodi instantiam atque constantiam exhorrescunt.* Vis plura? ex ipsis sacris literis promo, adeò verbum Dei fuisse reueritos, non ipsos solummodo Dei ministros, sed etiam prophanos quosque, vt illud non ante exceperint auribus, quàm è sede surgerent, & starent. Sic Aod ad Eglon Regem Moabitarum e: Sic Balaam ad Balac f, Surge Rex, & sta. Standum igitur est multò magis nobis canentibus verba Dei. Quocirca Cantores illi, numero quatuor mille, à Rege Dauid instituti, & constituti ad hoc officium in Templo Domini, dum psallerent, stabant: sic n. legitur Eccles. 47.11. *Et stare fecit cantores contra Altare: & in sono eorum dulces fecit modos.* Nec puto, verbum, *stare,* simplicem contra ante Altare præsentiam hoc loco significare Lorinus dicet: redarguetur enim, tum quòd, vt inferiùs ostendam nemini licebat ibi sedere, præter Regem, & summum Sacerdotem, cæteri verò ferè stabant; tum etiam quia cap. præcedenti ver. 9. eadem locutio proponitur, *Stare contra hostem.* Existimo autem, eos qui contra hostes stant, non sedentes, nec genibus nixos, sed erecta corporis statione pugnare. Præterea cùm statio sit habitus verba facientium, petentium, orantium, expectantium, atque laudantium, quemadmodum Arias Montanus in suo Ieremia, siue de Actionibus opusculo, planè eruditissimo, allatis sacræ Scripturæ exemplis euidenter ostendit: hæc verò omnia cùm psallentes præstent, quis non videat, quòd stare recto corpore psallentibus conuenit? & Montano quidem succinit Franciscus Rib. ra, ex eadem Societate Theologus, inquiens g, *Statione significari stantes non terreri, sed confidenter expectare, & nec animo, nec corpore deijci.* Ita fecisse legitur Abacuch Propheta, cùm ait: *Super custodiam meam stabo, & stans figam gradum super munitionem meam,* hoc est, Montano interprete, h *magna animi & corporis contentione rem postulatam impetrandam expecto.* Sed alia etiam standi ratio afferri potest ex iudiciorum ritu, de quo eruditè Balduinus in Optatum pag. 129. Iudice enim sedente reus stare iubetur: immo cùm reus sedere iubebatur, absolutus esse intelligebatur, vti ex Concilio Cirthensi colligi po-

a Li. 6 Hexam. c. 9.
b Lib. de Orat. ca. 12.
c In Marc. 11.
d Direct. solu. Hor. cap. 2. §. 1.
e Iudic. 3. 21.
f Num. 23. 18.
g In cap. 6. Apoc. n. 19.
h Lib. de Action.

teſt. Cùm igitur quiſque noſtrûm multorum ſit reus delictorum, meritò ante iudicem Deum ſtare debemus, & flendo ac canendo pſallere, *A delictis meis munda me* At pergit Lorinus: *Publicanus cùm ſtans apud ſe orabat, credo non dicent, erecto corpore oraſſe.* Immo dicimus, & conſtanter dicemus; idem enim dixerunt eius loci expoſitores Græci, Latini, antiqui, recentiores propemodum omnes, atque in his è Societate Ieſu complures. Recenſeo ſolummodò nomina, & adſcribo loca. Baſilius Seleucienſis [a], Theophilus Alexandrinus [b], Auguſtinus [c], Eucherius [d], Theophylactus [e], Haymo [f], Albertus Magnus [g], Vitriacus [h], Ericus [i], Hugo Barenſis [k], Bonauentura [l], Thaulerus [m], Turrecremata [n], Bernardinus Senenſis, Caietanus [o], Dionyſius Carthuſianus [p], Vvicelius [q], Lanſpergius [r], Giſſenius [s], Ianſenius [t], Oroſcius [u], Salmero [x], Oſorius [y], Saa [z], Lucas Brugenſis [aa], aliique complures, obſcurioris ferè nominis, quos prætereo. Vide igitur, candide Lector, quàm meritò tot tantóſque ſequamur. Quin etiam multi vniuerſè docent, ſolemne fuiſſe Iudæis vt ſtando orarent. Sic aſſerunt Haymo [bb], D. Thomas [cc], Ericus, Caietanus, Ianſenius, Beaux-ames [dd], Montanus, Saa [ee], Brugenſis [ff], Lud. de Ponte [gg], Barradius [hh]: & quamquam iſte ſubdubitat, concedit tamen hanc ſententiam eſſe communem. Repugnat quidem Maldonatus: ad illius nihilominus obiectamenta videntur reſpexiſſe, & reſpondiſſe duo doctiſſimi viri, Ioannes Pineda [ii], & Lucas Brugenſis: alter, Soc. Ieſu profeſſus: alter, propemodum candidatus: Ille breuiter dicit, *Vtrumque habitum precantibus Iudæis fuiſſe ſolemnem*; hoc eſt, aliquando genibus flexis, pro precum ſcilicet, vti ſuprà diximus, & temporum varietate. Brugenſis verò, cuius equidem ſolidam eruditionem, & germaniſſimam Euangelij interpretationem planè exoſculor, & admiror, diligentiùs iſta perſequitur, & vniuersè, ſtandi ritum Iudæis fuiſſe ſolemnem ſic probat: *In illo*, inquit, *Templo veteri, ferè moris erat ſtare. Nam quamquam aliquando nunc in genua, nunc etiam in faciem procideretur, tamen quia non poterat id eſſe continuum, quamdiu Religionis Officia durarent, ſtabatur fere à viris, cùm commoditas ſedendi nulla eſſet, vbi ſolis Pontifici, & Regi, ſedes erat.* Hoc ipſum docet tom. 2. in Marc. 11. 25. aſſeritque id ex pluribus ſacræ Scripturæ locis manifeſtum euadere, ex ijs videlicet, quæ ego ex eodem Brugenſi, atque è Montano, Pineda, Barradioq. collegi. Ea ſunt 2. par. 7. v. 6. 1. Reg. 1. v. 26. Eccl. 47. v. 11. Iſai. 49. v. 7. Ierem. 18. v. 20. Matth. 6. v. 5. Marc. 11. v. 25. Sed & Lud. de Ponte in ſuo Duce ſpirituali, ex Chriſti verbis videtur optimè id ipſum colligere: *Alius*, inquit, *modus compoſitionis corporis in prolixa oratione eſt ſtando, vt mos erat Iudæorum, quem Phariſæos ſeruaſſe ait Chriſtus, dicens, Matth. 6. 5. qui amant in ſynagogis, & in angulis platearum ſtantes orare.* Quinimo dum concionem audirent, etiam ſtabant, tum in veteri Teſtamento, tum in nouo, vt habetur ex Palladio, Lauſ. hiſt. c. 7. & vt eruditè ex alijs antiquis ſcriptoribus docet Sirmundus, notis ad Sidon. pag. 126. Quocirca ex horum doctrina colligitur, duo cõmiſiſſe erratulã Maldonatũ

a Orat 35. b In cat. D. Tho c Lib. 3. qq. ad Simpl. q. 3. d In Reg. cap. 3 e In Luc. 18 f Homil. Dominic. g In Luc. 18. h Homil. Dominic. i Homil. Dominic. k In Luc. 18. l Serm. Dominicali. m Ser Dominicali. n qq. in Euang. Dom. Ser. cont. con fid. ſo. To 3 o In Luc. cap. 18. p Ho Dominicali. q Ho. Dominicali. r Qq in Euang ſ In Euang. t Concor. cap. 99 u Par 1. Declam 2. x Tom. 7. Tract 32. y Conc. Dominical.

z Not. in Luc. 18. aa In Luc 18. To 3. bb Hom. Dominicali. cc Matth 6. verſ. 5. dd Harm. Euang. To. 2. pa. 217. ee. In Luc. 18. Marc. 11. & Matth. 6. ff In cap. 18 gg Duc. ſpir. Tract. 1, cap. 9. paragrapho 1. hh Tom. 3. lib. 4. cap. 12. ii Lib. 5. de Geſtis Salom. cap. 5. n, 161.

virum

virũm alioqui doctissimum; vnum, cùm aduersus omnes expositores Græcos Latinosque quos mihi videre licuit, asserit, Pharisæũ non stetisse rectũ, dum gratias ageret; alterum, cùm vniuersè negat, Iudæos stantes orare solitos; quin etiam tertiò fallitur, cùm pro certo asserit, semper Christianos, atque Iudæos flexis genibus orasse: quod verum non esse, de Iudæis quidem testantur ij omnes supra allegati, qui Iudæos, stando orare solitos docuerunt: Et insigne præterea B. Stephani exemplum elucet, qui pro se Deum precatus est, stando Act. 7. 59. nempe, vt Augustinus explicat [a], & Lorinus [b] *Recta & celsa corporis forma*: quamquam pro alijs postea oraturus genua flexisse legitur. Hoc ipsũ de Paulo, & de Ezechia Rege colligimus è Chrysostomo Hom. 79. ad Popul. quo loco duas Iudæis consuetas, dum orarent, positiones describit, nempe stationem, & genuflexionem: *Neque stans*, inquit, *erectus, neque genua flectens, sed supinus propter ægritudinem Ezechias lectulo recumbens orabat. Paulus non in Oratorio, sed in carcere, iacens supinus, neque stans erectus, neque genua flectens: non enim sinebat lignum, quo pedibus vinctis tenebatur.* q.d. *si potuissent vtique aut erecto, & sublimi corpore, aut flexis genibus orassent.* De Christianis autem priscis è gentilitate conuersis, dubium non est, vtraque eos positione orare solitos, si veteres Patres, atq. Historicos, & Tertullianũ præcipuè, ac Cyprianũ à nobis superiùs adductos, & infra etiã adducendos audiamus Atque dum Psalmos canerent, sublimes stetisse iidẽ testãtur. Nõ sum equidem nescius, quòd vel ex Lexicis Latinis, Græcisque constat nonnunquam verbum *stare*, *στῆναι*, non situm erecti corporis, sed præsentiam tantùm significare; verũ hæc quæ protuli atque alia, quæ, si opus esset, proferre posse, loca, de propriè dicta statione intelligenda esse contendo; idque verum esse syncerus lector, & contradicendi studio vacuus, facilè deprehẽdet simplici inspectione verborum. Aduersatur tamen Lorinus, & ex plurimis, quæ adduxi, Auctorum veterum locis, quatuor tantùm admittit, cætera, & ea quidem inuita, ad alienos sensus, nulla ratione, detorquet. *Alijs* inquiens, *responderi posset, standi verbo, signari decentem ac reuerentem corporis situm incomposito oppositum, vt per modum iacentis, vel similem* Et paulò superiùs dixerat: *Standi verbum non situm erecti, sed præsentiam tantùm corporis indicare.* Itaque hoc modo nititur interpretari aliorum Patrum testimonia, quæ fasciatim adduxi, quatuor illis exceptis, nempe, Athanasio, Sophronio Turonensi, & Concilio Aquisgranensi. Ego verò te iudicem aduoco, Lector, an is immeritò, & pro libito id fecerit. Interea autem periculum faciamus, compositis inuicem locis verbisque veterum scriptorum. Athanasius ait: *Media nocte surgito, & Psalmum dicito, quantùm potes, stans.* Philo narrat: *Nocte canebant Hymnos ad auroram stantes.* Quid similius? & tamen à Lorino Athanasius mihi fauere dicitur; Philo negatur. Idem existimat de duobus alijs Philonis Iudæi locis, Athanasio illi, quem admittit, in re, de qua agimus, prorsus similibus; idem de Dionysij, Isidori, Chrysostomi, Cyrilli Monachi, Religiosorum VVerdensium, Suidę, Palladij, & scriptoris vitæ S. Abramij, qui clarissimè de statione propriè dicta locuti sunt: iudicium ille facit, sed obliquum prorsus, &, quod, dum sacram hisce Patribus stationem auferre molitur, sanè stare non potest. Nam multo quidem clariùs isti iam di-

a Serm. 92. de diuer.
b In Act. 9. 60.

cti de erecto corpore ſtando locuti ſunt, quàm Ieremias Propheta: cùm ait [a]: *Recordare quod ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum:* & tamen Lorinus in Comment. ad Act Apoſt. [b] Ieremiam recto tunc ſtetiſſe corpore admittit: illos verò Patres negat de propria ſtatione locutos. Adduxi etiam Græcos Hiſtoricos, Metaphraſten in vita S. Quiriaci, & Studitam in vita S. Platonis, qui vtuntur voce στάσιν, ſtationis: quam ille vocem ad impropriam ſignificationem inuertit: at ego ad propriam haud inuitam traho. Ac mecum profectò facit priſcus, atque vniuerſalis Græcorum ritus, erecto corpore ſtandi dum pſallerent: quem, vt teſtatur Saa, hodiéque ſeruant Græcæ Eccleſiæ. Prætereo, ex Tertulliano, & Cypriano, haberi, ſtationes illas Chriſtianorum tam valde & crebrò à vetuſtis ſcriptoribus celebratas, inde potiſſimùm dictas fuiſſe, quòd ad certa loca conuenientes, orando & pſallendo ſtarent erecti, vti Pamelius, aliique docti, & ipſe etiam Rhenanus nomine Beatus adnotarunt.

a Ierem. 18. 20.
b In cap. 7. n. 60.

Deinde alia via, ille Pſalmorum expoſitor eneruare nititur loca aliquot Dionyſij, & aliorum quorumdam, à nobis allata: inquiens, eos locutos de Ritu ſtandi in ſolemnibus Miſſis, non autem in pſalmodia: ego verò arripio dictum, & lubens aſſentior, Dionyſium præſertim, de ſacra ſynaxi, ſiue liturgia, fuiſſe locutum: Atqui cùm certum ſit ex eodem Dionyſio, & Proclo, ſacrum illud ſolemne, cum pſalmodia bene longa fuiſſe celebratum, probè colligimus, ſtantes pſalluiſſe, qui ſtantes ſolemne ſacrum vnà cum ſacerdote celebraſſe, & laudibus proſecuti eſſe leguntur. Cui antiquiſſimi Patris narrationi alteram ſubiicio, depromptam ex B. Hoſuini Aquincinctenſis Abbatis vita, qui mille propemodum poſt Dionyſium annis floruit ſanctitate: eámque eò libentiùs exhibeo, quòd à R. P. Rich. Ieſuita nuper editam, meritóque probatam ſcio. Libro igitur 2. c. 5. hęc ſcripta ſunt: *In ſacris autem myſterijs tantum ex conſueto* (Hoſuinus) *morabatur, vt mirabile nimis eſſet, & ſtupendum, vnde corpus ſenectute prægrauatum tam diutinæ ſufficeret ſtationi, niſi quòd mente excedens Deo, guſtabat primitias ſpiritus, torrente diuinæ voluptatis potabatur, angelicum manna ruminabat.* Hæc de ſtatione inter Miſſarum ſolemnia; mox verò de eadem inter pſallendum in Choro ibidem ita narratur: *Nullius ſolemnis Officij prolixitate potuit permoueri, vt indulgeret corpuſculo ſeſſionē, niſi interdum triennio eius deceſſionem præcedēte.* Habes igitur in vno eodemque viro, Monaſterioque vtriuſque ſtationis exemplum, & in Miſſę myſterijs, & in quotidiana Chori pſalmodia Religioſis illis Benedictinis Patribus vſitata; nam quod Hoſuinus Abbas in ætate decrepita obſeruabat, alios etiā ex more ritúque obſeruare ſolitos nefas eſt dubitare. Illud verò, quòd ad allata à me Angelorum exēpla, qui ſtantes Deum glorificant, obiectando reſpondet, equidem aut contra ipſum faciunt, aut ego quomodo pro ipſo faciant non ſatis intelligo: *Angelis,* inquit, *magis conuenit ſtandi poſitio, quam vlla alia.* Id equidem non ignoro. At quænam iſta conſecutio eſt, (ſi tamen vt velle videtur, eiuſmodi ille conſecutionem aucupatur) *Angelis ſtandi poſitio magis cōuenit, quàm vlla alia: ergo ineptum eſt homines hortari, vt Angelorum ſtationem, dum Deum vnà cum illis glorificamus, imitentur?* Profectò apta adeò eſt hæc argumentandi ratio in re de qua agimus, vt, hoc ipſum Angelorum exemplum à Tertulliano allatum, ſumi etiam commodè poſſit ex Ignatij Martyris, Dio-

nysio æqualis, cælesti illa reuelatione, qua, ipso postmodum exponente, tota fere Ecclesia edocta est, vt Seraphicos spiritus, quos alternatim ille canentes vidit, dum psallimus, imitemur. Nam ex hac ipsa diuina visione procliue est colligere, vt nos quoque stantes psallere debeamus: quippe cùm verum sit nos homines alternatim canere cum Angelis, vti Regius vates Chrysostomo, & post eum Agellio exponente, sibi voluit: cùm inquit,[a] *In conspectu Angelorum*, hoc est, *è regione Angelorum*, ἐναντίον Ἀγγέλων, *psallam tibi*, vtique consequitur, vt quia illi stando dicuntur nobiscum alternatim canere; nos itidem stare, dum psallimus, debeamus. Id igitur sibi voluit Tertullianus loco à me superiùs laudato, cùm ait, *Angelo eius orationis adstante*. Quin etiã, post multorũ curricula sæculorum Religiosissimus ille, & verè Beatus Cardinalis Petrus Damianus, in Epistola ad Archiepiscopum Bisuntinum,[b] cùm alia multa ad hanc sacrã stationem probandam cõgerit, tum hoc potissimũ, stantium Angelorum exemplo, quod à Tertulliano allatum P. Lorinus eludere nititur, Clericos Bisuntinæ Ecclesiæ, quos sedentes psallere viderat, ad psallendum erecto corpore vehementer exhortatur. Ista sanè Epistola tota lectu dignissima est: Nos autem ea tantùm, quæ huc faciunt, excerpemus. *Vnum præterea*, inquit, *corporis ac desidiæ signum in Ecclesia tua vidi: quod & tunc, prout expeditionis dictabat hora, corripui, & nunc apicibus tradere non superfluum duco. Plerique siquidem ibi Clericorum resident, dum vel canonica Horarum celebrantur Officia, vel etiam ipsa Missarum offeruntur terribilia Sacramenta. Cuius corporis ignauiam per Galliarum partes nonnullis inesse etiam Monachis deprehendi; quod profectò prauæ consuetudinis vitium, & correctione dignum, & de stadio militantis Ecclesiæ in his qui incolumes sunt, constat penitus eradendum: de qua scilicet in Canticis legitur: Quid videbis in Sunamite, nisi Choros castrorum? & iterum; Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis suis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Nam cùm vbique nobis aduersus nequitiæ spiritus immineat infœderabile bellum, feruentius ingruit in modulatione Psalmorum: & cùm oramus, tunc velut in acie contra malignorum hostium tentamenta confligimus, vt nobis omnino necesse sit, aut superantibus eneruiter cedere, aut corruentibus in Domino plausibiliter insultare. Qui cùm corpora nostra, marcida sessione contemplantur hebescere, de ruina quoque interioris hominis illico sperant se victoriam obtinere. De quibus per Isaiam dicitur: Ponam illum in manu eorum qui te humiliauerunt, & dixerunt animæ tuæ, Incuruare vt transeamus: vbi post incuruationem animæ, etiam de corporis incuruatione protinus additur: Et posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus. Vtraque nimirum substantia, anima scilicet & corpus in nobis sic vnitæ sunt, vt plerumque vna solerter agente, vigeat altera, & dum hæc resoluta negligenter oscitat, illa quoque dormitantis ignauiæ languore torpescat. Iosue certè, cùm vidisset Angelum, euaginatum tenentem gladium, ait: Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum? Cui nil aliud ille præcepit, nil prorsus, vt exequeretur, iniunxit, nisi tantùm hoc: Solue,* inquit, *calceamentum de pedibus tuis; quare? subiunxit: locus enim, in quo stas sanctus est. Cùm ergo loco illi, propterea quia sanctus erat, debebatur nuditas pedum, cur Ecclesia, quæ nihilominùs sanctus est locus, non vereatur saltem stantium reuerentiam Clericorum?* Et post alia nonnulla. *Si*

[a] Psal 137.

[b] Lib 3. Epist. 9.

Regi (subiicit) *vel terreno cuilibet Optimati suæ ditionis officia reuerenter assistunt, nos cùm ante terribilem Maiestatis Diuinæ conspectum laudum præconia iubilamus, qua præsumptionis audacia sedere præsumimus? Dicit Daniel: Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei: Ecce dum innumerabilium Angelorum, alij Deo ministrare, alij dicuntur assistere, nullus eorum hîc reperitur in subsellio residere. Cui ergo virtutes Angelicæ trementes assistunt, terreni & corruptibiles homines adstare despiciunt? Et cum Ecclesiasticis illis officijs ritè credatur Angelicam semper adesse præsentiam, dicente scriptura: In conspectu Angelorum psallam tibi: nostrámque vigilantiam, siue desidiam, non modò diligenter attendere, sed etiam superno iudici cuncta per ordinem nunciare; quanto putamus aduersùm nos zelo mouentur, dum in conspectu illius nos irreuerenter sedere conspiciunt, cui scilicet ipsi trementes assistunt.* Hæc Damianus; sua ætate introductam sessionem vehementiùs exagitans: quam nunc tamen, tanti temporis vsu receptam, & quodammodo præscriptam, apud sæculares Clericos potissimùm, benignè permittit Ecclesia: quàmuis eius spiritui, standi ritus, vt fatetur è Soc. Iesu, Aluarezius [a], sit planè conformior.

Quod autem Lorinus postremò proferre è Cassiano li.2.inst.c.5 vt Monachos Ægyptios sedendo psalluisse confirmet, id verè arguit non legisse eum nostram notationem,[b] qua locum hunc explicauimus, ipsumque nobis proculdubio fauere satis ostendimus. Neque enim aliud sibi voluit Cassianus, nisi psallentem stetisse, & non psallentes consedisse. Quod vtrumque suo exemplo docuerat Angelus ille, quem Cassianus narrat, psallendi modum, suo exemplo, Patribus illis Ægyptijs præscripsisse, dum in medio fratrum, quibuscum residebat, Psalmos decantaturus exsurrexit. Eodem etiam modo Cassianum explicat, fortè ex nostris his notis sumens, R. P. Alardus Benedictinus, Cassiani operum diligens explanator. Porrò qui ad Cassianum, & ad Ægyptios Patres expositor ille Psalmorum prouocat, age, ad eos vsque animo & calamo demigremus. Si æquo longior in his fuero, Lorinus in causa est, cui libuit de re neque inter suos sodales controuersa, litem mihi mouere. In primis, de standi ritu per omnem Ægyptum, fidem abundè faciet doctissimus & antiquissimus Alexandriæ Ægypti Presbyter Clemens, qui [c] ait, *Et caput, & manus & totum corpus extendere, erigeréque solitos eos qui psallerent, vt & animum in cælum ijs gestibus eleuarent.* Præterea legat P. Lorinus, siue potiùs meminerit, quòd eum legisse non dubito, Ioannis Cassiani inst. li.2.c 7. habebítque ex eo hæc verba: *Finito Psalmo, quem gloria subsequitur, non statim ad incuruationem genuum corruunt, sed antequam genua flectant, paulisper orant, & stantes in supplicationem maiorem partem horarum expendunt. Itaque post hæc, puncto breuissimo, procidentes ad terram, velut orantes tantùm diuinam Clementiam, cum summa rursus velocitate consurgunt, & iterum expansis manibus, eodem modo quo priùs stantes orauerunt, suis precibus intentiùs immorantur.*

Theodoretus Cassiano æqualis, Orientalium atque Ægyptiorum Monachorũ gesta ritúsque in Opere, cui Philotheus titulum fecit, enarrans,[d] hæc de Zebina, & de Polychronio eius discipulo, tradit. *Postquam autem non permittebat senectus, vt citra modestiam Zebinas stare posset assiduè, sustentaculum ei præbebat baculus, cui innixus, Dominum & laudabat, & orabat.* Subdit autem, Po-

[a] Loco infrà cit.

[b] Pag. 38.

[c] Lib 7. Strom.

[d] Cap. 24.

lychronio noluisse, Monachos alios, cohabitare, tam longam atque assiduam senis stationem imitari non ausos, quamuis Polychronius, vt erat benignissimus, eis, vt decumberent, præcepisset. Idem paulò inferiùs: [a] *Abrahamus Monachus, & simul Carrarum Episcopus, noctu quadraginta Psalmos, quos inter se inuicem loquendo, & respondendo* (hoc est, alternatim canendo) *dicunt, implebat, reliquum autem noctis in sede sedebat.* Ergo dum psalleret, vtique stabat. Et alter Abrahamus Syrus (teste in eius vita B. Ephræmo [b]) puto erecto corpore laudabat Deum, *cùm staret in medio noctis, & psalleret.* Verùm quid clarius exemplo B. Cosmæ Abb. apud Sophronium [c] de se ipso affirmantis, quòd à vespere vsque ad mane, *staret psallens, & legens in cella sua, & in Ecclesia, neque omnino sedens.* Sed & admirare mecum, lector, Elpidij Abb. in statione constantiam. *Illum enim*, teste Palladio [d], *cùm quadam nocte psalleret, scorpio vulnerauit: quo ille calcato, ne spatium quidem, in quo stando fuerat, mutauit.* Ioannes item in Monasterio Apellis apud Ruffinum, [e] & Palladium [f]) *stabat perpetuò orans, nunquam sedens.* Clarissimè autem in vita Iuliani Sabæ, magni apud Euphratem Monachorum parentis, (de quo Theodoretus in Philotheo [g],) standi ritus olim apud Orientales Monachos passim vsitatus habetur *Post auroram*, inquit, *duos simul exire in solitudinem iubebat, & vnum quidem flexis genibus offerre eam, quæ Domino debetur, adorationem; alterum autem stantem Dauidicos Psalmos canere quindecim; deinde vicissim, alterum quidem surgentem canere, alterum autem humi procumbentem adorare, idque à mane vsque ad vespere. Post verò, omnes reuersos in antrum alternatim canere Deo Hymnos vespertinos.* Sic alibi ferè factitatum, idem docet in vita Publij Abbatis [h], nempe, vt oratio succederet psalmodiæ, psalmodia orationi, hoc est, genuflexio stationi, & statio genuflexioni. Puto hæc Antiquorum exempla, & testimonia, non poterit eludere Lorinus neque ab erecti corporis situ, quem clarè significant, ad solam præsentiam corporis detorquere.

Porrò eiusdem Lorini, sacræ Scripturæ amplissimi Expositoris, assidua libris suis incumbentis occupatio fortasse fecit, vt antequam hæc aduersùm nos scriberet, sciscitari neglexerit, stantésne hodie, an sedentes Religiosi plerique Ordines in Odeo psallant. Quocirca amicè subrisi, dum legerem hæc eius viri verba: *Mirum est, præter vnum aliquem Ordinem* (nostrum intelligit) *nullum hodie extare, qui eo situ corporis, aliterve, quàm sedendo, Psalmos in Choro decantet.* Ita ne verò? Atqui vnus hic sanè Ordo, non vnius, sed plurimorum Ordinum, corúmque grauissimorum, & religiosi ritus maximè obseruantium, vallatur exemplo: videlicet Cassinensis, Carthusiensis, Camaldulensis, Cisterciensis, Augustiniani, Carmelitani, Franciscani, Dominicani, vt Clericales Ordines omittam, nempe Canonicorum Regularium [i], Barnabitarum, Minoritarum, qui & ipsi erecto corpore pensum Horarium in Choro persoluunt.

De Cassinensibus, siue Benedictinis Monachis id adeò certum est, vt iam dictus Alardus, loco nuper laudato, ingenuè scripserit, Psalmos Dauidicos in Officijs Diuinis, seu Horis Canonicis, non sedendo, sed stando decantari debere, ad præscriptum nimirum Regulæ S. Benedicti, qui ait [k]: *Ste-*

a Cap. 27.
b Cap. 12.
c Prat. spir. cap. 40.
d Cap 37. Parad.
e Vit. Pat. cap 15.
f Hist. Laus. cap 61.
g Cap 2.
h Philoth. cap. 5.
i Io. Mauburn. direc. Hor. c 2. paragra. ho i
k Cap. 19.

mus ad psallendum; & paulò antea dixerat, *Ad diuinum opus assistimus.* Per diuinum autem opus, solemne est D. Benedicto sacram psalmodiam intelligere: & meritò quidem; eâ enim Deus, *magnum scilicet illud*, vt Augustinus loquitur [a], *& vberrimum prædium*, quotidiano opere colitur. Et verò vidi ego, tum in Cassinensi nobilissimo Cœnobio, tum alibi religiosos illos Patres strenuè ad multas horas perstare erecto corpore, dum psallunt: quod & Camaldulenses, Cistercienses, Cœlestinos, aliósque nonullos Benedictinæ magnæ Arboris ramos, eos videlicet qui antiquum Regulæ vigorem & vigorem seruant, impensè facere certum est. Idem dico de Carthusiensibus; idem de Augustinianis, Carmelitanis, & Franciscanis maximè reformatis. Dominicanos autem hodie alternatim stare scio: olim verò dum psallerent, stetisse omnes, significare videntur B. Vincentij verba in suo de vita spirituali tractatu, cap. De modo habendo in Somno, & Vigilia: omnibus enim dicit: *Pulsatis igitur Matutinis, & factis venijs & inclinationibus, psallendo sta super pedes tuos, non appodiatus, sed corde & corpore sta viriliter coram Deo tuo, & ipsius laudes cum omni alacritate decanta, recogitans, quòd sine dubio sancti Angeli sunt præsentes.* Hactenus B. Vincentius. Ego verò antiquum illum ritum sic laudo, vt recentiorem non reprehendam. Denique Emmanuel Saa ex Soc. Iesu, explicatè narrat, ritum hunc standi in publicis sacris Officijs, & psalmodia, hodie seruari à Græcis, ijs etiam, vt alij mihi retulerunt, qui schismate ab Ecclesia Romana diuisi, suas synaxes peragunt. Omnes igitur propemodum Ecclesiæ, Monasteriáque Græcorum, quæ in Oriente & Occidente extant innumeræ, nostro Ordini in hoc standi ritu conformes sunt, vt proinde nequaquam vereamur, posse Lorinum, aut quempiam alium, nobis impingere singularitatis notam. Immò ingenuè testatur Aluarezius è Societate Iesu Sacerdos, [b] *Standi ritum spiritui Ecclesiæ*, hoc est, vniuersalis Ecclesiæ placito, esse conformiorem Porrò plures huic syllabo addere equidem possem, si diligentiùs omnes religiosos cœtus Christiani orbis exquirerem; sed hi, quos adduxi adeò sufficient sincero Lectori, vt verear, ne in re manifesta, nimis multos videar adduxisse.

Quòd verò cùm à fratribus compellamur, aut alter alteri occurrimus, respondemus, *Deo gratias*, psalmodiæ quædam continuatio est. Quocirca videtur hic locus è vetustate hanc etiam formulam eruendi. Re vera non hominum est humi degentium, sed cælestium spirituum perpetua Dei laudum celebritas. Non imbecilles cùm æmulari cælites, aut integris assequi vestigijs non valeamus, identidem nihilominus duo ista verbula, *Deo gratias*, proferimus, vt hoc saltem modo diuini Numinis recordemur. Idem sibi volebant Bethleemiticæ Virgines, quæ, B. Hieronymo teste [c], sub hac formula, & quasi tessera, *Alleluia*, ad psalmodiam congregabantur. Idem faciunt Deo dicatæ Virgines, quæ hodie in Monasterijs pro *Alleluia*, dicunt, *Aue Maria*, formula autem, *Deo gratias*, qua nos vtimur, antiqua est, & ab Augustino vsurpata. *Hi*, inquit, [d] *insultare nobis audent, quia fratres dum vident homines, Deo gratias, dicunt. Debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem suum: non enim non est locus gratulationis, quando se inuicem vi-*

[a] Tract. 1. ad Cleric.

[b] To. 2 lib 3 p. 5. sect. 1 cap. 5. paragrapho Situs.

[c] In Epitaph. Paulæ.

[d] In Ps. 132.

dent, qui habitant in Christo? Nam quid melius (inquit idem Augustinus, Epist. 77.) *& animo geramus, & promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc nec dici breuiùs, nec audiri latiùs, nec intelligi grandiùs, nec agi consultiùs potest. Deo igitur gratias.* Tametsi antiquius videatur, quod tradit Clemens Alexandrinus [a], Priscos scilicet Christianos, dum se inuicem salutarent, dicere solitos, *Pax tibi*, huiusmodi ritum à Christi Domini salutatione, vt arbitror, deriuantes; quemadmodum illud, *Deo gratias*, à Deipara Virgine fluxisse ad posteros, elicitur ex D Bonauentura [b]. Huc etiam spectat, quòd Sanctissimus Pontifex Paulus Quartus, alijque nonnulli graues nostri Ordinis Patres, allocutiones ad fratres his verbis auspicabantur, *Benedictus Deus*: vtique eiusmodi formulam sumpsit Paulus è Chrysostomo, cui ille fuit addictissimus: fatetur enim Chrysostomus [c] se ea verba ferè semper habuisse in ore.

a Pæd. lib. 1. c. 2.

b In vita Christi.

c. Hom. 12. post red. ab exilio.

XI. Dum quis in medio Choro stans, &c.

Idem mos erat Ægypti Monachis, vt testatur Cassianus, [d] his verbis: *Quotidianos orationum ritus volentibus celebrare, vnus in medium Psalmos Domino cantaturus exsurgit: cúmque sedentibus cunctis vt est moris nunc vsque in Ægypti partibus, & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, &c.* Itaque è ritu prisco est, vt quotiescunque vnus legit sacram Scripturam, Sanctorum vitas, Martyrologium, & huiusmodi cætera, ipse quidem lector stando legat, reliqui omnes sedendo auscultent. Hinc in medio Choro stantes, dicti sunt Μεσοχοροι, quorum aliquando S. Sidonius meminit.

d Lib. 2. Inst c. 5.

XII. In Missis solennibus ne sedeant.

Ritus nobis ob breuitatem nostri cantus peculiaris. Cæterorum enim Ordinum Sacerdotes, dum solenne sacrificium peragunt, Choro interim concinente, sedent vnà cum Ministris ad læuam Altaris, tum ad Epistolæ lectionem, tum ad Hymnum, *Gloria in excelsis Deo*; tum etiam ad Symboli Nicæni solennem pronunciationem. Id quidem tametsi ritè fiat, & ex præscripto Missalium librorum; nos tamen habemus veteres aliquot, quorum clypeo nostrum hunc morem tueamur. Græci enim (vt tradit Micrologus [e]) ad Epistolæ lectionem non sedebant. Nec Latini dum caneretur, *Gloria in excelsis*: vt elicitur ex ordine Romano [f] quo libro leguntur hæc verba: *Incipit solus Pontifex clara voce Hymnum, Gloria in excelsis Deo, cùm tempus fuerit: deinde verò totus respondet Chorus, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et non sedet priùs Episcopus, antequam dicat post Orationem primam, Amen.*

e De Eccl. obseru c. 9.

f Cap. 1.

XIII. Nulla nos musica, &c.

Musicos canendi modos in Ecclesijs plerisque antiquitus receptos, ac laudabiliter institutos nemo vnquam negauerit. Dici enim vix potest, quanta ijs insit vis ad emollienda atque excitanda corda. Id expertus fuerat S. Augustinus, cùm dixit: [g] *Quantùm fleui in Hymnis, & Canticis tuis, suaue sonantibus Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter: Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua*

g Conf. lib. 9. c. 6.

in cor meum, & ex ea aestuabat affectus pietatis, ac currebant lacrymae, & bene mihi erat cum eis. Hæc ille recens Christo natus, & lactis indigus. Tamen, vt verum fatear, huiusmodi cantillationes, canorásve fistulas, tum demum Christi Ecclesia recepit, cùm timuit, ne teneræ aliquot fidelium mentes hæreticarum cantionum mulcedine inescatæ, à recta fide desciscerent. Id veteris Ecclesię historia manifestum facit. Nam, vt tradit Nicephorus [a], *cum iam per tria à Christo nato secula simplex cantus, siue potiùs recitatio, nullo modulationis fuco permixta, Christi populos nutriuisset; ecce tibi Harmonius quidam Bardesani Haeresiarchae haereticus filius, mali corui malum ouum, cùm sua praua dogmata musicis numeris includeret, & multi ex Syris propter verborum venustatem, & sonoram suauitatem, demulsi, paulatim haereses imbiberent; B. Ephrem, ea re cognita, carmina Catholicam Fidem resonantia veneficis Harmonij versibus opposuit, clauo scilicet clauum trudens. Ea itaque suaui vocum sonorúmque flexu accommodata Syris audienda praebuit, & canenda. Ab eoque posteriores Ecclesiae Cantores, modulorum formulas mutuati, magis atque magis eas auxerunt, & propagarunt.* Hæc ijsdem penè verbis Nicephorus. Non ita multo pòst Flauianus [b] Antiochiæ, Chrysostomus [c] Constantinopoli, Ambrosius [d] Mediolani, musicos canendi modulos admittere sunt coacti aduersùs virulentas hæreticorum cantilenas. Imò si rem altiùs repetamus, reperiemus etiam veteri Hebræorum Synagogæ fuisse permissa instrumenta musica, vt Iudæi ab Idolorum fanis, vbi talium illecebrarum erat vsus, auocarentur; quemadmodum Theodoretus Cyri Episcopus abundè testatur [e]. Permissa est itaque musica modulatio, non iniuncta, aut præcepta: quippe lacti similior, quàm solido cibo, ac proinde non necessitati seruiens, sed honestæ voluptati. *Scriptorum diuinorum* (inquit Dionysius [f]) *& cantus, & lectiones, eos quidem, qui minùs perfecti sunt, obstetricum instar fouent, & educant ad vitalem adoptionem.* Et Augustinus ipse, alioqui sacræ musicæ addictissimus, apertè fatetur [g] se idcirco probare suauem & harmonicum Ecclesiæ concentum, *vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis exsurgat.* Idipsum S. Basilius dixerat, sed alijs verbis: *Quando*, inquit, [h] *Spiritus Sanctus nos vidit agrè persuaderi ad complexum virtutis, ac proinde ad ineundam vitae rectitudinem propter hoc lentescere, quòd toti ad consectandam voluptatem propenderemus, quid fecit? nimirum scripturae suae dogmatibus mixtim inspersit concinnam istam numerorum modulationem, vt auribus permulctis ac delinitis, medio vocum concentu, clam velut aliud agentes sineremus in animos nostros irrepere eloquiorum vtilitatem.* Pleraque in hanc eandem sententiam habent Chrysostomus [i], Seuerinus Boetius [k], Amalarius Fortunatus [l], atque alij complures: vt proinde mirum non fuerit, quod Autor responsionum ad quæstiones Orthodoxorum [m] tradit, *consuetudinem canendi in Ecclesia per instrumenta inanima sua aetate sublata fuisse, & retentas simplices cantiones: eo quòd cantilena ad crepitacula & organa non viderentur decere Ecclesiam.* Et ab eadem mente est illud Augustini [n], tradentis, sua opera, citharam ab Ecclesiastica modulatione fuisse proscriptam; tanta antiquis Patribus temperandæ musicæ & ad modestiam grauitatémque redigendæ inerat cura. *Non est enim* (inquit B. Bernardus)

a Hist. l. 9. c. 16.
b Cassiod. l. 5 c. 32.
c Georg. in vita Chrys.
d Aug. Cõf. l. 9 c. 7.
e In Ps. 50.
f Eccl. Hier. c. 6. Theor. 2.
g Conf. lib. 10. c. 33.
h Hom. 1. in Psal. 1.
i Præf. ad Psal. 41.
k De Musica.
l Lib. 3. de Off. Missæ c. 11.
m Quæst. 107.
n In Ps. 132, Conc. 1.

nardus) *lenis iactura gratiæ spiritualis, lenitate cantus abduci à* (sacræ Scripturæ) *sensuum vtilitate, & plus sinuandis intendere vocibus, quàm insinuandis rebus.* Quòd si legas, Sergio Pontifice, Organa hydraulica & pneumatica in Latinam Ecclesiam recepta, grauiores tamen Basilicæ, atque ipsa in primis Vaticana, coram summo Pontifice eiusmodi inanima instrumenta nequaquam admiserunt. Et S. Thomæ Aquinatis ætate, aut nullum, aut rarissimum extitisse in sacris ædibus vsum organorum, ex ipsiusmet Beati Thomæ verbis elicit Caietanus [b], docétque tolerari nihilominùs posse consuetudinem Organorum, propter nimiam elongationem hominum à Diuino cultu, vt vel sic allecti Diuinis intersint. Patres igitur, nostri Ordinis moderatores, primæuæ ac seuerioris Ecclesiæ exempla sectati, huiusmodi vocum aut sonorum modulatos flexus à nostris Odeis iure ac meritò excluserunt, non quidem ob id, quòd se aut nos iam perfectos existimarint, sed quòd per hasce cantillationes, & chromaticos flexus, bono quidem, & magno temporis dispendio à grauioribus nos studijs auocari facilè posse, & nostræ Professioni simplicem alium cantandi modum magis congruere censuerint. Idem consilium Brigittano Ordini indidit Christus ipse: *Quamuis*, inquit [c], *bonum & suaue sit audire Organa, nec bonis moribus sit contrarium, nullatenus tamen in Monasteria Matris meæ habeantur: quia ibi debet esse certa deductio temporum, grauitas cantuum, puritas mentium, cultus silentij, continuatio Verbi diuini, & præ omnibus humilitas vera, & obedientia sine mora.* Hæc de musicis modulationibus dicta sufficiant.

Verum enimuero simplex Cantio, atque æquabili vocis tenore prolata, adeò miscet cum pura suauitate grauitatem, vt nihil nobis opus sit aliorum operosis modulis inuidere. Ea siquidem, si antiquitatem spectes, ab Apostolorum tempore fuit in vsu Ecclesiæ, vt S. Isidorus clarissimè testatur. *Primitiua*, inquit [d], *Ecclesia ita psallebat, vt modico flexu vocis faceret psallentem resonare, ita vt pronuntianti vicinior esset, quàm canenti.* Apostolos secuti sunt primi illi Ægypti Patres, eosque teste Cassiano, [e] dum de psallendi modo psalmorúmque numero ambigerent, & varias ipsi super hac re sententias proferrent, *ab Angelo edoctos fama est, vt duodecim Psalmos parili pronunciatione, & simplici vocis tenore deinceps, vt ipse cecinerat, canerent.* Qui mos non in Monasterijs modò, sed etiam in Cathedralibus Ægypti Basilicis diu viguit. Nam de Alexandrino Patriarch*io*, ita scribit S. Augustinus; [f] *Tutius mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpè mihi dictum commemini: qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem, vt pronuncianti similior esset quàm canenti.* Hæc ille. Eundem seruasse canendi ritum Ecclesias Africanas Catholicas, significat idem S. Augustinus alio loco: *Ad suauem* (inquit [g]) *& modulatam melodiam pleraque in Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt: ita vt Donatistæ nos reprehendant, quòd sobriè psallimus in Ecclesia diuina carmina Prophetarum.* Simplicem item sobriamque huiusmodi cantionem autor Responsionum ad Orthodoxos, quæ Iustino Martyri tribuuntur [h], & S. Io. Chrysost [i]. mirificè laudant. Neque verò dubitent nostri, ne cantu æquabili, & puro, atque ab instrumentis musicis alieno, minùs Deo, Diuísque placeant, dummodo diligenter curent,

[b] In 2. 2. q. 91. art. 2.

[c] In Regula S. Brig.

[d] De Eccl. off. l. 1. c. 5.

[e] Inst. l. 2. c. 5.

[f] Conf. l. 10. cap. 33.

[g] Epist. 119.

[h] Quæst. 107. ad Orthod.

[i] Hom. de Monach. to 5. & Hom. 14 in Ep. 1. ad Timot.

Vt spes canenti sufficiat modos,
Et verba dictet nil trepidans Fides:
Ardentis vsque & fax Amoris
Temperet expediatque vocem.

Diuinas enim laudes, vt cum S. Sidonio dicam [a], in veris Dei amatoribus,

Quas leues chordæ nequeunt sonare,
Corda sonabunt.

a Lib. 9. Ep. vlt.

Itaque finiam Notationem istam cum aureis Chrysostomi verbis: *In hac*, inquit, (simplici nimirum, de qua loquitur,) *psalmodia quod quæritur, est solida anima, mens vigilans, cor compunctum, valida oratio, expurgata conscientia. Si hæc habens ingressus fueris sanctum chorum, propter ipsum Dauid stare poteris. Hîc non est opus cithara, neque neruis extensis, neque plectro, nec arte, nec vllis instrumentis: sed si velis te ipsum efficies citharam, cùm carnis membra mortificaueris, & anima cum corpore pulchrum concentum effeceris.*

XIV. Conemur autem, vt scribit S. Bernardus, purè semper & strenuè diuinis interesse laudibus. Idipsum docuit S. Isidorus Hispalensis: *Vox*, ait [b], *Psalmistæ non aspera, vel rauca, vel dissonans, sed canora sit, suauis, liquida, atque apta, habens sonum, & melodiam sanctæ Religioni congruentem, non quæ traducem exclamet artem, sed quæ Christianam simplicitatem in ipsa modulatione demonstret: non quæ musico gestu, vel theatrali, artem redoleat, sed quæ compunctionem audientibus magis faciat.* Hactenus Isidorus. Christus verò ipse B. Brigittam alloquens, ostendit, qualis debeat esse Religiosorum hominum cantus. *Cantus*, inquit [c], *non sit remissus, non fractus, non dissolutus, sed honestus, & grauis, & vniformis, & per omnia humilis.*

b Eccl. off. l. 2. c. 12.

c Lib. Extrau. Reu. cap. 4.

XV. Non parcentes vocibus. Id ita intelligendum est, ne tædio affecti, aut somno debilitati, tenuem & intermortuam vocem emittamus. Non vult autem hoc loco S. Bernardus, vt inconditis clamoribus, acutóque stridore nos inuicem offendamus. Neque enim à Christo Bernardus dissentire potest, vt paulo antè retulimus, dicente; *Cantus honestus sit, & grauis, & vniformis, & per omnia humilis.* Alioqui Stentoreæ illæ voces, quàm indecoræ sint, & deuotionis affectui aduersæ, nemo arbitror, non videt; peccat tamen in ea re non nemo, seséque, auditorésque, & parietes ipsos, aut acuto stridore transfigunt, aut immani clamore concutiunt. Audiant isti, quæso, quid Concilia Patresque scriptum reliquerint. Trullana Synodus [d]: *Eos in Ecclesiis cùm ad psallendum ascendunt, volumus nec inordinatis vociferationibus vti, nec naturam ad clamorem vrgere, nec aliquid eorum quæ Ecclesiæ non conueniunt, facere: sed cum magna attentione & compunctione, psalmodias Deo, qui est occultorum inspector, offerre.* Concilium Aquisgranense sub Ludouico Pio [e]: *Psalmi in Ecclesia non cursim, & excelsis atque inordinatis, & intemperatis vocibus, sed planè, & dilucidè, & cum compunctione cordis recitentur, vt & recitantium mens, illorum dulcedine pascatur, & audientium aures illorum pronunciatione demulceantur. Quoniam*

d Can. 75.

e Can. 137.

quamuis cantilena sonus in alijs officijs excelsa soleat edi voce, in recitandis tamen Psalmis huiusmodi vitanda est vox. Gerson etiam tract. de mystica Theologia practica [a], videtur sentire huiusmodi altisona rarò conferre ad spiritualem profectum: Sanctum verò Augustinum, non canticis altisonis, sed suauesonantibus Ecclesiæ vocibus ad effectum deuotionis, fletúmque, commotum fuisse. B. autem Florentij, Clericorum Regularium Conditoris, cuius suprà meminimus, clarior est de hac re sententia: *Altus cantus,* inquit [b], *conturbat caput, & sensum ac deuotionem extinguit.* Quocirca appositè huc facit dictum Chrysostomi [c]: *Vna in re dumtaxat vtilis est vociferatio, nempe in prædicando & docendo, alijs in rebus nequaquam, neque in precationibus etiam.* Et ante hos omnes S. Cyprianus luculenter dixerat [d], *Sit orantibus sermo, & precatio cum disciplina, quietem continens, & pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare. Placendum est diuinis oculis, & habitu corporis, & modo vocis. Nam vt impudentis est, clamoribus strepere, ita congruit verecundo, modestis precibus orare. Et quando in vnum cum fratribus conuenimus, & sacrificia diuina cum Domini Sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus. Non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem, commendandam modestè Deo tumultuosa loquacitate iactare, quia Deus non vocis, sed cordis auditor est: nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt: prouocante Domino, & dicente: Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, & corda. sonet Psalmus, conuiuium sobrium sit nobis spiritualis auditio, prolectet aures religiosa mulcedo.* Ambrosius item non secus, ac Cyprianus, psallentes instituit his verbis [e]: *Ipsum vocis sonum libret modestia, ne cuiusquam offendat aurem vox fortior. Denique in ipso canendi genere prima disciplina verecundia est, immo etiam in omni vsu loquendi, vt sensim quis aut psallere, aut canere, aut postremò loqui incipiat, vt verecunda principia commendent processum.* Duo itaque Nostri strenuè diligentérque seruent, velim, vt siue præcinant, siue succinant, siue per vices canant, vocem semper æqualem, nec nimis acutam edant. Meam, si hæc fecerint, adstringo fidem, de nostra etiam psalmodia dictum iri id quod Chrysostomum [f] de suorum Monachorum simplici cantu dixisse commemini. *Neque cithara, neque fistulæ, neque aliud musicum instrumentum talem emittit vocem, Qualem audire licet, sanctis cantantibus illis.*

[a] Cap. 5.
[b] Vit Florentij, c. 5.
[c] Hom. 15. in epist. ad Ephes.
[d] Serm. 6. de Orat. Domini.
[e] Lib. 1. off. c. 18.
[f] Hom. 59. ad pop.

XVI. Simul incipiamus, simul desistamus; commodam medijs versibus pausam faciamus.

Idem habet Constitutio Ecclesiæ Gallicanæ, his verbis: [g] *Laudes diuinæ per singulas horas non cursim ac festinanter, sed tractim, ac cum pausa decenti, præsertim in medio cuiuslibet versiculi, debitam faciendo inter solemne ac feriale Officium differentiam, reuerenter ab omnibus persoluatur.* Huc etiam faciunt versiculi aliquot [h], rudes illi quidem, sed qui eruditis quoque viris debeant valde placere:

> *Psallite deuotè, distinctè, membra tenete:*
> *Vocibus estote concordes, vana cauete;*

[g] Apud Nau. Tr. de sil.
[h] Apud Posseu. Bibliot. l. 4. c. 14.

Nunquam posterior versus prius incipiatur,
Quàm suus anterior perfecto fine fruatur:
Qui Psalmos resecat, vt verba Dauidica curtat,
Non magis inde feret, quàm si sua lingua taceret.

XVII. Præpositi quàm maximè poterunt singulis horis Canonicis cum alijs in Choro recitandis intersint, &c. Id seruabat Chrysostomus, vir alioqui assiduis Constantinopolitanæ Ecclesiæ negotijs curisque occupatissimus. De eo namque hæc refert Proclus [a]: *Ceteris omnibus negotijs hasce prafert laudes, quibus interest assiduè in oratione adusque diluculum.* Licèt alioqui, vt tradit Georgius Alexandrinus, *adeò in obeundo munere Episcopali esset detentus, vt per obliuionem nonnunquam ad vesperam vsque permaneret incibatus.* Domesticum verò huius sanctæ obseruationis exemplum præbuit nobis piissimus noster Pater Ioannes Marinonius, domus S. Pauli Præpositus, qui senio licèt laboribúsque confectus, & prædicationibus verbi Dei, atque audiendis pœnitentium confessionibus sæpissimè implicitus, raró tamen à diuinis Officijs aberat. Dum verò canebat, vidisses hominem, voce, vultu, affectu adeò vehementer ad cælestia raptum, vt non humanis, sed Angelicis immixtum choris credidisses.

a Apud Geor. Alex.

XVIII. Neue quis remissionem quampiam à diuinis Officijs assumere audeat. Huic Constitutioni affine est decretum Concilij Venetici: *Clericus, qui matutinis Hymnis, sine probabili excusatione ægritudinis, inuentus fuerit defuisse, septem diebus à communione habeatur extraneus: quia Ministrum sacrorum, eo tempore quo non potest ab officio suo vlla honesta necessitas occupare, fas non est à salubri cessare.* Vide hìc, mi Lector, veteris Ecclesiæ seueram disciplinam, potissimùm in Diuino cultu procurando. Meritò igitur in Præmonstratensi Canonicorum cœnobio S. Mariæ ad Nemus, referente Seruatio [b], scriptum erat literis maiusculis in ipsis Refectorij foribus: *Tria sunt, cum quibus Religiosus non potest perire, deuota Horarum recitatio; Frequens peccatorum confessio, & quotidiana Missæ celebratio.* Imitemur igitur veterum studium, & stadium decurramus strenuè, atque, vt vates ille hortabatur [c], quisque nostrûm.

b Optices fol. 58.

c Prud. Præf. ad Cathem.

Saltem voce Deum concelebret: si meritis nequit,
Hymnis continuet dies:
Nec nox vlla vacet, quin Dominum canat
Carmen Martyribus deuoueat, laudet Apostolos.

XIX. Nisi cui, vt Studiis, aut Lectioni, aut Prædicationi operam det, sit aliqua concessa potestas. Id prudenter dispositum, & exemplo priscorum patrum. Lego enim [d], B.

d Vita S. Mart c. 7.

Martinum, Monasterium suum ita instituisse, *vt minorem ætatem deputaret literario scriptorióque operi: maiores interim orationi vacarent.* Et in vita S. Vuolphangi Episcopi Ratisbonensis: a *Iuniores voluit S. Præsul scholæ studijs interesse, seniores, psalmodiæ, lectioni, orationi vacare.* Si igitur non tam assiduè atque senes, adolescentes psalmodiæ vacabant, vtique exemptos aliquantisper iuuenes extitisse, necesse est intelligere, vt studijs interim litterarum darent operam. Vtrumque scilicet commodè præstabant antiqua Religiosorum hominum Collegia, sacram psalmodiam litterarum studijs, confitentium auditionibus, & id genus actionibus intermiscentes.

a Cap. 10.

XX. Si quis ad Horas Canonicas, postquam fuerint incœptæ, venerit, &c.

Cassianus b refert, Ægyptios Patres, eum qui tardiùs ad sacram synaxim accessisset, punisse non leuiter: *Si quis*, inquit, *ad congregationem solitam tardiùs occurrerit, cunctis in synaxi fratribus congregatis, tandiu prostratus in terram veniam postulabit, donec orationum solemnitas consummetur, impetraturus eam cùm iussus fuerit, Abbatis iudicio, à solo surgere.* Spatium verò, intra quod quisque ad Odeum venire debeat, pænè tantundem apud priscos erat, atque apud nos. Subdit enim Cassianus c; *Qui in Tertia, Sexta, vel Nona, priusquam Psalmus cœptus finiatur, non ad orationem concurrerit; in nocturnis verò conuenticulis, qui vsque ad secundum Psalmum, eidem proculdubio increpationi ac pœnitentiæ, quam prædiximus, subiiciendum, si vltra præstitutam dilationis horam, vel modicum tardet.* Sed eiusmodi indulgentiore lege nunquam vsus est piissimus ille senex Ioannes Marinonius noster. Is enim (vti sæpissimè ab eius discipulo Gregorio Florellio Presbytero narratum audiuimus) ad primum æris Campani tinnitum prodibat è cellula. Cùm autem mirarentur vicini, quî fieri posset, vt adeò celeriter sese è lecto excuteret, vestibúsque indueret, certis indiciis repererunt illum vestitum se quieti tradere, & post somniculum exsurgere consueuisse. Nimirum didicerat id quod sapiens ille Iudæus docuit, *Oportet, eos qui aliquid boni faciunt, prouolare ante alios, & incunctanter amoliri impedimenta omnia. Est autem optimum opus, summi illius, primariique Boni placatio.*

b Inst. l. 3. c. 2. & lib. 4. c. 16.

c l. 3. Inst. c. 7.

XXI. Donec Superior surgendi fecerit signum.

Scilicet complosis manibus, aut tabulæ pulsu, vti antiquitus fieri consueuerat. Cassianus d; *Psallentis progressio, Senioris interciditur plausu, quem dans manu sua in sedili, quo sedet, cunctos facit ad audiendum consurgere.* Itaque eiusmodi etiam signo iubebantur pœnitentes à solo surgere: de quo paulò superiùs ex eodem Cassiano dictum est.

d Inst. lib. 2. cap. 2.

Ceterùm Religiosi hominis partes sunt, non solùm, non tardè, hoc est, cœpta iam psalmodia, ad Odeum accedere, sed maturo etiam accessu præuenire, vt videlicet præparemus corda nostra Domino, eáque cymbala bene sonantia faciamus. Quid verò præmeditari debeamus, Chrysosto-

mus docet: *Quando*, inquit e, *ad Deum accedimus, id esse existimemus Theatrum, sed ex vniuerso orbe terrarum, vel potiùs ex supernis populis collectum, & cælestem Regem in medio sedere, qui vult nostram audire orationem, & faciamus vt res sit comparata ad demonstrationem. Nullus sit citharœdus, nullus lyricen, qui ita se praeexerceat scenam ingressurus, timens ne quid insuaue & inconcinnum canat. Ita & nos ingressuri theatrum Angelorum; plectrum autem sit nobis lingua, &c.* Bene igitur inter nos vsus obtinuit, vt per tertiam horæ partem antequam psallere incipiamus, Odeum ingressi, fixis humi genibus, ad Deum, quem laudare statuimus, corda leuemus. Verissima enim est Hugonis Victorini sententia; a *Nulla potest esse perfecta oratio, quam meditatio non praeuenerit.* S. Macarius Abbas docuit orationem à quiete mentis inchoandam, vt prior animus spiritualibus diuitijs augeatur.

e In Psal. 4.

a Tract. de Orat.

Quoniam in superioribus Notis plura de psallendi ritu disseruit Pater Caracciolus, non abs re visum est Apologias duas de scopo Institutæ psalmodiæ, *non semel ab eodem seorsim typis editas, ad calcem primi Capitis apponere. Iuuat enim colligere praenobilis calami fragmenta, ne pereant, cùm maximè ab his, veluti lacinijs, tænijsque, non ineleganis ipsi Operi cultus possit accedere: locumque istum videntur hæc iure deposcere. quippe quæ eiusdem materiæ cùm sint, pulcherrimam synopsin graphicè exornabunt, cognatumque splendorem ab eâ mutuabuntur.*

APOLOGIA PRIMA.

Antonij Caraccioli Clerici Regularis

Ad illustrissimum Cardinalem Baronium Epistolæ fragmentum.

IAM parabam obsignare literas: & cùm hac me opella defunctum putarem, occurrit animo, quod hoc se loco præbeat aliqua censura notandum. Gregorium de Valencia, virum, & suo ipsius nomine, & suæ societatis claritudine conspicuum, multum esse de sacris litteris, multum de Catholica Religione promeritum, nec me latet; & scit vna mecum non vna orbis Regio. Verùm, dicto venia sit, id quod aduersus hymnodiam in plerisque sacris Ordinibus, perpetuo ritu sancitam, ausus est scribere, nollem equidem, aut à se vnquam scriptum, aut à me vspiam lectum. Scripsit ille tamen: quod cùm eum protulisse non pigeat, certè me (spero, & confido) retudisse non pœnitebit. Mitto multa, quæ tota illa sectione postrema tertij voluminis Theologici, acerbiusculè docuit, & velut semina sparsit non bonæ frugis. Plura sunt, in quæ lector offendet, passim obuia. Ego eò me transfero, vbi aperta eius verba pectus mihi lancinant & bilem cient. a. *Si quando*, inquit, *in aliquo ordine similis Chorus introductus est, causa videtur fuisse, vt inepti ad alia ministeria spiritualia, in his occuparentur.* Hoc est (suo sensu)

a Tom. 3. Theol. art. vlt.

vt tempus quod alioqui totum stertentes, torpidique contererent, in his impliciti homines ignauissimi, vitam, diemque, cantilando traducant. Quæ si sic habent, profectò Dominicus & Augustinus, minùs considerate in suam vterque familiam psallendi ritum, (rem videlicet, si Valentino creditur, concionandi, docendique muneri repugnantem) firmis legibus inuexit. Et imprudens Chrysostomus, quem referunt [a] cæteris omnibus negotijs diuinas prætulisse laudes, quibus assiduè intererat, ad vsque diluculum. Et Ignatius ferè dixerim inertissimus [b], qui raptus in ecstasim Hymnos nobis Antiphonos ex Angelica visione contradidit. Et primigenia illa [c] Christianorum cohors ignauissima, quam nulla persecutionis procella, ab metu canendi instituto potuit absterrere. Quin, & Hierarchia Dionysij, perperam ordinata [d], qua Choro Clerici, sacrisque concentibus cernuntur addicti. Et Therapeutæ futiles, ac immerito à Philone laudati [e], qui Hymnos à se compositos, inter sacra mysteria stantes, intentique promebant. Denique & Apostoli ipsi nimiùm inconsulti, qui Mundo, Euangelij præceptis imbuendo destinati, Psalmos tamen, & liturgicas preces, prolixè promptéque canebant: Hæsitas? authorem aduoco, & cito vetustum, magnum: & quem tu Gregori, velis, nolis, magnifacias [f]. Is est Proclus Augustæ Vrbis Patriarcha, Chrysostomi Anagnostes, & successor. Postquam (inquit) Saluator noster in Cælum assumptus est, Apostoli priusquam per omnem terram dispergerentur, conspirantibus animis, conuenientes, ad toto die orandum conuertebantur: & cùm multam consolationem in mystico illo Dominici corporis sacrificio positam, inuenissent, fusissimè & longa Oratione Missam decantabant. Hæc enim diuina sacra, vnà cum docendi ratione coniuncta, cæteris rebus anteponenda existimabant. Itaque, mi Gregori, quæ tu inuicem pugnare credis, ea ipsa, nempe docendi onus & psallendi munus, velut mirificè conspirantia Apostolica illa pectora coniungebant, & tamen non erant ij dum carmen inter sacra Christo canerent, otiosi; sed conuertendis Palæstinis impliciti, sed roborandis fidelibus occupati, sed grassante Iudæorum rabie vndique diuexati. Nec Therapeutæ primores illi Monachi, ab opere vacui, quos Philo narrat [g] totos se se diuinæ legis studio tradidisse, & attentos ad disciplinarum scientiam, plerosque vix tertio quoque die famem sensisse, canticis interim [h], solantes inediam. Ab his Alexandrina Academia, id est, Euangelicæ doctrinæ seminarium, Marco Authore, stabilita [i], Pantænos, Clementes, Petros, Athanasios nobis protulit, & Origenes. Neque verò Dionysius otij scholam struebat, cùm Ecclesiasticæ militiæ classes instruebat. Nec Ignatius ineptos tantùm ad alia ministeria Antiphonum carmen edocuit [k], sed cunctos vbiuis gentium Dei, sacrorumque ministros, siue in antris degerent, & cauernis terræ, siue in solitudinibus semoti à turbis, monasteria inhabitarent, siue populos pace Ecclesiæ reddita, erudirent. Iam primitiuos Christi discipulos otio deditos, aut cura vacuos non crediderim, per quos [l] Plinius refert. (Desolata idolorum tem-

a Geor. Alexan in vita Chrysost.
b Socra. hist. lib. 6. cap. 8.
c Plin. in Epist. ad Traianum 97.
d Eccles. Hierar. c. 3.
e De vita contempl. p. 3
f De tradit. diuinę Missę. tom. 4. Biblioth. SS Patr. vet. edit.
g De vita contempl. p. 3
h Euseb. lib. 2. c. 15. 16.
i Euseb. lib. 5. c. 10. & Hier. de script Eccles.
k Socrat. hist lib. 6. cap 8.
l Epistola 97. ad Traianum.

pla, & sacrilega illa solemnia, multum conqueritur intermissa.) Neque Chrysostomus, aut insolens eloquendi, aut insuetus prædicandi, aut sacris operibus ineptus, dum Choro se se addiceret, & cælestibus canticis noctu, diuque, penè dixerim, manciparet, quem tot Ecclesiarum sollicitudo vexabat, quemque [a], scribunt, in Ecclesiasticis munijs adeo distentum, vt per obliuionem nonnumquam ad vesperam vsque permaneret incibatus. [b] Neque Augustini sodalitas male feriata, è quorum cętu tam multi doctrina & prædicatione præclari Mundo, & Cælo innotescebant. Denique Dominici familiam, quis iure dixerit aut opere solutam, aut sanctis operibus ineptam, quæ à verbo Dei explicando, euulgando, pectoribus inserendo, nobile illud Prædicatorum cognomentum adepta est? Patet igitur mi Valentine, hæc omnia, dum ea tam adynata sustineres, ex animo excidisse tuo. Alioquin virum serio doctum, & verè Catholicum isthæc ignorare potuisse quis credat? Quamquam si datur vllum iustum iniustæ causæ patrocinium, fortassis ignoscendum homini, qui vt suam sodalitatem, quam alibi [c], minimam vocitat, ipse eo commentario maximam, & (si Deo placet) aliarum formam, & normam constituat, harum rerum, quæ optimè callet homo doctissimus, in tantam cæterorum ordinum perniciem obliuiscitur.

[a] Geor in eius vita.
[b] Possid. in vita August. cap. 11.
[c] Tom. 1. Regul. c. 1.

APOLOGIA ALTERA.

ADM. REVERENDO PATRI MAGIST.

FR. DIDACO GRANERO

DOMINICANI ORDINIS

Sacerdoti Theologo, eruditione, & pietate venerabili.

D. Antonius Caracciolus Clericus Regularis salutem dico.

PETIIT à me Franciscus frater, & identidem flagitauit, vt Apologiam meam de scopo institutæ psalmodiæ iterata dissertatione corroborarem. Fore id pergratum sibi, gratissimum tibi apud quem conceptæ de nobis existimationi quoquo modo firmandæ conducibile fuerit specimen aliquod extare nostri, vel ingenij, vel amoris. Equidem tametsi lacrimis scribendo (qui meorum oculorum vetus est morbus) extillem: reniti tamen non possum, non debeo: adeo me vel causæ

æquitas

æquitas, vel ineundæ inter nos beneuolentiæ cupido, animos mihi suggerunt & vires addunt. Scribo igitur: sed simpliciore stilo, atque adeo disceptationibus aptiore. Interim breuior hîc sum, quòd reliquo sermone sim longior. Vale.

PROPOSITIONEM VALENTINI his adorior argumentis.

PRimò. Cuiusque rei finis ex vsu cognoscitur: at vsus psalmodiæ apud Ordines, hominesque erudiendis populis destinatos (de ijs enim Valentino, & mihi sermo) nunquam fuit ad ineptos inertesque occupandos: ergo neque vnquam ad hunc finem fuit in aliquo eiusmodi Ordine institutus. Maiorem firmat Aristoteles 2. Physic. tex. 61. & sæpe alibi. Et certè exemplis patet perspicuè: si quis enim velit cognoscere ad quem finem gladius, securisue sit fabrefacta; id ex vsu horum instrumentorum intelliget. Ergo similiter finem institutæ psalmodiæ, quam Iustinus martyr q.107. ad Orthodoxos vocat Apostolico verbo, Gladium spiritus, ex eiusdem vsu comperiemus. Minor ex his quæ priore lucubratione scripti manifesta est, ea enim exempla, quæ fortasse ad satietatem vsque collegi, profectò ostendunt, vsum psalmodiæ non fuisse illum, quem Valentinus adfingit: quandoquidem eiusmodi sanctissimo instituto vsi sunt frequentissimè Apostoli, & Apostolici viri; ipsi etiam integri Ordines nimirùm Dominicanus, Augustinianus, Basilianus, Therapeutarum Alexandrinus, quos Ecclesiarum regimini, prædicationi verbi Dei, sacrisque disputationibus, scimus fuisse occupatissimos. Idcirco inter eos non posui Eremitarum, vel secretiorum Cœnobitarum exempla, verebar enim illicò clamaturum aduersarium, huiusmodi homines, claustris eremisque conclusos, neque vllis præterea rebus spiritualibus aptos choro fuisse mancipatos, ne torpore marcescerent.

Ab vsu.

Secundò. Multos institutæ psalmodiæ scopos legimus apud sanctos Patres, nemo tamen eorum, vel per somnium, adnumerat hunc scopum, quem Valentinus adserit, nempe vt inepti ad alia ministeria spiritualia, in his occuparentur. Ergo huius instituti numquam fuit, aut erit hic finis. Sequela, licet videatur ab auctoritate (quod aiunt) negatiua descendere: tamen in re nostra validissima est. Nam cùm auctor quispiam, de re aliqua ex professo tractans, præterit illud, quod alioqui dicere debuisset, tantumdem eius silentium valet, ac si negasset. Sed præterea, vt hæc sequela magis magisque firmetur, afferam hoc loco dicta sanctorum Patrum, ab hac Gregoriana conclusione, non aliena modò, aut diuersa, verùm etiam eidem penitus aduersa. Sanctus Basilius præfatione in Psalmos ait: Hymnodiam esse Angelorum opus, cælestem Rempub. Gregorius Valentinus vocat ineptorum hominum occupationem, Inertium conuenticulum. Euthymius præfatione item in Psalmos, appellat, diurni laboris quietem: Perfectorum ho-

Ab auctoritate.

minum confirmationem; Gregorius, Otiosorum defatigationem, rem, nisi eiusmodi ineptis hominibus occupandis, nullo modo necessariam. Neque verò conqueri de meis iure potest, quòd ipse hæc non dixerit: sed ego hæc ab eo esse dicta, malo meo ingenio comminiscar: Nam per æquipollentiæ regulas, hæ propositiones ab illis suis pronunciatis liquidiùs defluent, quàm à Sole radij, vel riuulus à fonte, Inquit Gregorius. In eiusmodi Ordinibus chorus videtur introductus, vt inepti ad alia ministeria spiritualia in his occuparentur. Ergo (inferam ego ipsis eius penè verbis, & germano sensu) chorus est occupatio ineptorum ad ministeria spiritualia. Ergo si choro non occuparentur, homines videlicet, nulli ministerio spirituali apti, otio vtique & marcore diffluerent. Ergo cùm ij inepti & otiosi ad Chorum conueniunt; profectò Chorus ille erit conuentio otiosorum, & comitia nullius frugis hominum. Rursus cùm ait Gregorius: Non igitur tales inepti recipiantur, & non erit in eiusmodi Religionibus necessarius Chorus; nulla vis hanc Conclusionem retardare poterit, quin sua sponte fluat: Ergo Chorus in his præclaris Ordinibus res est, nisi ineptis occupandis minimè necessaria. Hactenus, arbitror sequela secundi argumenti probata est. Antecedens verò patet, si SS. Patrum de hac re sententias ab ipsomet Valentino alibi recensitas, breuiter percurramus. Institutæ psalmodiæ fines & scopi sunt. Primò, vt Deus perpetuo ritu, cultuque laudetur. Clem. Rom. lib. 8. const. Apost. cap. 34. Turrianus in schol. ad Clem. D. Thom. in cap. 23. Isaiæ. Secundò, vt ei ob accepta beneficia gratiarum actiones fiant. R. Samuel, lib. adu. Iudæos, cap. 24. D. Thom. loc. cit. Tertiò, Ad mouendos ad pietatem animos. D. Aug. lib. 10. Conf. cap. 33. & epist 119. cap. 18. Quartò, vt iustissima Dei ira his assiduis precibus mitigetur. D. Thom. loco nuper dicto. Quintò, Vt Christiani contestentur Hæreticis, & Ethnicis, se fidem Christi non erubescere, dum fidei dogmata, quæ illi rident, nos exerta voce fatemur. S. Ambros. lib. de trad. Basil. Lege etiam Ruffin. lib. 1. cap. 35. & 36. Sextò, Vt charitas erga proximum in dies augeatur, dum alter alteri Deum placare conatur. S. Basil. præfat. in Psalm. Septimò, Vt per psalmodiam, veluti per quandam suauem prædicationem, populi doceantur. S. August. lib. 9. Confess. cap. 6. D. Thom. 2. 2. quæst. 91. art. 2. Octauò, Vt ministri Verbi Dei spiritualibus vitæ actiuæ exercitijs fatigati, diuinis Psalmis, & Canticis excusso mundi puluere, recreentur. Quo circa D. Augustinus Epist. 19. cap. 18. ait, Cùm vacat à lectionibus, disputationibus, concionibus, nihil melius, aut sanctius fieri posse, quàm psallere in Ecclesijs. Et iure quidem: expedit enim, vt alternis horis, modò populis erudiendis, modò Deo, Diuisque laudandis intendatur. Id videre est in Apostolis Therapeutis, cæterisque sanctæ Ecclesiæ Doctoribus, qui modò se se prædicationibus profundebant, modò ad sacram psalterij melodiam, Angelorum choris immixti, se se prudentissimè colligebant. Hæc longiusculè è SS. Patribus excerpsi, vt videremus quosnam sibi fines præstituerint sancti Apostoli, cùm cælestem psallen-

di ritum (Clemente teste) instituerunt. Inter hos tamen quos recensui scopos, si quis Patres consulat, nullam reperiet syllabam, quæ egregiam illam Gregorianam sententiam, vel per nutum signare videatur. Nam vnicum quod pro se adducit D. Thomæ, aut Caietani testimonium, nihil eum iuuare monstrabimus.

Tertiò, In plerisque Ordinibus, qui ad docendos populos, ad profligendas Hæreses sunt destinati, Chorus non successu temporum fuit introductus, sed initio fundati Ordinis, vnà cum Ordine institutus. Ergo non ad ineptos occupandos, & in officio continendos. Ergo ad alium finem, nempe ad aliquem ex his, quæ enumerauimus, aut certè ad eos omnes fines institutus fuisse credendus est. Antecedens, nempe quòd non successû temporum introductus, sed initio firma lege sancitus fuerit, probatur ex Historijs eiusmodi sodalitatum. Ne longior sim, sat erit loca citasse. Vide vitam sancti Dominici apud Sur. lib. 4. cap. 6. & lib. 2. cap. 13. D. Augustinum in sua Regula, & in Epistola ad Clericos, & non semel in commento super Psal. D. Basilium in Regg. vtrisque. Philonem in lib de vita Supplicum Prima sequela negari non potest: In hos enim Ordines eruditione præclarissimos nemo initio recipiebatur, nisi ad instituti Ordinis Scopum esset aptissimus. Imo, Caietanus à Gregorio, vt infra ostendam, diminutè citatus, apertè docet, quòd si in Dominicano Prædicatorum Ordine, & cæteris huiusmodi, nulli pateret aditus, præter quàm idoneis ad docendum: (quam ille rem vehementer optabat:) ij tamen ipsi soli possent & Choro, & doctrinæ sufficere.

A tempore.

Iam verò non nulla, quæ Gregorius affert (ea vocaui malæ frugis, non bona semina) mihi restant diluenda: & simul eruenda mens eius è verborum latebris: etenim auctor iste dum audet hoc loco suam sodalitatem, pro more gentis, præferre cæteris, nec palam audet, mirum est quàm variè & dexterè, modò se occultat, modò se exerat.

Primum Gregorij dictum. Illa est perfectior Religio, quæ non solùm ad vitam contemplatiuam, sed etiam ad opera spiritualia vitæ actiuæ ordinatur, vt ad audiendas confessiones, ad concionandum, &c. Probat ex D. Thom. art. 6. eo quòd melius est lucere, & illuminare, quàm lucere solum.

Respondeo, hoc dictum, vt verum sit, explicatione indiget; Melius quidem est illuminare & lucere, quàm lucere solum: si lucere sit æquè intensum: alioqui, si quis minorem in se ipso claritatis, & contemplationis lucem habeat, nihil ei proderit maior, & vt ita dicam, extensior illuminatio, quin merito iudicandus sit minùs perfectus eo qui maiorem lucem habuerit, etiam si isce minus illuminet. Ratio est, quia lux ad contemplatiuam, illuminatio, & doctrina ad actiuam vitam pertinent, vt docet D. Tho. quæst. 11. de verit. art. 4. Idem ergo dicendum est de comparatione duorum Ordinum inter se, sumpta ex fine immediato. Perfectior etenim est Religio destinata ad altiorem actum vitæ contemplatiuæ, ea, quæ ad inferiorem actum vitæ contemplatiuæ dirigitur:

nam inquit D. Tho. art. 6. in corp. In singulis autem horum graduum (scilicet vitæ actiuæ, & contemplatiuæ) potest attendi præeminentia, secundùm quod vna Religio ordinatur ad altiorem actum in eodem genere. Et hoc est verum, etiam si hæc, quæ est inferioris gradus contemplandi, ordinetur ad plura opera spiritualia vitæ actiuæ, quàm illa: quoniam hæc plura opera quantumcumque se hac extendant, & multiplicentur, non tamen excedunt limites vitæ actiuæ. Igitur cùm diuinas laudes celebrare, sit præcipuum munus contemplationis, & effectus altissimæ virtutis inter Morales, quæ dicitur Religio, vt optimè docet Sotus lib 10. de iust. & iure quæst. 5. artic. 3. & docet etiam Chrysostomus, citatus à Ribera in Osæ. 14. quos saltem in hac re non refellet Gregorius: hinc clarè sequitur vt perfectior æstimanda sit ea Religio, quæ vnà cum prædicatione & doctrina habet institutum Chori: quàm ea quæ caret hoc tam laudabili instituto: esto, quod in proximi vtilitatem, prædicando & docendo se latiùs diffundat ista, quàm illa.

Secundum Gregorij dictum. Fieri potest, vt eiusmodi institutum Chori, minimè conferat ad Religionis alicuius finem: sicuti re vera non satis conuenit ijs Religionibus, quæ sunt ad concionandum, &c. institutæ. Probat ex D. Tho. 2. 2. q. 91. art 2. ad 3. vbi ait cantum non competere Episcopis, & alijs, quos ministerio Verbi vacare oportet: atque adeo (infert Gregorius) nec ijs Religionibus, quæ ad eiusmodi ministeria obeunda sunt fundatæ.

Respondeo. Valde diuersa ratio est de hac vel illa persona, ac de vniuerso aliquo Ordine. Nam huic vel illi Religioso ad ministeria spiritualia destinato, non vacat, saltem eo tempore, quo huiusmodi rebus, studijsque occupatur, relinquere concionandi, docendique munera, vt Choro intersit. Id solùm sibi voluit D. Thom. qui proculdubio non de Ordinibus, sed de certis aliquot personis locutus est. Id sibi volunt Regulæ multarum Religionum, quæ concedunt vacationem à Choro, ijs personis, per id tempus, quo hisce studijs destinantur. At si de Ordine vniuerso loquamur, negandum est Gregorio, non conuenire institutum Chori illi Ordini, qui ad concionandum sit institutus. Ratio diuersitatis est, quia vna, eademque persona, eodem tempore, quo incumbit his muneribus, non potest adesse Choro: at vnus, idemque Ordo ex tam multis viris constans, potest simul vtrique rei deseruire, Dei scilicet laudibus & proximorum saluti. Et hoc dico etiam si in tali Ordine omnes sint apti ad docendum, & nullus ineptus locum habeat: Nam, non semper, neque omnes simul, neque eorum singuli, possunt ita in eiusmodi rebus esse occupati, quin, Choro etiam, statis horis, diuinæ laudes, saltem ab aliquibus eorum persolui queant.

Confirmatur primò hæc responsio. Nam aliàs, si Gregorij dictum concedatur, illud sequetur absurdissimum, perperam, & incommodè, atque imprudenter fuisse olim in Augustiniana familia Clericorum Re-

gularium, Dominicana Prædicatorum, Alexandrina Therapeutarum, & huiusmodi cæteris eruditis Ordinibus, Chori psalmodiam institutam. Patet sequela: nam vt tertio argumento ostendimus, in his Ordinibus, primis illis annis, perpauci, & non nisi selecti, & idonei ad hæc munera recipiebantur.

Confirmatur secundò. Nam exempla D. Thomæ, & aliorum sanctorum Doctorum, manifestè conuincunt, non solùm eundem Ordinem posse, modò hos, modò alios substituendo, seruare institutum Chori, simul cum concionandi, & docendi munere, sed etiam camdemmet personam, operibus spiritualibus destinatam, posse, licet non semper, sæpè tamen, sacris Canticis interesse. Certè D. Thomas cùm aliquando præpeditus, non posset festum Angelorum cum cæteris sodalibus in Choro celebrare, ad Reginaldum ea de re scribens ait. Quia sacris Angelorum solemnijs interesse non possumus, non debet nobis deuotionis tempus transire in vacuum: sed quod psallendi officio subtrahitur, scribendi studio compensetur. Vide præfat. ad Opusc. 15. de subst. separatis. Idem fecerunt Apostoli (Proclo teste) cum Hierosolymis degerent, Idem, Chrysostomus, Augustinus, cæteri. Patet igitur aut D. Thomam illo sexto articulo, quem pro se Gregorius citat, sui ipsius, & tot sanctorum Doctorum exemplis voluisse aduersari, aut (quod æquum est fateri) eo loco, non de vniuerso aliquo Ordine, sed de certis aliquot personis, imò nec de ijs quidem simpliciter, sed pro eo tantùm tempore, quo docent, vel prædicant, fuisse locutum.

Confirmatur tertiò. Nam eo loco in responsione ad tertium, D. Thomas nititur verbis B. Gregorij Papæ, qui in Concilio Romano visus est prohibere, ne Diaconi cantarent in Ecclesia, sed prædicationi, & eleemosynis erogandis incumberent. At huiusmodi D. Gregorij decretum, si rectè intelligatur, nihil iuuat Valentinum, sed firmat potiùs nostram sententiam, & D. Thomæ mentem mirificè aperit. Afferam hoc loco verba Glossæ distin. 92. cap. In sancta Romana Ecclesia. In Ciuitate, inquit, Romana, Diaconi dum deberent insistere officio prædicandi, vel eleemosynarum largitioni, cantibus operam dabant, & sæpe ad iactantiam cantabant, vt à populo laudarentur, quod Gregorius valde reprehendit. Vnde statuit, vt Diaconi tantùm Euangelium dicant, alia verò officia, scilicet, cantandi Psalmos, & Lectiones per minores ordines expleantur. Et dicunt quidam, quòd hoc caput loquitur de Diaconis Romanæ Curiæ, potest tamen intelligi de alijs Diaconis, qui dum ministrant altari, cantibus non debent intendere, cùm duo officia simul exercere non possint. Et infra. Hoc intelligitur prohibitum, cùm ad legendum Euangelium induti sunt, quod patet ex illo verbo, Inter Missarum Solemnia, &c. Habemus ex his verbis B. Gregorium sanxisse, ne Diaconi tunc solum, cùm induti Dalmaticis prædicare debent, idest Euangelium populo audiente recitare (id enim signat iuxta gloss. eo loco verbum prædicationis) ministrare Episcopo celebranti, & eleemosynas erogare pauperibus ad Ecclesiæ fores præstolantibus: iure inquam

ſanxiſſe, ne relictis his muneribus, quæ propriè ſunt Diaconorum, modulationibus indecoris, & ad aures plebeculæ mulcendas accomodatis, operam darent. Quid nobis hæc officiant aut quid Gregorio proſint non video. Vellem integra hæc Gregorius Valentinus aut legiſſet, aut citaſſet, profectò in huiuſmodi recenſendis, exponendiſque non immoraremur. Sed cùm ipſemet Gregorius Caietanum etiam citet, operæpretium fuerit, ne quid indiſcuſſum reſtet, Caietani etiam verba examinare, num ex fide à Valentino relata ſint nec ne. Inquit igitur, vnde, & Caietanus art. 6. aſſerit, in eiuſmodi Ordinibus illos ſolos debere recipi, qui ad eiuſmodi munera ſunt idonei, & præterea nullos, exceptis ſufficientibus miniſtris. Perge, mi Gregori, in Caietani verbis recitandis, nec mutiles quæſo dictum tanti viri. Subdit itaque Caietanus: Melius enim eſſe pauciſſimos habere in conuentu ad officium diuinum (audi Valentine) & Miſſas celebrandum, quàm in tot miniſtris vices magnarum Eccleſiarum ſurripere in Miſſis, & diuinis officiis non ſine vilitate diuini cultus &c. Itaque vult Gregorius, in eiuſmodi eruditis Ordinibus, non debere admitti niſi idoneos ad munera doctrinæ, & prædicationis. Et hoc vult Caietanus. At præterea Caietanus vult hos ipſos idoneos, qui ſoli admitti debent in eiuſmodi Ordinibus, ſimul vtrique muneri ſatisfacere. Id non placet Gregorio. Satius igitur illi fuiſſet non adducere Caietani teſtimonium, quàm pro ſe citare quem habet aduerſarium.

Tertium Gregorij dictum: Si quando autem in aliquo Ordine, ſimilis Chorus introductus eſt, cauſa videtur fuiſſe, vt inepti ad alia miniſteria ſpiritualia, in his occuparentur. De hoc præclaro pronunciato; multum à nobis dictum fuiſſe arbitror, tum in priore Apologia, tum etiam in tertio argumento huius ſecundæ ſcriptionis. Age nunc, loquendi genus, & verborum pondus leuiter examinemus; Introductum inquit Chorum, quaſi abſurdum quendam abuſum, qui ſe ſe in mores hominum paulatim ingeſſerit. Non quæro in ſcirpo nodum: ſed profectò ea vis eſt verbi, cùm de conſuetudine aliqua loquimur; & ſi aliàs in bonam partem accipitur, cùm tamen de moribus eſt ſermo, vix id verbum reperies, niſi in malam partem acceptum. Concil. Trident. Deteſtabilis duellorum vſus, fabricante Diabolo introductus ſeſſ. 25. cap. 19. & alibi ſæpe. Vide etiam auctorem ipſum alibi hoc verbo vſum. Non eſt introductus, mi Gregori, pſallendi ritus, neque vt infelix gramen ſuccreuit, vt ineptos, & otioſos exerceret, ſed initio conſtituti Ordinis perpetua lege firmatus eſt. Cauſa videtur fuiſſe: tibi videtur, SS. Patribus non videtur. Vide ſecundum noſtrum argumentum. Vt inepti ad alia miniſteria ſpiritualia in his occuparentur. Malè colligis. Imo vt aptiſſimi ad munia ſpiritualia, poſt prædicationum, diſputationumque labores, in his cæleſtibus planè delicijs ſubinde recrearentur. Vel ſi mauis, vt perfectiſſimo muneri, & altiſſimo Religionis cultui, perfectiſſimi viri deputarentur; Vel denique, vt qui prædicare debent, myſteriorum lucem pſallendo adipiſcantur. Solet enim Deus (inquit D. Gregorius Homil. 1. in Ezechiel.) per hoc medium, ſua pijs mentibus aperire myſteria. In his occuparentur. Videlicet in his

friuolis rebus, & nullius frugis, homines æquè nihili vitam transigant. Hem quibus verbis rem Theologam, homo Theologus tractat, versatque.

Quartum Gregorij dictum. Non igitur tales recipiantur, & non erit in eiusmodi Religionibus necessarius Chorus. Per regulam conuersionis manifestè colligitur. Ergo in ea Religione, quæ non habet Chorum tales inepti ad docendum non recipiuntur. Quantum gloriolæ his verbis conceperit Valentinus, iam habemus. Quàm verò meritò id sibi persuadeat, ipse, suique sodales viderint. Id interim (sincerè pronuncio) optare nos magis posse quàm credere, ex animo indolemus. Succurrebant pleraque alia, sed visum, manum tollere, Tu mi Pater hæc habe, & si quid liberius dixi, aut asperiusculè sum tutatus, vel significa, vel emenda. Vale.

CAPVT II.

De Ritibus, & Cæremonijs.

RITVS & cæremoniæ aptè, compositè, & decorè, exerceantur. Hoc enim Clericorum est munus, & maximè conspicuum. Itaque præpositi, per se, aut, si occupati fuerint, per idoneum Sacerdotem curent diligentissimè, vt Missalis & Breuiarij Romani rubricę accuratè obseruentur. Quandoque Clericos & Sacerdotes conuocent, curéntque ne in solennibus priuatisve Missis, aut Officijs, processionibus, sacrisve functionibus, quæ Maiore hebdomada, præcipuisque solennitatibus per annum solent celebrari, error aliquis, aut varietas Sacerdotibus vel Clericis nostris obrepat. Nihil denique in eiusmodi Ecclesiasticis rebus seruandis prætermittatur: sed omnia studiosè, exquisitè, matuiè, cum silentio, modestia, dignitate, & decore, fiant. Si quid tamen est cuius formula ex rubricis peti non possit, à peculiari nostro de Cæremonijs libello petatur: vel, si ex eo planè sumi non possit, pristino Congregationis nostræ more stetur.

Ad Cap. II. Notæ.

I. RItus, & Cæremoniæ, aptè, decorè, & compositè, exerceantur. Externus Dei cultus magnopere confert ad diuini Numinis interiorem religionem retinendam, atque exaugendam. *Idcirco Magistri nostri* (ait Chrysostomus a) hoc est, Apostoli *Ecclesiarum institutores, vsque ad humilia & minuta præcepta deduxerunt diligentiam disciplinæ.* Et verò si veteris legis vmbratiles cæremonias Hebræo populo Deus tam diligenter iniunxit, vt de ijs scriptum sit: b *Audi Israel cæremonias, atque iudicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie, discite ea, &*

a Hom. 1. in Matth.

b Deuter. c. 5.

opere complete: quanto maiori cum ratione de noui Testamenti ritibus Paulus [a] dixisse putandus est; *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant in vobis.* Nam hæc verba, de cæremonijs, quæ in Ecclesia obeuntur, intelligi debere, obseruant Chrysostomus, aliique Patres. Certè priscos fideles, diuini cultus cæremonijs sedulò studuisse, vel ex eo patet, quòd consueuerint eligere certum quempiam virum, præfectum sacris Ritibus; videlicet monitorem veteris disciplinæ. Id sancti Dorothei Abbatis verba testântur: *Num*, inquit [b], *Præpositus cæremoniarum, aut quiuis alius è fratribus mihi dixit quidquam: & ego non tuli, sed contradixi?* Et B. Hieronymus [c] Nepotianum laudat, *quòd cerneretur eius in omnes cæremonias sollicitudo disposita.*

a 1. Cor. 14.
b Serm. 11.
c Epist. ad Heliod.

11. A peculiari nostro de cæremoniis libello.

Probè quidem nobiscum factum est, cùm, ad exaugendum Diuini Numinis cultum, & speciem Iacob procurandam, librum de sacris Ritibus Capitulum nostri Ordinis Generale, suo decreto recognitum firmatumque, nobis vtendum atque seruandum exhibuit. Eo factum est, ne deinceps diuersi inuicem abiremus, néve alius aliud, vt antea contigerat, in sacris Ritibus obeundis variè saperet. Decet enim μονοτρόπους [d], *Vnius moris esse habitantes in domo Dei.* Neque id profectò citra veterum auctoritatem atque exemplum factum est. Mitto Rituales libros, quos, vt Cicero tradit [e], Ethnicorum Hetruscorum, Sacrificuli custodiebant, de ritibus, & disciplina Ciuitatis. Hos enim turpe fuerit in exemplum Christianis adducere: Mitto etiam Rituale Hebræorum, tam accuratè, atque adeò superstitiosè, à miseris Iudæis hodieque seruatum. Ab eo namque licèt nonnulli Catholicorum [f] testimonium aliquando petant, id tamen contemni facilè poterit, veluti Euangelica luce, & lege antiquatum. Præter Cyrilli Hierosolymitani Catecheses, & Anastasij Antiocheni Mystagogiam, Dionysium ego propono, & Clementem: quorum alterius Ecclesiastica Hierarchia, alterius Constitutiones Apostolicæ, vix dici potest quàm distinctè, quàm exactè, quàm religiosè primæuæ Ecclesiæ sacra, ritus, mysteria prosequantur.

d Psal. 67.
e De Diuinat.
f Brug. in Matth. 26. Baro ad ann. 34.

CAPVT

CAPVT III.

De munditie, & nitore Ecclesiæ, & sacræ supellectilis.

ECCLESIÆ mundę sint, & omni religionis cultu ornatæ. Sacerdotum vestes, altarium ornatus, sacra vasa, & cętera quę ad diuinum cultum pertinent, splendida, munda, nitida, & suo quæque loco, vt par est, collocata & distributa asseruentur. Fit enim, vt ex diligentia & cura quę his rebus adhibetur, Religiosorum spectentur animi. Ne quid quod ad sacram supellectilem pertineat, alienis facilè cetur vtendum: nam ita sordes & maculas sæpe contrahunt.

Ne permittatur vt in sacris indumentis familiarum ponantur Insignia. In Ecclesiis nostris, in quibus nulla habentur familiarum Insignia, ne sine P. Generalis autoritate fiant. at vbi adsunt, rursus alia, vt apponantur, ne facilè concedatur. Sacella, sęcularibus ędificanda, vel exornanda concedi poterunt, etiamsi familiarum Insignia, & Inscriptiones modestas tamen, & à nobis ante probatas, velint apponere: ea tamen lege; & conditione, vt ne qua lex, aut conditio onerosa, & à nostro instituto aliena nobis vnà imponatur: vt sunt Missę, & Officia in perpetuum dicenda, quę nulla vnquam ratione in Congregationem admittantur.

Ad Cap. III. Notæ.

I. ECclesiæ mundæ sint, &c. Nepotianum Presbyterum, vt supra probauimus, Regularem, domus Dei decorem summopere procurantem, his laudat verbis Hieronymus: [a] *Erat sollicitus, si niteret altare; si parietes absque fuligine; si pauimenta tersa; si vela semper in ostijs, creberque ianitor in porta; si sacrarium mundum; si vasa luculenta; & in omnes cæremonias pia sollicitudo disposita: non minus, non maius negligebat officium; vbicunque eum quæreres, in Ecclesia inuenires.* Et paulò inferius: *Hoc idem possumus & de Nepotiano dicere. qui Ecclesiæ basilicas, & Martyrum Conciliabula diuersis florum & arborum comis, vitiúmque pampinis adumbrarit: vt quicquid placebat in Ecclesia, tam dispositione quàm visu, presbyteri laborem & studium testaretur.* Huiusmodi diligentiæ laudem meruit S. Guido Laxensis Ecclesiæ Clericus, quem incertus, sed vetus scriptor iisdem penè verbis celebrat [b]: *Dabat igitur*, ait, *sedulò operam, vt altare niteret,*

[a] Epitaph. Nepot.

[b] Apud Sur. to. 5.

testudo nihil haberet sordium, pauimentum scopis repurgaretur, sacrarium mundum esset, & vasa luculenta; denique vt è ceremonijs nihil remissum, aut neglectum videretur. Si quis enim quæreret, in templo reperiebat, diuersi generis floribus, & arborum comis cancellos, & thecas Sanctorum vestiebat; vt quicquid in illa æde, vel aspectu vel dispositione placeret, eius laborem & studium testaretur. Hæc duo Sanctorum exempla, omnia nitentis Ecclesiæ instrumenta atque ornamenta vniuersè complectuntur. Nunc verò ea ipsa singillatim inspiciamus. Inquit B. Hieronymus, *Vela semper in ostijs.* Quò hæc abijt decora & Sancta obseruatio? Nunc vix rigente hyeme oppanduntur fores, ne brumalis aër, ventúsque gelidus introeat. Itaque non diuino cultui, & sacrorum reuerentiæ, sed commoditati humanæ id datum cernimus. Quasi verò non sit æstate per dedecus prostare transeuntibus, μυστήρια, hoc est, Arcana illa diuina, in quæ desiderant Angeli prospicere; & coram rixantes calones, seruitiáque vilissima, obscœna plerumque verba extra Templi fores effutientia, adstare Altaribus Sacerdotes, & Sacramenta tractare, intecta, profanorum oculis lusibusque? ô tempora, tempora! Non sic veteres, qui quò sancta sanctiùs agerent, semper ostijs vela obtendebant, semper à Templorum adytis profanos arcebant. Immo apud Græcos, vt ex eorum liturgijs elicitur, duo oppandebantur vela; alterum videlicet ante ostium Templi, alterum ante ipsum Altare. Illud nunquàm amouebatur; hoc autem tantisper solummodò, dum eleuatam à Sacerdote Hostiam circumfusus populus aspiceret, & pectora sibi tundens flexis poplitibus adoraret.

Euerrendi Ecclesiæ pauimentum, quod iuxta nostri Ordinis morem per nos ipsos Clerici Sacerdotesque facimus, non adeò recens est ritus, quin vestigium eius aliquod vetustas reliquerit. Audiamus Paulinum, Nolæ Episcopum [a], sui Felicis Ædem euerrere summis votis exoptantem:

> *Et foribus seruire tuis, tua limina mane*
> *Munditiæ curare sines; & nocte vicissim*
> *Excubijs seruare pijs, & munere in isto*
> *Claudere promeritam defesso corpore vitam.*

Et quid dico euerrere? vel vnicam festucam de pauimento tollere, gratum Deo, & præmio dignum existimasse veteres, testatur his verbis Cassianus: [b] *Tanta fide* (Palæstini Patres) *vniuersa procurant, atque dispensant, vt etiam ea quæ despectui habentur, paruáque reputantur ac vilia; vt si tenuem festucam de Oratorio, cellâve sumouerint, mercedem se consecuturos à Domino, tota credulitate confidant.* Id nimirum perspicacibus fide oculis intelligebat pijssimus Pater noster Ioannes Marinonius; inter cuius grandia gesta, quæ aliàs (Deo volente) narrabo, hoc, quod modò referam, exiguum homines reputabunt; Deo tamen iudice nequaquam erit exiguum. Neapoli Clericus quidam noster Aedem S. Pauli euerriculo emundabat, fortè incidit in scrobiculum humi factum ab artifice lignario, quo pessulus obditis foribus reciperetur. Is, vt assolet, puluere adeò plenus erat, vt pessulum admittere nullo posset modo. Interim Clerico aut fossulam non aduertenti, aut si aduerterat, puluerem inde extrahere negligenti, adstitit repen-

a Natal. 1.

b Inst. lib. 4. cap. 7.

tè Sanctus ſenex Ioannes, eius ſacræ ædis ac domus tunc Præpoſitus; atque humi ſeſe abiiciens, non euerriculo, aut alio quopiam inſtrumento, ſed digito ipſo ſuo puluerem diligenter inde extraxit. Erubeſcentem verò Clericum ad tam perſpicuum demiſſionis & exquiſitæ ſedulitatis exemplum, facto admonuit, ob pauxillum pulueris è pauimento domus Dei, largitatem expectari poſſe minimè pauxillam. Neque verò mirum, ſi ſuis hæc obſequia manibus ſancti homines ob veri Dei cultum præſtiterunt, quandoquidem *matres Italas, Idolorum fana, paſſo capillo ſuo, quamque verriſſe*, Mamertinus [a], aliique veteres ſcriptores, memorando, ſed execrando exemplo commemorant. Quibus & Chriſtianæ Virgines iure omni præferendæ ſunt, quia quod illæ Diis ſuis, hoc eſt, Dæmonibus, impiiſſimè exhibuerunt, vero & magno iſtæ Numini detuliſſe perhibentur. De Serena enim Honorij filia, Stiliconis vxore, Claudianus ita cecinit [b]:

[a] Panegy. Maxim. Liu. lib. 1. alii.

Numinibus, votiſque vacas, & ſupplice crine
Verris humum.

[b] In Encomio Serenæ.

Hæc de munditie, nunc de ornatu decoréque dicendum eſt. In primis longè ſint à Templis noſtris profanæ, aut etiam ſacræ, profano ſchemate pictæ ſculptæue imagines. Eiuſmodi enim procacem venuſtatem ornamentorum & Concilium Tridentinum, grauiſſimis verbis prohibet [c], & B. Sidonius, ne in cœnaculo quidem ſuo eſſe patiebatur. Quocirca ad Domitium ſcribens [d], *Interior*, inquit, *parietem facies ſolo læuigati cæmenti candore contenta eſt. Non hic per nudam pictorum corporum pulchritudinem turpis proſtat hiſtoria, quæ ſicut ornat artem, ſic deuenuſtat artificem.* Si igitur tunc Sidonius nondum Epiſcopus, nondum ad culmen, quò poſt peruenit, ſanctitatis euectus, regio ipſe ſtemmate fulgidus, & Regiæ aulæ pompis implicitus, à cœnaculo tamen ſuo arcet nudorum corporum imagines, multò magis nobis cauendum eſt, ne ſacris Deo Templis, locisque religioſis occurrant profanæ formæ, nudáque ſpectacula.

[c] Seſſ. 25.

[d] Lib. 2. Epiſt. 2.

Templum, altaria ſacras imagines, ſanctarum Reliquiarum thecas, floribus decorabat & priſca ætas. Mitto Ethnicos, quibus in ſuorum Deorum cultu frequens florum vſus. Ac proinde etiam Compitales lares floribus conſperſos legimus: quod Suetonius in Auguſto refert his verbis: *Compitales Lares ornare, bis anno inſtituit, vernis floribus, & æſtiuis.* Apud ſacros Dei veri cultores, vetuſtior eſt florida religio, præcipuè in celebri feſtóque die; *Conſtituite* (canit Vates regius [e]) *diem ſolennem in condenſis vſque ad cornu altaris*: hoc eſt, (vt Agellius noſter è Symmacho & lxx. eruditè adnotat,) *Diem feſtum agentes; Templum denſis frondibus, florúmque ſertis ornate vſque ad Altaris angulos.* Itaque Hebræis mos iſte ſolennis; & cùm flores per hyemem deeſſent, ramos frondéſque ſufficiebant. Ita ad ingeſſum Simonis Machabæi in arcem Hieroſolymitanam [f], feſtiuitatem celebrarunt, cum laude, & ramis palmarum: Chriſtum item Hieroſolymam regaliter ineuntem ſimiliter exceperunt [g]. E Iudæis igitur ad nos ornatum iſtum, vt & pleraque alia, arbitror tranſiiſſe. Porro Sanctorum Martyrum ædes, atque altaria floribus inſpergi ſolita, ſæpe Auguſtinus [h], aliique Patres aut Hiſtorici

[e] Pſal. 117.

[f] 1 Mach. 13

[g] Matt 23.

[h] De Ciu. Dei lib. 22.

ca. 8. & seq. Nicephorus, Socrates, alii.

meminerunt. Quocirca Gregorius Nazianzenus ante B. Mariæ icunculam ita canit:

--- Ego fretus his tibi me ardentius
In verba supplex offeram, & suauissime
Contextam ab horto, qua tuum exornes caput,
Coronam, ô Domina, proferam.

Gregorio Synchronos Prudentius, rosis, & floribus omne genus, sacrorum ossium thecas, siue aras, vel media hyeme purpurandas pijssimè meditatur [a].

a Peristeph. Hym. 3.

Carpite purpureas violas,
Sanguineósque crocos metite:
Non caret his genialis hyems,
Laxat & arua tepens glacies,
Floribus vt cumulet calathos.
Sic venerarier ossa libet,
Ossibus altar & impositum.

b Cap. 10. 20. & 38. vitæ eius.

De B. autem Henrico Susone scriptores tradunt [b], Sanctum virum sæpe consueuisse sertum roseum capiti imagunculæ B. Mariæ virginis aptare, móxque genua flectere, eique se totum ex animo committere: non secus ac Nazianzenum factitasse nuper diximus.

11. Ne permittatur, vt in sacris indumentis familiarum ponantur Insignia.

Si priscam Ecclesiæ consulas historiam, profectò non reperies, profanam, sed sacram imaginem sacris rebus affixam, siue addictam. Scribit Tertullianus, Latinorum Patrum vetustissimus [c], suo æuo in calice sacro fuisse sculptum Christum pastorem, qui errabundam ouem in humeros sublatam ad caulam reportaret. Et de S. Athanasio, antiquo Episcopo Neapolitano, tradit Ioannes Diaconus [d], *ex argento fecisse eum magnam patenam, sculpentem in ea vultum Saluatoris, & Angelorum; quam intrinsecus auro perfudit.* Antiqua etiam Sacerdotum, aut Pontificum indumenta, quæ Romæ adseruantur, nulla habent Gentium symbola, siue stemmatum emblemata, sed Crucem, Agnum, Palmas, Coronas, & id genus mystica, & sacra signa. His vetus Christi Ecclesia delectabatur notis: hæc populorum oculis aspectanda proponebat. Recens, qui adeò frequens inoleuit profanorum insignium vsus, etsi vt auitæ pietatis recordationem ingerit, in Ecclesijs locum habet; ea tamen argumenta haud facilè admittant Nostri, ne sub pietatis religionísque integumento, in res sacras, & in ipsa Christi altaria mundanus fastus irrepat.

c De Pudic. c. 7.

d In vit. eius.

CAPVT IV.

De Ministris Altaris, & Ordinibus conferendis.

SACERDOTES, & Clerici nostri, tum vbique, tum maximè in Ecclesiis, vbi omnium in se sciunt oculos coniici, ita mores habeant vultu, gestu, incessu, sermone compositos, vt nihil nisi graue, moderatum, religionis plenum, præ se ferant.

Nouitios in Clericorum Ordinem admissos prima tantùm tonsura initiare licebit, vt Diuinum Officium in Choro dicere, Sacerdoti ad Missæ sacrificium administrare, ceterisque Ecclesiasticis functionibus deseruire possint. Cùm professionem emiserint, eis quatuor minores Ordines conferri poterunt, si Præposito, maiorique parti Vocalium loci, ita visum fuerit. Pro sacris Ordinibus, P. Generalis licentia erit impetranda. In his conferendis cunctanter agatur. Ad Subdiaconatum nemo, nisi tribus minimùm annis; ad Diaconatum, nisi quatuor, ad Sacerdotium nisi quinque post emissam professionem, admittatur. Non quòd tum demum planè debeant admitti, ac non possint in tempus quàmuis longinquum à superioribus reiici: sed ne quo pacto admittantur ante, nisi aut necessitas, aut magnę personę alicuius ratio postulare videatur.

Ad Cap. IV. Notæ.

GEneratim mihi hoc loco monendi sunt Nostrates Clerici, & Sacerdotes, vt diuinum Altaris cultum, quod (vt B. Hieronymus pijssimè meditatur [a]) torcular est, quo Christi sanguis exprimitur, exquisitissimè curatum velint, si Deum sibi propitium cupiunt; alioqui malè nobiscum agetur in victu cultúque temporario, si sacra & spiritualia negligamùs. *Etenim* (vt quidam veterum dixit [b]:). *Omne Monasterium, quod in spiritualibus bene regitur, in temporalibus optimè gubernatur. Quod verò in spiritualibus, & in his quæ sunt ad Deum, negligitur, in temporalibus, & exteriore gubernatione citò delabitur, nec ab hominibus reputatur.* Ponam huic rei firmandæ conspicuum experimentum relatum à sacro Scriptore lib. 2. Machabæorum, cap. 3. *Cùm leges*, inquit, *optimè custodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat, vt & ipsi Reges & Principes locum omni honore dignum haberent, & Templum maximis muneribus illustrarent.*

a In cap. 5. Isaiæ.

b Auctor vitę S. Vaalpurgis: Tom. 4. Anti lect.

I. Nouitios in Clericorum Ordinem admissos prima tantum tonsura initiari licebit. Vt Clericis prima tonsura concedatur, optimè constitutum, alioqui non possent attonsi degere, vt Clerici solent. Id enim vetuit Concilium Nicænum 2. [a] his verbis: *Et quoniam videmus tonsuram Clerici pueriliter quosdam suscipere, qui nondum ab Episcopo manus impositionem acceperunt, iubemus ne posthac id fiat.*

a Can. 14.

II. Sacerdotes, & Clerici ita mores habeant vultu, gestu, incessu, sermone compositos, &c. Quàm valdè deceat externa etiam corporis compositio Dei seruos, ministrósque, S. Ioannes Chrysostomus docet his verbis [b]: *Incompositus risus, incessusque plus nimio concitatus, summopere caueri & vitari debent. Paucis, qui in virtutum palæstram descendit, eum in omnibus, & per omnia compositum, & quasi ad certum numerum redactum esse decet. Siquidem externa membrorum compositio, honesta imago, & quasi certus quidam index est interioris constitutionis animi.* Idipsum Gregorius Theologus fusiùs prosequitur, morésque religiosi hominis, cultumque describit, vt cætera solet, elegantissimè. *Gressus*, inquit [c], *constans, oculus minimè vagus, subrisus blandus, vel potius subrisionis impetus quidam, risus petulantiam castigans; sermo à ratione incitans, silentium sermone præstantius: laudatio sale condita, non ad blanditias comparata, sed ad meliora dirigens, obiurgatio laudatione optabilior, moderatio animorum, relaxationis & tristitiæ, atque vtriusque permixtio & connexio; mollities fortitudine austeritas pudore temperata, sic vt neutra ab altera lædatur, sed vtraque alterius opera laudem consequatur: modus tum in commune prodeundi tum secedendi, illud ad alios instituendos, hoc vt ipsi spiritus mysteriis imbuantur.* Hæc diuinus Theologus. Neque alia opus est adijcere, adeò ille paucis multa. Si quis tamen plura desideret, adeat Chrysostomum potissimùm [d] atque Bernardum [e].

b Hom. de Resurr.

c Orat. 12. de pace.

d Hom de Domin. Resurr.

e Formula hon. vitæ.

III. In Ordinibus conferendis cunctanter agatur. Antiqui Patres quàm fuerint in hac re prudenter cunctabundi, patet ex vetustissimo Concilio Sardicensi, vbi hæc, dictante Osio Episcopo, sanciuntur: [f] *Potest per has promotiones, quæ habebunt vtique prolixum tempus, probari qua fide sit, quáve modestia, qua grauitate, qua verecundia: &, si dignus fuerit probatus, diuino sacerdotio illustretur.* Consonat huic decreto Synodico, Innocentij Papæ oraculum [g]: *Non prohibentur*, inquit, *huiusmodi ad Clericatus sortem assumi: ita sanè vt in eos tempora à maioribus constituta seruentur, nec citò quilibet lector, citò Acolythus, citò Sacerdos fiat, quia in minoribus officiis, si diu perdurent, & vita eorum pariter & obsequia comprobantur.* Hæc S. Innocentius. Tempora autem à maioribus constituta, intelligit ea quæ Siricius, Syluester [h], Fabianus [i], alijque summi Pontifices decreuere. Mihi certè sat fuerit Siricii Papæ decretum hoc loco promere, vt inde videatur, quàm tardè grauiterque veteres Patres ad Ecclesiasticos gradus, Cle-

f Cap 13.

g Ep. 3 ad Felicem Nucer. Episc.

h Can. 11.

i Dist. 38. Siquis.

ricos promouere consueuerint. Siricius igitur sanxit, ne Subdiaconus, nisi exacto vigesimo; Diaconus, vigesimo quinto; Sacerdos, trigesimo fieret. Quam sanctionem à Gratiano inter sacros Canones recensitam habes. Hoc denique loco notandum est, graui pœna multandum, longéque seriùs ordinandum esse eum, quicunque is tandem extiterit, quem Patres olfecerint aliquo modo ambire, aut etiam honesto in speciem pretextu cupere sacros Ordines. Quocirca B. Pater noster Andreas, quondam S. Pauli præpositus, cùm ad nuncium recipiendi sacros Ordines, vidisset Clericos quosdam hilariores, prudenter eos à susceptione Ordinum diu remouit. Idem beatus Pater Subdiaconum recenter initiatum, qui tangendo, & deferendo ad Altare sacro Calici, promptiusculè se ingesserat, grauiter obiurgatum, ab administratione suspendit. Nimirum optimè ille meminerat, quod habet Augusta sanctio [a], *Indignum Sacerdotio esse, qui non fuerit initiatus inuitus.* Bartholomæus verò Rusticius Florentinus, & Franciscus Balsamus, Neapolitanus, vt alios taceam, dignissimi sanè sunt, quos posteri suscipiant & sequantur: ij quippe magna vi precum & lacrymarum enixissimè obstiterunt, ne admouerentur sacris. Verumtamen, vti Hieronymus de Nepotiano scripsit [b], *Quantò magis repugnabant, tanto magis in se studia omnium concitabant, & merebantur negando, quod esse nolebant, eóque digniores erant, quò se clamabant indignos.* Itaque prorsus inuiti, & superiorum præcepto coacti sacros Ordines susceperunt. Quantum autem ijsdem profecerit Christiana demissio, & despicientia sui, testimonio sunt illorum vitæ in lucem typis editæ. Quin etiam, ij qui supersunt senes nostrates eorumdem præstantissima virtutis acta (vtinam cum multorum fructu) deprædicant.

[a] L. si quẽquam Cod. de Episc. & Cler.

[b] Epist. ad Heliod.

IV. Ad Sacerdotium. Nostri, & quorundam aliorum Ordinum moris est, vt cùm quis Sacerdotium attigerit, prænomen Domni illico consequatur. Quamobrem non abs re fuerit circa huiusmodi tituli originem, vsúmque veterum aliquantisper immorari. Primum antiquissimæ Litaniæ ante 700. & 800. annis calamo exaratæ appellant Summum Pontificem, Domnum Apostolicum, vt videre est apud Serarium, libello de Litanijs. Sed & alijs ea appellatio præbita. Nam ante 1300. annos S. Mirocles vocauit S. Anathalonem Mediolanensem Episcopum, *Domnum probatum*, vt habetur in eius Epitaphium, apud Baronium, in Notis ad Martyrologium. Et Gregorius Turonensis (lib. 10. cap. vlt.) loquens de S. Martino Episcopo, inquit, *Domnus Martinus.* Quo etiam prænomine insignitur ille à Fortunato in præfatione ad lib. de S. Martino: & S. Benedictus in Regula sua; *Abbas*, inquit, *dicatur Domnus Abbas.* At ad rem nostram propiùs facit, quòd quilibet Sacerdos hebdomadarius in Ecclesiastico officio *Domnus* dicitur, quotiescumque ad eum Cantor conuersus inquit, *Iube Domne benedicere.* Hæc tametsi vera sint, Nostri tamen Veteres Patres cùm Sacerdotibus scriberent, libenter huiusmodi Titulum iis tribuebant; sibimet autem vix vnquam; ob id scilicet quòd is Titulus honorem & dignitatem significet. *Domnus* enim nihil aliud est nisi Dominus: vti declarant

Palladiæ verba apud Episcopum Saluianum, Epist. 4 adnonante ibi Scholiaste Sauarone, & Ios. Scaligero, animadu. in Euseb. ann. 634.

v. Ad Diaconatus ordinem. Libet hoc loco quod ad Diaconi ministerium pertinet, in medium proferre; videlicet rectè nos facturos, & è veterum vsu, non permittendo, Presbyteros, sed solos Diaconos, etiam solennibus maximisque festis Leuiticum munus obire. Lego enim [a], Stephanum, Iacobo; Timotheum & Linum, Paulo; Anacletum & Clementem, Petro; & posteriore æuo [b] Laurentium, Xysto; Cyriacum, Marcello: Eleutherium, Dionysio: Meinulphum, Badurhedo, alios aliis, Diaconos scilicet Presbyteris, ministrasse Presbyteros autem Presbyteris, nequaquam. Et Concilium quidem Tridentinum [c] velle videtur, vt in suo quisque ordine ministerium exerceat; quippe quòd hoc modo Ecclesiasticæ Hierarchiæ series clariùs elucescat.

a Apud Ign. ep. 2.
b Vid. horũ gesta apud Surium, aliosque.
c sess. 23. c. 11. & 13.

CAPVT V.

De administrandis Sacramentis.

QVI ad Ecclesias nostras adierint ad suscipienda Sacramenta, iis Sacerdotes Confessarii præcipuam exhibeant charitatem: rem suam priuatam, aut commodum ne spectent, animarum saluti magnopere studeant.

Qui in lectis grauiter ęgrotant, domi visitari de Superioris licentia poterunt, & Sacramentum eis pœnitentię ministrari, piisque monitis instrui, ac demum ad bene moriendum, vt se disponant, hortari. Caueant autem ne ad res temporales, ad facienda testamenta, ad eleemosynas erogandas, maximè si Religioni nostrę velint relinquere, se admisceant, vt auaritię non culpa tantùm, sed omni prorsus suspicione careant.

Sacerdotum qui confessionibus sæcularium audiendis exponantur, delectus habeatur: & quàmuis peritus quis fuerit, & ad iustam ætatem peruenerit, matutè satis agatur; ne ad id munus admittantur, nisi qui idonei sint reperti, nec nisi de licentia P. Generalis; qui, si iam annus post Sacerdotium fuerit expletus, licentiam, si ei videbitur, poterit concedere: antea concedat nulli, nisi aut Sacerdotis alicuius pręcipua virtus, & doctrina, aut loci necessitas requirat. Antequam mittatur quis pro licentia obtinenda à locorum Ordinariis, siue ad recipiendos Ordines, siue ad Confessiones audiendas, domi priùs à Præposito, & Patribus ad id electis, diligentissimè examinetur: Qui ita ad Confessiones audiendas admissi fuerint, ne priùs accedant, quàm potestas à suo Pręposito facta illis fuerit. Curent Præpositi, vt admittendis ad Confessionem sęcularibus definatur modus; ne Confessarii nimis occupati sibi ipsis vacandi tempus non habeant.

Ad mulierum confessiones audiendas, ne facilè Sacerdotes iuniores exponantur

sed

sed qui ætate & moribus sunt maturi. Domus mulierum, Nostri ne sine rationabili causa adeant. Qui earum confessionibus audiendis nondum sunt expositi, ab earum visitatione abstineant. Permitti tamen à superiore possit, vt æqua de causa quandoque, sed rarò, visitentur. Qui earum Confessiones audire solent, possint quidem de Superioris licentia illas quandoque visitare, sed id rarò admodum, & considératè fiat. Confessiones earum, nisi in Ecclesijs, ne audiantur; dum ne vel grauis ægrotatio, vel calamitas aliqua, vel alia quæuis causa vehemens postulauerit. Quę si acciderit, ne solus cum sola sit, caueat: sed comes ibi maneat vbi possit conspici. Sedilia pro mulierum confessionibus audiendis, ita in Ecclesijs sint collocata, vt & mulier & Sacerdos facilè videri possint. Dum earum confessiones audiunt, ne longiùs ęquo sermones producant, neve de ijs rebus agant, quæ ad Pœnitentię Sacramentum pertinere minimè videantur. Virorum confessiones, aut in Ecclesijs, aut in locis ad id assignatis audiantur.

Ad Cap. V. Notæ.

I. CONfessarij præcipuam exhibeant charitatem. Tanti est peccatorum animas à Diaboli laqueis extricare, vt hoc potissimùm Sacerdotes confessarij curare debeant, qua id ratione consequi possint. Quocirca Concilium Carthaginense tertium sanctè decreuit, ne quis in Episcopum, Presbyterum, Diaconum, assumeretur, priusquam omnes, qui in illius domibus essent, Christianos, Catholicos facerent. Quantò igitur magis horum temporum Sacerdotes, & Confessarij, æternæ hominum saluti cui tantopere Christus studuit, totis viribus incumbent? Id præterea maximo ipsorum cedet emolumento, quod scitè quidem, & breuiter S. Sidonius expressit, cùm ait: *Aliquis aliquem, ego illum præcipuè puto suo viuere bono, qui viuit alieno:* hoc est, qui aliorum procurat salutem, & profectum in spiritu. Igitur tanti est peccatorum animas à Diaboli laqueis extricare, vt antequam tantum opus aggrediantur, ijs sit magnoperè obsecrandus Deus animarum omnium creator, vt Spiritum Sanctum suum suis operarijs infundat: atque adeo id propemodum facere debent, quod vetus Codex Pœnitentialis præscribit hisce verbis: [a] *Cùm venerit aliquis ad sacerdotem confiteri peccata sua, mandat ei Sacerdos, vt expectet modicum, donec intret in cubiculum ad orationem.* Sed fusiùs atque ardentiùs B. Ephræm Syrus Sacerdotes instruit: *Si quis* (inquit [b]) *suas tibi enarrauerit cogitationes, suáque detexerit errata, ne mente eum contempseris, tanquam qui talia peregerit, sed potiùs de fratris mutatione & resipiscentia admirare. Nam quòd quis sponte sua peccata spiritualibus viris prodit, correctionis vitæ signum est: occultare verò, animi male affecti indicium existit. Nullus enim cum furibus currens, & partem cum adulteris ponens, hæc prodit vnquam, quia nimis passioni & affectioni indulget. Quare oportet cum omni humilitate eum qui familiariter sua exponit peccata, consolari, sicut scriptum est: Considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Et Origenes Ephræmo antiquior, definit [c], illum esse idoneum tanto muneri *qui præter doctrinam sciat infirmari cum infirmante,*

[a] Apud Baron. in Notis ad Martyr. iij Id. Iun.

[b] Ser. in illud Attende tibi.

[c] Homil. 1. in Psal. 38.

flere cum flente, quique condolendi & compatiendi nouerit disciplinam, atque eruditum se medicum & misericordem ostenderit. Denique S. Bernardus, quamquam his recentior, copiosior tamen est, & fortasse neruosior in instituendo Confessario. *Audite*, inquit [a], *quem oportet ordinari ad dispensationem mysterij huius: Oportet eum esse non minùs literatum quàm religiosum, & zelum Dei habere, & secundùm scientiam, cùm indiscreta religio magis obesse soleat, quàm prodesse: Literatum ideo, vt sciat, quid iniungat, cui parcat, quando parcere debeat, quam consolationem proferat de scripturis: Religiosum verò idcirco, vt puras manus leuet ad Deum, & pro peccatoribus fiducialiter intercedat. Videat ne vnquam de his quæ sub signaculo Confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti consentiat. Caueat etiam, ne vilescat in conspectu eius qui ei suam vilitatem ostendit: nec sit suspectus, nec de præterita futuram vitam æstimet peccatoris. Quòd si fortuitò de his quæ in confessione accepit, causa coram eo fuerit ventilata, non tanquam conscius in partem declinet, sed quasi nesciens iudiciarium ordinem permittat exerceri. Habeat in voluntate, compati, & liberare eum, & nitatur aliquid detrahere seueritati, imitans dulcedinem Domini sui, de quo dicit sanctus: Quoniam fecisti iudicium meum, & intendisti causam meam.* Hæc animo documenta inserat Sacerdos Confessionum auditor; exemplumque sibi à S. Ambrosio præstitum inspiciat, ad alienas exhomologeses vbertim complorante [b].

[a] Serm. 3 de S. Andr.

[b] Paulin. in eius vita.

II. Maximè si Religioni nostræ velint relinquere, ne se ijs admisceant. Huc facit illud Apostoli [c] Euangelicum ministrum instituentis: *Rogamus autem vos, fratres, vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.* Huc etiam spectauit S. Ambrosius, cùm inquit [d], *Euangelicum ministrum subsidij sæcularis adminicula non debere requirere.* Et id quidem quotidie exploratum habent Sancti viri, qui quo minùs de bonis temporalibus sunt solliciti, eo magis de se suáque alenda familia sedulam Dei prouidentiam eximiámque munificentiam experiuntur. Contrà iis quos cæleste Numen, terrenis lucris, sub nomine & professione paupertatis, inhiantes videt, assiduo animi angore marcescere, & miserè excruciari permittit. Sed de hac re inferiùs redibit sermo.

[c] 1. Thess. 4.

[d] In Luc. l. 6. c. 9.

III. Ad mulierum confessiones audiendas Sacerdotes iuniores ne facilè exponantur. Seuerior in hac re fuit veterum disciplina, nullum omnino iuniorem ad confessiones, vel virorum audiendas admittentium: Tametsi, vt verum fatear, rarior primis Ecclesiæ sæculis, quàm nunc in fæce ista emarcidi Orbis, peccantium numerus extiterit. Itaque seniores satis erant huic muneri. Porrò Sozomenus, expositurus quem suo æuo Confessionibus auscultandis censuerint idoneum, ita scribit, atque describit [e]: *Seniorem quempiam vitæ integritate quàm maximè spectabilem, secretorum etiam tenacem, ac sapientem*

[e] Lib. 7. c. 16

huic officio præfecerunt. Eum accedentes qui peccarant, acta vita sua confitebantur. Notabis autem, Sozomenum paulò antè vsum fuisse voce ἱερεύς, hoc est, *Sacerdos*; hoc verò loco posuit τὸν πρεσβύτερον, id est, *seniorem*; vt intelligeremus, Ecclesiam eo tempore magnam habuisse ætatis rationem, ne videlicet adolescentes huic muneri præessent. Cæterùm cuique confessionum auditori, quantumuis prouectæ ætatis fuerit, verba S. Gregorij Theologi memoriæ commendanda sunt: *Caue*, inquit [a], *ne quis alius tibi tanquam firmo in fide cogitationum suarum affectus narret, si inualidus fueris in affectuum certamine. Hinc enim anima tua perditio nascetur, & fiet bellum duplex, cùm non sit id intra modum virium tuarum.* Hæc ille sapientissimè. *Difficile enim est contrectare picem, neque inquinari ab ea* [b].

a Apud Melliss. c. 16.

b Ecclesiastici c. 13.

IV. Confessiones earum nisi in Ecclesia ne audiantur. Et infrà, Sedilia pro auscultandis, &c. Exigunt hæc verba, vt cuiusmodi fuerit situs pœnitentium, dum peccata secretò exponerent, aperiamus. Et Sacerdotis quidem sedes non erat, quali nunc vtimur, bimembris: atque adeò non ad aurem latúsque sacerdotis genua figebant pœnitentes, sed in simplici sella assidenti Presbytero, supplex sese peccator ad genua prouoluebat, vultu demisso, oculis ad genua illius, pedesque, deiectis. Ex huiusmodi habitu sitúque ad humilitatem composito, ortum habuit obscœna illa atque impia Ethnicorum calumnia in Christianos, quam pudoris gratia lubens prætereo. Eam curiosus lector apud Minutium [c] reperiet. Hoc idem quod de situ Pœnitentium dixi, significat & Tertullianus, Minutio antiquior, *Exhomologesis*, inquit [d], *prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem: de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum, Presbyteris aduolui, seruis Dei adgeniculari.* Hæc Tertullianus. Ad genua igitur, non ad latus presbyteri, accedebat Pœnitens. Recens autem mos situsque pudori consulit magis.

c In Octauio.

d De Pœnit. c. 8.

V. Sedilia ita sint collocata, vt & mulier, & Sacerdos facilè videri possint. Eiusmodi prouidentia famæ tuæ tibique consulitur, Confessarie. Nam

Periculosæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Horat. l. 2.

Omnino prudentia opus est, & cautela maxima, tum conseruandæ animi puritati, tum etiam auertendis suspicionibus, quæ à consuetudine cum mulierculis facilè suboriri poterunt, & Religiosi viri nomen læde-

re. Quocirca olim quoque ſedes Confeſſiones excipientium extitiſſe publicè, exemplum S. Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani ſatis apertè declarat. De eo Guido Carthuſienſis refert, his verbis [a]: *Mulierum Confeſſiones non minùs cautè quàm benignè ſuſcipiebat; non enim in angulis, aut obſcuris ſecretiſque locis eas audire ſolitus erat, ſed potiùs vbi à pluribus conſpici poſſet. Et aurem quidem ſatis familiariter applicabat; oculorum autem in alteram partem vertebat aſpectum; auditum ſolum, propter inſidias Diaboli, huiuſmodi negotijs aſſerens applicandum.*

[a] In vita S. Hugonis.

VI. Qui earum confeſſiones audire ſolent, eas rarò admodum, & conſideratè viſitent, ceteri verò ab huiuſmodi viſitationibus abſtineant.

Prudenter id decretum: nam ſpiritu acediæ ſæpiſſimè eos agi qui fœminas frequenter inuiſere volunt, teſtis eſt Caſſianus his verbis per mimeſim dictis. *Quædam etiam (ſpiritus Acediæ) pia & religioſa dictat officia: illam religioſam deuotámque fœminam, præſertim parentum præſidio deſtitutam, magnum opus eſſe pietatis frequentiùs inuiſere; ac ſi quid ei ſit neceſſarium, quæ à proprijs parentibus negligitur atque deſpicitur, ſanctiſſimum procurari: magiſque oportere in his operam pietatis impendi, quàm infructuoſum ac ſine vllo profectu in cellula reſidere.* Hactenus Caſſianus. Et ne Monachis, aut Eremitis dumtaxat id inſtitutum conuenire ſuſpiceris, ecce tibi Beati Ambroſij ad Clericos admonitio: *Quid opus eſt*, inquit [b], *vt illa Viduarum ac Virginum viſitationes crebra accipiant auctoritatem? Quid neceſſe eſt, vt demus obtrectandi locum ſecularibus? Quid ſi aliqua illarum fortè labatur? Cur alieni lapſus ſubeas inuidiam? Quàm multos etiam fortes illecebra decepit? Quanti non dederunt errori locum, & dederunt ſuſpicioni? Cur non illa tempora, quibus ab Eccleſia vacas, lectioni impendas? Cur non Chriſtum reuiſas, Chriſtum alloquaris, Chriſtum audias? Illum alloquimur, cùm oramus: illum audimus, cùm diuina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Vna domus, quæ omnes capit. Illi potiùs ad nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Miniſterium altaribus Chriſti, non obſequium hominibus deferendum recepimus.* O verè ambroſium liquorem, è ſanctiſſimi Præſulis ore promanantem! Legat hæc frequenter, quem pudoris & Religionis amor tangit. Excuſant ſe nihilominus multi, & officium neſcio quod, charitatémque prætexunt. Id autem vidit, & reiecit ſummus ſanctúſque Pontifex Lucius I. ſanxit enim [c] *ne Clericus, humilitatis aut officij prætextu, frequentet Matronarum domicilia, ne quid ſecretè per Clericos, aut domeſticos mandet: agnitus deponatur, & ab Eccleſiæ liminibus arceatur.* Adeò ſeuerè Clerici primæuæ Eccleſiæ coercebantur. Si quando autem cauſſa incerit fœminas viſitandi, Hieronymi cautio ſeruanda erit, qui Nepotianum his verbis inſtruit [d]: *Si per officium Clericatus, aut vidua viſita-*

[b] Lib. 1. Offic. 20.

[c] Apud Grat. diſt. 81. c. Clericus.

[d] Epiſt. 2.

tur, aut virgo, nunquam domum ſolus introeas. Solus cum ſola ſecretò, & abſque arbitro, vel teſte, ne ſedeas. Poſtremò, proderit meminiſſe, quod ſupremo ad fratres ſermone, veluti teſtamento, nobis reliquit pijſſimus P. N. Ioannes Venetus. *Cum mulieribus*, inquit, *loquendo eſtote breues, & auſteri, & in earum familiaritatem nemo ſeſe inſinuet. Cauete ab eis, ne qua à fœminis labes aut clades noſtro Ordini proueniat.* Adijcerem & grauiſſima verba S. Proſperi Aquitanici, quæ huc mirificè facerent: ſed ne lectori meo moleſtus ſim, conſultò omitto. Qui ea volet legere, adeat libri eius ſecundi de vita Contempl. caput quartum.

CAPVT VI.

De regendis Monialibus.

AD Monialium, aliarúmque mulierum in Congregatione viuentium confeſſiones audiendas, ne quis noſtrum mittatur. Liberum tamen ſit Præpoſitis id bis in anno, aut ter, vt prçſcribit Concilium Tridentinum, pro Confeſſionibus extraordinarijs concedere.

Moniales Monaſterij ſanctę Mariæ de Sapientia, Neapoli, quod à ſorore Pauli IV. Congregationis noſtrę Inſtitutoris extructum ſit, ſolas ſub noſtro regimine retinemus. P. Generalis de Conſultorum conſilio Sacerdotem Confeſſarium pro illis audiendis eligat: aliúmque ex Patribus aliquem, loco ordinarij, qui eas regat, & moderetur, ac de cęteris rebus curam habeat: tamen vt is eo tempore ne ſit Præpoſitus. Ordinarius, & Confeſſarius, quotannis, ſi videbitur, ijdem in eodem munere reficiantur. Verùm vltra triennium prorogari, aut ſibi inter ſe alter alteri ſuccedere non poſſint.

Viſitatores pro Romana & Neapolitana Prouincia, cùm domos noſtras quotannis viſitabunt, Sanctimoniales iam dicti Monaſterij eodem quo fratres modo & ordine viſitent. Priuata munuſcula neque ab iis, neque à quibuſuis alijs Monialibus recipiantur. Nulli Noſtrum regere Seminaria, aut curam illorum habere permittatur.

Ad Cap. VI. Notæ.

1. MOniales Monaſterij S. Mariæ de Sapientia, ſolas in fide noſtra & clientela retinemus.

Quàm sit vetustum religiosos viros Monasterijs Virginum præesse, abundè testantur Patres, & Concilia. Tradit Philo Iudæus [a], religiosas olim Virgines Θεραπευτρίδας, à Iessæis religiosis viris fuisse instructas. Et apud Palladium in Lausiacis [b] lego, cùm plerosque alios, tum verò præcipuè Heliam Abbatem in Athlebe Ciuitate rexisse monasterium trecentarum Virginum. Concilium item Spalense 2. decreuit [c], vt Virginum Monasteria, Monachorum administratione gubernarentur. Omitto alijs testimonijs in re comperta onerare lectorem.

a De vit. contempl. & Niceph. lib. 2 ca. 16.
b Sect. 32.
c Can. 11.

II. P. Generalis confessariũ pro iis audiendis eligat.

Similiter sacræ Virgines S. Pachomij regulis institutæ à peculiari Presbytero Christi Sacramenta sumebant, vt tradit Palladius his [d] verbis: *Præter Presbyterum & Diaconum nullus transijt ad Monasterium fœminarum; & hoc per dominicum diem tantùm*: Vtique ob synaxim, quæ, (vt inquit Cassianus [e], singulis Dominicis celebrabatur. Refert etiam S. Prosper Aquitanicus [f] *cùm ipse esset Carthagini, ascendisse cum eo sacerdotem quendam in Monasterium puellarum, Dominico die illucescente, vt matutinum illic sacrificium solitò offerretur; quo in sacrificio pars diuini Corporis puellæ cuidam porrecta est.* Hæc ille totidem verbis. Idem habetur ex Concilio Epaunensi [g], quod ita sanxit: *Monasteria puellarum, nisi probatæ vitæ, & ætatis prouectæ, ad quamcunque necessitatem, vel ministrationem, ne permittantur intrare. Ad faciendam Missam ingressi, exacto statim ministerio regredi festinent: aliàs nec Clericus, nec Monachus iuuenis vllum eò accessum habeat.*

d Sect. 37.
e Coll. 23. cap. vlt.
f Cap. 38.
g Sect. 37.

III. Aliùmque ex Patribus aliquem loco Ordinarij, qui eas regat, & moderetur.

Habebat & antiquitus huiusmodi sacerdos penè omnimodam, &, vt loquuntur, ordinariam in ijs moderandis puniendisve potestatem, vti ex hoc quod Palladius refert, exemplo liquidò patet. *Eas*, inquit [h], *quæ pacem cum cæteris non habebant, atque consciæ erant illius quæ fuerat calumnijs impetita, & quæ dicta sunt, crediderant, Presbyter septennium segregauit, eas excommunicans.*

h Cap. 19.

IV. Priuata munuscula à Monialibus ne recipiant.

Memorabile est exemplum relatum à B. Gregorio in vita S. Benedicti Abbatis: Monachus, ait, *à Sanctimonialibus fœminis rogatus, mappulas accepit, sibique eas abscondit in sinu: qui mox vt reuersus est, eum vir Dei vehementissima obiurgatione cœpit increpare, dicens; quomodo ingressa est iniquitas in sinum tuum? &c.* Et huiusmodi quidem munuscula veluti animorum interdum non decentissima internuntia, quippe quæ virilem mentem aliquando emolliant, déque probitatis nonnunquam gradu detrahant, Clericis religiosisque viris esse vitanda, B. Hieronymus, Nepotiano scribens, grauissimè monet: *Crebra* [i], inquit, *munuscula, & sudariola & fasciolas, &c. sanctus amor non habet.* Immo meminisse quisque nostrûm debet, quod Concilium Hispal. 2. cap. 2. prudenter monet, videlicet, *vt rara sit ad sanctimoniales accessio, & breuis omnino locutio.*

i Epist. 2.

CAPVT VII.

De Concionatoribus.

AD munus concionandi deputentur, qui bonę indolis ſint, virtutiſque ſpecimen dederint. Ij primùm Superioris conſenſu priuatis declamationibus inter communem refectionem ſe exercitent, deinde palàm prędicent: facultatem ſolus Prępoſitus Generalis tribuat; & nonniſi qui Philoſophię priùs operam dederint, & ſacrę Theologię ſtudium abſoluerint, vel eius Lectiones ſaltem per triennium audiuerint, & concluſiones Philoſophię & Theologiæ defenderint: & præter virtutis & morum teſtimonium, à duobus aut tribus Patribus ad id à P. Generali deputatis, accuratè priùs de Philoſophiæ, Theologiæ, & Conſcientiæ caſibus examinati, & approbati fuerint. Illis, qui id nimis auidè, & non ex proximi charitate appetere videbuntur, ne facilè concedatur. Qui prædicare non valebunt, quin cibis quadrageſimali ieiunio vetitis vtantur, ne cenſeantur idonei ad concionandum, niſi fortè morbus caſu acciderit.

In concionando, ei rei potiſſimùm opera detur, vt Auditorum mores probè informentur, & ad Dei amorem excitentur animi, atque inflammentur. Ab inutilibus rerum & verborum lenocinijs abſtineatur. Qui contrà fecerint, ois prædicandi facultas ne detur. Quòd ſi eam habeant, & à ſuperioribus ſæpe moniti non ſe correxerint, à Generali Præpoſito prædicandi facultate priuentur.

In Ciuitatibus, vbi nos habitare contigerit, & in Eccleſijs noſtris, quoad eius fieri poteſt, Noſtri prædicent. Quòd ſi iuſta cauſa nata fuerit, de Præpoſiti Generalis licentia, aliò ad prędicandum mitti poterunt: ſocium tamen quiſque habeat virum probum, & modeſtum, à ſuo Prępoſito datum, qui in itinere, & dum prædicat, concionatorem comitetur: quique ei tanquam ſuo Præpoſito in rebus omnibus obediat. A domibus aſſignatis prope tempus prædicandi rectà proficiſcantur, nec deflectant à via. Viaticum à Patribus loci, vbi prædicauerit, perſoluetur.

Nemo noſtrum, eleemoſynas, quaſi ſuæ prædicationis ſtipendium, petat, aut etiam eo nomine oblatas accipiat, ſed eas tantùm quæ à fidelibus ſponte datę fuerint Quæ omnes, exceptis ſui itineris impenſis, illius domus eſſe cenſeantur, in cuius Eccleſia, ſiue Ciuitate prędicauerit, niſi fortè à ſæcularibus nominatim alicui domui fuerint deſtinatę.

Qui quotidie concionem habuerint, Chori omnino ſint immunes Qui ſolis Dominicis, & feſtis, ij ſemel ſaltem diebus ſingulis à Choro exemptionem habeant, niſi Præpoſito æqua de cauſſa videatur crebrior exemptio concedenda. Qui ad Moniales, vel in Oratorijs ſermones habent, Superioris arbitratu exemptionem aliquam obtineant.

Ad Cap. VII. Notæ.

I. II primùm Superioris concessu priuatis declamationibus inter communem refectionem se exercitent. Huius rei extat è prisco æuo non incertum vestigium. Lego in regulis Sanctorum vtriusque Macharij, Paphnutij [a]: *Venientibus ad refectionem nulli licebit loqui: nec alienius audiatur sermo, nisi diuinus, qui ex pagina profertur, & eius, qui præest, vel eorum* (quod ad nostram iam dictam oratoriam exercitationem facit) *quibus iste iusserit loqui, vt aliquid de Deo communicent.*

a Apud Henric. Cuik. in Notis ad Cassian.

II. In concionando ei rei potissimùm opera detur, vt auditorum animi probè informentur. Quod quidem longè efficacius fit exemplo, quàm verbo: alioquin, si quid nitida oratione fortassis acquiritur, id omne exemplo prauæ vitæ deperditur: meritóque in eiusmodi miseros concionatores, qui verbo construunt, vita destruunt, illi versiculi sancto Bernardo adscripti poterunt contorqueri:

Lingua magniloqua, & manus ociosa,
Doctrina lucida, & vita tenebrosa,
Res est monstruosa.

Sed quia, per Dei gratiam, in nostrates concionatores hi rythmi, spero, quadrare non poterunt, transeo ad dicendi formam, ac modum, qui religioso Oratori conuenire videtur; & longiuscula quidem hæc Adnotatio erit: habebit tamen, vt spero, quod sacræ Rhetorices iuniores candidatos (ad hos enim mihi sermo est) seriò legisse non pœnitebit. Aspectent ij, primùm velim, Apostolicum exemplar, quod veritatis præco Paulus proponit imitandum. *Loquimur*, inquit [b], *non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra: Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione auaritiæ, Deus testis est; nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs.* Id potissimùm Apostoli exemplum vrget, ne verba diuina captandæ humanæ gloriæ funditemus. Sic enim ab omni fuco affectatáque nouitate verborum longè erimus. Porro Apostolicum, hoc est, serium solidúmque dicendi genus, egregiè seruauerunt Apostolorum discipuli Therapeutæ. *Septima die* (inquit de his Philo [c]) *conueniunt in cœtum communem. Tum progressus in medium natu maximus, & dogmatum eius instituti peritissimus, differit vultu ad grauitatem composito, voce moderata, non sine magna prudentia, secus quàm Oratores, aut ætatis nostræ sophistæ ostentatores loquacitatis; vtpote vir, cui magis cordi sunt graues sententiæ, diligénsque & accurata harum enarratio, quæ non summis insidat auribus,*

b 1. Thess. 4.

c De vita contempl.

ctus, sed per auditum penetret in animum, ibique firmiter inhæreat. Reliqui omnes auscultant per summum silentium, annutantes oculis tantùm, aut capite. O verè Apostolicos Euangelij præcones à Clericis imitandos! Hinc videre est, quàm longè ab officio Euangelici concionatoris discedant ij qui ridicula verborum insolentia, & poëticis phrasibus cælestem Euangelij grauitatem, puritatémque deturpant. Istos B. Hieronymus his verbis exagitat: [a] *Iam in Ecclesiis ista vana* (vana ornamenta) *quæruntur: Omissâque Apostolicorum simplicitate, & puritate verborum, quasi ad Athenæum, & ad auditoria conuenitur, vt plausus circumstantium suscitentur, atque oratio Rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula, prodeat in publicum, non tam eruditura populos, quàm fauorem populi quæsitura, & in modum psalterij, & tibiæ dulce-canentis, sensus demulceat audientium, vt verè illud Prophetæ Ezechielis nostris temporibus possit aptari, dicente Domino ad eum: Et factus es ei quasi vox cithara suaue-canentis, & benè composita, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Hactenus B. Hieronymus. A me verò, Lector, si quæras [b],

Vnde hæc sartago loquendi
Venerit in buccas?

Vno dicam verbo; Quòd se, non Christum, prædicare animum habent, hoc est, quòd sibi laudem qualemcumque, & saltem imperitorum plausum, non autem animarum lucrum, & Christi gloriam, quærunt. Excuset me, quæso, pius Lector, eiusmodi concionatoribus vehementiùs succensentem: nam ex hoc prauo fonte tot illi turbidi aut noxij promanant riui. Inde enim oritur varia ea, & prorsus incondita sarcinatio, ex Historicis, Poëtis, Philosophis, Iurisperitis, Architectis, Medicis, Politicis, Hieroglyphicis, Emblematúmque scriptoribus: & (Proh Deum immortalem!) ex ipsis etiam Physiognomicis, & Astrologis, vt eruditi famam tam multiplici rerum copia (hoc est, inopia) imperitos aucupentur. Inde ridicula illa memoriæ ostentatio, qua vt nostri sæculi disertissimus ait, [c] *Laxant habenas linguis, & similiter cadentia similitérque desinentia coaceruantes, paria paribus, contraria contrarijs opponentes, multa etiam semel suo ordine repetentes, admirationem quidem imperitis, cordatis & intelligentibus nauseam, aut stomachum commouent. Inde dicta sursum versum, aut aliàs variato ordine assidua gesticulatio, discursatio, togæ manuumque iactatio, & præceps illa linguæ volubilitas, quæ neque se, neque miseros auditores respirare permittunt.* Inde denique est, quòd si eis succedat ex voto, hoc est, si turbas ad se concurrere cernant, successu ipso redduntur in dies magis vani, præfracti, tumidi: sin autem id minimè succedit, tum verò, cùm se sua spe frustratos videant, mirum, quantùm laborant, vt aliud quidvis vacuæ concionis causam fuisse, si non alijs, sibi saltem vtcumque persuadeant. Misereor certè plerosque ego iuuenes, qui cùm huic se facultati totos dedant, & verò indole, ingenio, eloquio, alijsque naturæ dotibus oppidò quàm valeant, hæc tamen omnia per miseram huiusce vanitatis consectationem citissimè corrumpunt: & ab eximijs Concionatoribus, qui in nostro alijsque Religiosis Ordinibus floruerant aut florent, non decora membra, non succum aut colorem venustum, sed næuos & verrucas, ex-

a Lib. 3. Comment. in Epist. ad Galat. in Procem.

b Pers. sat. 1.

c Muret. in Senec. Epist. 40.

primunt & imitantur. Sed misereor magis auditorum infelicem conditionem, qui in tales incidunt rerum diuinarum tractatores. His enim auditis etsi gestiunt nonnulli, aut fortè complaudunt, rarus tamen est qui melior inde redeat, quàm intrauerat. Verbis enim suis vim omnem ipsi adimunt, qui præbere debuissent: *Propterea quòd* (vt Cicero inquit [a]) *ex eiusmodi dicendi modo suspicio quædam apparationis, atque artificiosæ diligentia nascitur, quæ animos auocat, ne fidem dictis præbeant.* Istam itaque ego multorum mentis atque oris luem hac potissimùm ætate per suggesta longe latéque grassantem, sanatam cupio; vt alios scelerum morbo correptos suis ipsi concionibus deinceps sanare queant. Audiant igitur ij, quæso, Ioannem Chrysostomum, summum illud Christianæ eloquentiæ columen, ex testimonio ipsorummet veterum oratorum huiusmodi vitia his verbis insectantem [b]: *Verborum sanè & orationis curiositas superflua est, & sophistis digna, vel potiùs ignauis adolescentibus; vt ipse quoque apud eos Philosophus Plato inducat magistrum suum Socratem, admodum hanc apud Iudices coarguentem, pollicentémque, quòd verba ab ipso audient, simplici, & (vt ita dicam) subrustica doctrina, nullis vocabulorum fucata illecebris.* Et meritò quidem, ac iure quodam suo huiusmodi pueriles affectatiunculas obiurgat noster Chrysostomus: quippe qui illustre illud Chrysostomi cognomen, non à pigmento aut figmento dictiuncularum per vanum laborem, & miserandam industriam, ex imo fundo Etrusci idiomatis quæsitarum; sed ab ore sincero, & à pura illa ac verè aurea verborum simplicitate sit consecutus [c]. Sciunt, qui magni huius viri scripta peruolutant, quàm casta, quàm placida, quàm leniter & sponte sua fluens, quàm omnium hominum sensibus ac mentibus accommodata sit eius oratio. Et memini apud Georgium Alexandrinum [d] me legisse, Chrysostomum, vt liberè ferri sineret Atticam suam facundiam, *excussisse Libanij Sophistæ imperium ob dictiunculas:* nimirùm, quòd cerneret se ad dictiunculas inani fuctu consectandas à Libanio duriter adigi. Quocirca dum illud potissimùm curauit Chrysostomus, ne verba sua nimis curaret, amplissimam frugem suæ prudentissimæ (vt ita dicam) negligentiæ retulit; videlicet, vt sicut Demosthenes ob hoc præcipuè Ciceroni anteponitur, [e] quòd eius sermo minùs scholam sapiat: Ita etiam noster Chrysostomus, Basilium & Gregorium existimatus sit [f] superasse, non ob aliud, quàm quòd in dicendo non adeò operosè cultus extiterit, & aurum suum maluerit inelaboratum trutinare. Neque equidem hæc dico, quòd putem, Gregorium, aut Basilium, aut Libanium, aut M. Tullium istius horridæ verborum affectatiunculæ fuisse studiosos, (absit enim vt tantorum virorum clypeo tueri se possint hi quos insipida eiusmodi orationis scitamenta delectant) sed vt interim ostendam quantùm porro deceat Christianum Oratorem non fucata dictio, & sine impedimento per aures in animum illabens, & in viscera. Nam, vt Fabius inquit [g], *vtendum sermone, vt nummo, cui publica forma est; alioquin si peregrinum offeras, respuetur: nihil enim odiosius affectatione est.* Vtque cum Seneca dicam [h], *si fastidiunt quæ ex more sunt, & quod nouum est, quærunt: & modò antiqua verba, atque exoleta reuocant, & proferunt; modò noua*

a Lib. 1. de Inuent.

b Hom. 1. in Ioan.

c Lege Metaphrast. in vit. Chrysostomi.

d In vit. Chrysost.

e Viues lib. 2. Rhet.

f Oront. in præfat. ad Chrysostomi Comment. in Matth.

g Lib. 1. c. 6.

h Epist. 114.

fingunt, & ignota deflectunt; continget illis, vt in sua ipsi patria peregrini videantur, & longinquo cœlo ac solo nati. Eiusmodi autem affectatam orationem Demetrius Phalæreus, & Aristoteles ipse, ex quatuor fieri asserunt [a], videlicet, *ex verbis inusitatis, crebris epithetis, varijs verborum circnitionibus, metaphoris ineptis*. Vide igitur, sincere Lector, quantùm à vera Rhetorices arte recedant ij qui tum se eximios concionatores euasuros sperant, cùm iam dicta quatuor orationis vitia, quæ ipsi virtutes falsò æstimant, abundè conquirunt. Christianus autem Orator, & summi Numinis legatus ad homines, contrà sentiat necesse est; & cum B. Augustino [b], *Non se aliquid egisse putare, cùm populos audiet ad eiusmodi vanitates acclamantes, sed cum flentes videbit*. Dicet fortasse quispiam; ornatum igitur orationis damnas? Damno? Imò equidem probo, & laudo; modò vestis decora sit, quæ pudicam virginem deceat; non autem ea probanda & vtenda est, quam ignoti velleris, siue schematis, ab altero orbe peregrinus aduehat, neque tinnulla & versicolor, quam ostentet saltatricula, quæ solet, ad crotalum, crispum mouere latus. Locutiones aliquot nimis pictas & floridas, quæ B. Cypriano adhuc adolescenti & neophyto exciderant, meritò improbat Augustinus [c]; & nos laudabimus insuetas illas voces, & è gutture exhalatas, quas vel Tusci ipsi, è quibus conquisitæ sunt, vix intelligant. Ah valeant tandem huiusmodi verborum phrasiúmque ineptiæ. Da verò operam, Euangelice Concionator, vt, quem docet S. Bernardus funiculum illum triplicem tibi compares, qui difficilè rumpitur; ad extrahendas animas de carcere diaboli, & trahendas post se ad regna cælestia validissimum. Is est, *Si rectè sentias, si dignè proloquaris, si viuendo confirmes*. Plura equidem possem è sacris prophanisque in hanc rem promere: sed Auidij Vari illud hîc valeat: *Aut hoc, quod produxi testium satis est, aut nescio quid sit satis*.

[a] Partic. 65.

[b] Serm. 115.

[c] Lib. 4. Doct. Chri. cap. 14.

III. Qui contrà fecerint, sæpè moniti, prædicandi facultate priuentur.

Ob eandem causam, publicè grauitérque obiurgatum legimus Triphyllium, Ledrensem Episcopum, à S. Spiridione, Apostolici spiritus viro. *Cùm enim is pro* grabbato, *quod in Euangelio legitur* [d] scimpodem, *hoc est, lectum humilem, dixisset: indignatus Spiridion, Tune, inquit, melior es Christo, qui dixit grabbatum; quòd eius verbis vti pudeat? quo dicto exilijt è sede sacerdotali, populo inspectante: atque hoc modo Triphyllium ad sermonis modestiam erudiuit*. Hæc Sozomenus his ipsis penè verbis narrat [e].

[d] Matth. 9.

[e] Li. 1. c. 11.

Benedictionem verò à Prælato accipiant concionaturi, exemplo S. Amandi Traiectensis Episcopi: quem antequam Episcopus esset, idem antequam conciones haberet fecisse tradit Beda, vitæ eius scriptor.

Huc pertinet aliquid dicere de ligneo illo sepimento, quod nostri Patres inter viros atque mulieres in sacris ædibus erigendum primi omnium superiore sæculo instituerunt. Id verò accepêre ex antiquissimo Iessæorum ritu. *Philo* [f]; *Id commune σεμνεῖον, in quod septimo die conueniunt, septo clauditur duplici separatis virorum & mulierum cætibus*. Et paulò inferiùs: *Medius autem paries à solo surgit, tribus quatuorve cubitis in modum loriculæ: superiora vsque ad tectum patent: vnde gemina prouenit commoditas, & quod pudori fœ-*

[f] De vita contempl.

minei sexus consulitur, & quòd verba doctoris exaudiuntur facilè absque obstaculis, quæ vocem intercipiant. Clemens autem Romanus, Philoni penè æqualis, ab Apostolis id indictum innuit, his verbis: [a] *Horum cura, vt laici sedeant cum omni quiete & ordine: mulieres quoque separatim sedeant.* Quocirca miror qua ratione Chrysostomus dixerit se à senioribus audiuisse hos parietes non fuisse ab initio; nisi intelligat in Syria aut Antiochia non fuisse. Ligneos verò extitisse sua ætate tradit idem Chrysostomus: *Oportet*, inquit [b], *in interiore pariete viros à mulieribus separari. Verùm quoniam non vultis, necessarium esse patres nostri putauerunt ligneis parietibus separari.* Meminerunt eiusmodi sepimenti complures alij, nempe Nazianzenus [c], Ambrosius [d], Augustinus [e], Cyrillus Hierosolymitanus [f], Ordo Romanus [g], aliique posterioris æui scriptores. Hunc morem iam desuetum Patres nostri, vt dixi, ad Ecclesiæ decorem honestatémque reuocarunt [h].

a Const. l. 2. cap. 57.
b In Matth. Hom. 74.
c Orat. de Anastasia.
d Ad Virg. lap. cap. 6.
e De Ciu. l. 3. ca. 28.
f Præfat. ad Catech.
g De Off. Missæ.
h Galeotus in suo M. S. Testimonio.

IV. Socius, in itinere, & dum prædicat, Concionatorem comitetur, eique, tanquam suo Præposito, in rebus omnibus obediat. Idem seruabant Tabennesiotæ. Reperio enim, in regula ab Angelo dictata, sanctionem [i]: *Maiores quicunque è fratribus mittuntur foras, quandiu ibi fuerint, habebunt ius Præpositorum, cuncta gerentur arbitrio eorum.*

i Reg. cap. 3.

V. Nemo nostrûm, eleemosynas quasi suæ prædicationis stipendium petat. Apostolum imitabimur: nam etsi vnà cum eo nostri concionatores dicere possint [k]; *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Prudentissimè tamen ipsemet suo nobis exemplo ostendit Apostolus id non esse faciendum, ne ob lucrum temporale Euangelij verba nundinari videamur, & simus iis similes, quos Propheta coarguit, cùm inquit [l], *Caupones vestri miscent vinum aqua.* Hoc est, B. Ambrosio exponente, *functionum diuinarum præsules, facti sunt humanarum sectatores rerum.* Ideo post verba nuper dicta, idem subdit Apostolus; *sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi.* Apostolo bene concinunt Patres, atque Concilia, meritóque damnant huiusmodi hominum mendicabula, qui sacras res, sacra verba, ad vilem quæstum, fœdissima nundinatione prostituunt.

k 1. Cor. 9.
l Isai. 1.

CAPVT VIII.

De Oratione Mentali.

SEMPER quidem, vt ipsa Veritas pronunciat, oportet orare: præcipuè tamen bis in singulos dies, signo dato, ad communem orationem, magno tam animi quàm corporis silentio, vt quietè per horę dimidiæ spatium nixi genibus oremus: idque fiat primùm quidem statim post persolutas preces Matutinas: deinde vero si sit hyems, prima nocte: sin æstas, statim post meridianam quietem. Oremus autem simul in Choro, vel in Ecclesia, quoad eius fieri poterit. Bis etiam in die, semel ante prandium, iterum antequam eatur cubitum, rationem dicti, facti, cogitati nobiscum putemus. Quotidie post cœnam, & gratias de more actas, lotis cum silentio manibus, abeant in Ecclesiam, Deum pro benefactoribus, præsertim quos in mensa recitatos audiuerint, oraturi.

Ad Cap. VIII. Notæ.

1. PRæcipuè tamen bis in singulos dies nixi genibus oremus. Sanctum hunc, bis die, mente exorandi Numinis ritum, visi sunt suo exemplo atque autoritate firmasse duo sanctissimi veteris Testamenti Patres, Isaac, atque Dauid. Illum etenim legimus [a] inclinato iam die egressum in agrum ad meditandum; istum verò de se ipso dixisse [b], *Manè adstabo tibi, & contemplabor.* Ita namque Augustinus legit, pro, *Videbo*, quod vulgatus habet. Sed & noui Testamenti Proceres idem firmarunt institutum. *Manè Petrus* (narrat Clemens [c]) *assumptis fratribus, & me, ad locum quendam secretiorem secessimus orationis gratia.* Philo de Therapeutis [d]: *Quotidie bis precari solent: manè, ac sub vesperam; oriente Sole, petentes diem verè felicem, vtque mentes eorum calesti repleantur lumine: occidente verò, vt anima in totum exonerata sensibus, moléque rerum sensibilium, veritatem vestiget in intimo cubiculo.* Hæc ille de primis Christianis Alexandrinis, vt Eusebius ac Hieronymus interpretantur. Id verò faciebant prisci Patres post psalmodiam, vti & nos facimus. Athana-

a Genes. 24.
b Psal. 5.
c Recogn. lib. 8.
d De vita contempl.

sius [a]; *Post Psalmos precatio, genuúmque flexio.* Sophronius [b], *Consuerat enim* (Zosimus Abbas) *in constituto diei tempore figere cursum, & stans psallere : deinde genu flexo orare.* Sanctus Bernardus, siue Adrilredus Abbas [c]: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Iesu? Cùm sub paupertate degeremus militia regularis, & staremus ad psallendum in nocturnis vigilijs, & post vigilias absconditi incumberemus orationibus, illis beatissimis interuallis, quàm magna tunc in cordibus nostris multitudo dulcedinis?* Chrysostomus de Monachis sui temporis loquens [d]: *Hymnis verò, inquit, iam decantatis, genibus flexis Deum vnanimes pro his orant, quæ nec in mentem quidem multorum facilè veniunt : nihil enim præsentium petunt rerum, quippe quarum nulla omnino sibi cura est : sed vt intrepidi, cùm Filius Dei ad iudicandum viuos & mortuos venerit, ante tribunal illud terribile assistant, vt nullus illam vocem audiat, Nescio vos : & laboriosam hanc vitam, recta peragant conscientia : vt difficillimum hoc mare secundo nauigent vento. Huius orationis dux & caput præcipuum est eorum Pater, atque Præfectus.* Habes igitur, ex his, manè vesperique orandum flexis genibus, & quibus de rebus orandus sit Deus. Addo & aperto capite orandum. Ita enim S. Pachomius, Angelo dictante, sanxit [e]: *Nullus habebit opertum caput meditationis tempore.* Videtur autem & Paulus idem voluisse, ad Corinthios scribens [f]: *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.* Super quem locum Chrysostomus ait : *Virum non semper detecto capite esse cogit, sed tantùm dum orat.* Qui ritus à nostris etiam seruatur, aliquibus dumtaxat ob capitis debilitatem exceptis. Si cui autem videatur breuius quàm par sit, dimidiatæ horæ spatium, adeat Chrysostomum loco nuper citato, & Cassianum eius Diaconum, dilaudantes breuia, sed crebra orationis spatia. Nihil verò hoc loco dixerim, quàm necessaria sit orationis, meditationisque rerum sacrarum exercitatio, ijs qui inter vitæ huius fluctus & pericula deuehuntur. Illud Isaaci Abbatis huc adduxisse sat fuerit : *Impossibile est, inquit* [g], *absque precationis præsidio cum virtute degere. Etenim qui fiet, vt quis virtutem exerceat, nisi continenter adeat, & supplex ad genua accidat ei qui virtutem omnem suppeditat ac largitur hominibus?*

II. **Post meridianam quietem.** Vetustissimum meridiandi morem vetustissimus scriptorum Iobus memorat [h]: *Inter aceruos, inquit, eorum, meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.* Et David Rex, vtique meridiatus fuerat [i], *cùm surrexit de strato suo post meridiem* : nisi hunc locum non de accubitorio, sed de cœnatorio strato velit quis intelligere. Vtcumque sit, non deerunt alia vetusta huius ritus exempla : Mitto profanos autores, Varronem, Senecam, Plinium, cæteros. Inter sacros habes Chrysostomum, ad Antiochenses ita loquentem [k]: *Post mensam ad somnum conuertebamini.* Loqui verò cum de prandio, non de cœna, ex contextu patet. Sanctus item Sidonius [l], aulicos Theodorici Regis describens, tradit, eos meridiari consueuisse. Et, vt ad Monachos religiosósque viros transeamus, sancit B. Benedictus Abbas [m], *vt post sextam horam surgentes à mensa, pausent in lectis suis cum omni silentio : aut fortè qui va-*

a Lib. de Virginit.
b In Vita S. Mariæ Ægypt.
c Serm. de duob. disc.
d Hom. 69. in Matth.
e Reg. nu. 10.
f 1. Cor. 11.
g Inst. l. 2. c. 10. & Coll. 9. c. vlt.
h Iob 24.
i 2 Reg. 11.
k m. c. Hom. ad pop.
l Lib. 2. ep. 2.
m Reg. c. 48.

lnerit sibi legere, sic legat, vt alium non inquietet. Idipsum significat Ioannes Climacus, cùm inquit [a]: *Manè primò languentes medicus visitat: acedia verò Monachos circa meridiem.* Rodulphus, Rabani discipulus, in vita S. Liobæ virginis; *Discretionem*, inquit [b], *in omni actu ac dispositione sua magnopere seruauit, & rerum faciendarum finem semper attendit, ne forte inconsultè cœpta, postmodum imperfectione sua pœnitentiam sibi generarent: & quia ad orationis studium, & lectionis industriam, mentis intentionem sciebat esse necessariam, in vigilando, sicut & in ceteris virtutum studijs, modum tenere consueuit. Nam licèt semper modicum, tota tamen æstate post prandium, tam ipsa quàm cuncta sibi subiectæ sorores, pausabant; nec vlli earum indiscretè vigilare volenti consensit: dixit enim, adempto somno, sensum adimi, maximè legendi* Petrus Damianus in vita S. Dominici Loricati: *Aliquando*, inquit [c], *cum per quietem sacrosancto die Pascha, ceteris fratribus iuxta morem meridie dormientibus, &c.* Edinerus Anglus [d]: *Cùm igitur fratres meridiana hora in lectis, ex more quiescerent.* Et iterum: *Vna dierum fratribus loci illius post mensam in lectis suis pausantibus, subitò fragore cœlum intonuit.* Ex his verò quæ diximus, habes, Religiosos quosdam, æstate solùm meridiatos fuisse, alios verò, etiam hyeme. Et S. quidem Benedictus hyemem non excipit; sed vniuersè loquitur. Ioannes autem Diaconus scribit [e], etiam hyeme meridiatum: *Alio quoque tempore dum in die natalitio eiusdem* (Andreæ) *Apostoli, iam meridianis horis, fratres requiescerent, subitò quidam frater, &c.* Sed reuera præstat, æstate tantùm meridianam quietem, (vti nos facimus,) signo dato, omnibus indici. Nam vt omnes per hyemem quoque meridientur, superfluum videatur. Et vt Loricatus dicebat: *Quid tam longinquis noctibus in die dormire?* Si quis verò nostrûm matutino labore vigiliáque fatiscat, potest & hyeme aliquantisper post prandium requiescere: id enim neque iniungit, neque prohibet regularis Sanctio. Porrò verum est, & antiquitus vsurpatum, quosdam ea esse corporis constitutione, vt (quod Varro de se scribit) *nisi insitio somno diem diffiderent, non viuerent.* Deque Plinio seniore iunior [f] tradit, *dormisse meridie minimum; mox quasi alio die studuisse in cœna tempus.* Perbellè autem, inquit, *quasi alio die*: quippe quòd meridiano somniculo refectis, dies quasi altera videatur exoriri. Iuuat igitur plerosque homines quotidiana per totum annum meridiatio, modò somnus breuis sit, & (vt Plinius ait) *minimus*: alioqui nocet capiti, & torporem otiúmque nutrit. Id vitium vitabitur, si meridiatio, saltem æstiua, non iacendo sed sedendo fiat. Hoc situ habitúque corporis Augustus meridiabatur. *Post cibum meridianum*, scribit Suetonius [g], *ita vt vestitus calceatúsque erat, rectis pedibus*, hoc est, sedens, & capite tantùm ac corporis trunco in lectum reclinato) *paulisper conquiescebat.*

Sed antequam è tractatu de somno & quiete discedamus, libet aliquid dicere de dormientis modesto habitu tantopere à sanctis Patribus laudato. Chrysostomus, loquens de Antiochenis sibus Monachis; *Somnus*, inquit [h], *ijs modestus, ac sobrius: nemo enim ibi stertentem quempiam viderit, aut anhelantem, neque inter quietem corpore iactabundum, vel nudum. Dormiunt sanè cubantes modestiùs quàm vigilent ceteri: quod profectò è quadam*

a Grad. 13.
b Cap. 11.
c Cap. 12.
d In vita S. Anselmi.
e Vit. S. Greg. l. 1. c. 12.
f Epist. ad Tacit.
g In Augusto, c. 78.
h Hom. 59. ad pop.

bene instituti animi ratione efficitur. Sanctus verò Abbas Bernardus: [a] *Si quem fortè Religiosum, in dormiendo, seu duriùs stertentem audiuisset, seu minùs compositè iacentem vidisset, patienter ferre vix poterat, sed carnaliter eum, seu sæculariter, dormire causabatur.* Quocirca bene factum, vt si non vestiti, (qui Monachorum mos est) interiorem saltem subuculam induti dormiamus. Carthusianus enim [b], absque linea cubare, contrarium honestati censet. Et iure dixit olim Ennius [c], *Flagitij principium esse nudare inter Ciues corpora.* Id mundi asseclis indecorum: à mundo autem semotos aliquid amplius decet, nempe vt ne noctu quidem, neque inter tenebras nudent copora.

a Guiliel. in vita eius, l. 1. c. 4.

b In To. c. 8.

c Apud Cice. Tusc. 4.

III. Oremus autem simul in Choro, vel in Ecclesia.

Multæ suppetunt rationes, ob quas in templo potiùs quàm in priuata cellula, aut alibi orandum videtur. Prima attingitur à disertissimo Tertulliano, quòd videlicet in Templo Deus habitet peculiari modo: hoc est, Christus Dominus in augustissimo Sacramento Eucharistiæ: sic enim accipio illa eius verba iam aliorsum supra relata: *Sub conspectum Dei viui Angelo adhuc orationis adstante:* quippe de Templo, non de alio loco videtur Tertullianus loqui; agit siquidem eo libro, de oratione simul, & sacrificio Missæ: immo sub nomine *Orationis* vtrumque comprehendit, vt non modò Pamelius, sed Rhenanus etiam intellexit. Iam verò quis nesciat, Missæ sacrum non nisi in Templo fieri consueuisse: Orandum igitur est libentiùs eo ipso loco, quo sacrificium offertur corporis Christi, quo, Missæ peracto sacrificio, Christus adhuc nobiscum adest in pyxide sacra & pane sub exiguo, ad nostrum solatium atque perfugium adseruatur. Sapienter proinde Rodriguez è Soc. Iesu, rerum spiritualium Magister insignis, hac ipsa motus ratione, docet [d] vtile esse ad procurandam attentionem in Oratione, adesse ante sacratissimum Christi corpus in Ecclesia, videlicet *sub conspectum Dei viui, qui spes orantium viuificat, & fouet.* Hæc prima Tertulliani ratio est: subdit verò continenter alteram; *Angelo orationis adstante.* Hæc etiam ratio magnopere nos prouocare debet ad orandum in Ecclesia, quam Angelus orationis (quippe domum orationis) immo Angeli complures incolunt, & custodiunt: complures, inquam: nam præter frequenter illos, quos circum Eucharistiæ in Templo seruatæ sanctissimum Sacramentum confluere credendum est: (vnde quod in liturgia Romana singulari numero legitur, [e] *Iube hæc perferri per sanctum Angelum tuum* in nonnullo M. S. Vet. Codice, plurali numero est, *Per sanctos Angelos tuos*:) singula etiam Altaria singulos habent Angelos, veluti præsides & custodes Altarium: vt Leontio Abbati Cœnobij Theodosiani cælitus reuelatum narrat Ioannes Moscus in Prato spirituali. Id verò apertissimè docet Concilium Aquisgranense, his verbis: [f] *Maximè Angelici nobis spiritus adesse credendi sunt, cùm diuinis specialiter mancipamur obsequijs*, idest, cùm Ecclesiam ingressi, vel lectionibus sacris aurem accommodamus, vel Psalmodiæ operam damus; vel orationi incumbimus, vel Missarum solemnia celebramus. Accedit tertia ratio, eáque validissima, nimirum imitatio

d Cap. de Attent.

e Cap. 4.

f Cap. 131.

imitatio Sanctorum. Mitto vetustissimum illud Danielis [a], qui cùm non possetad Templum accedere, saltem aduersùs Templum, apertis fenestris, orabat. Accedo ad Christi & Christianorum veterum exempla, qui non solùm psalluisse, sed etiam mente orasse in Ecclesijs leguntur. Cursim commemorabo hîc aliquot: non enim opus referre omnia. Christum in Templo orasse, ex Matth. 21. 12. argumentatur Augustinus contra Adimantum Manichæum [b], & [c] opere de doctrina Christiana. Primos itidem Christianos, probant verba illa Lucæ in Actibus [d]: *Quotidie quoque perseuerantes vnanimiter in Templo*: *Frequentabant Templum*, ait Lyranus, *fideles illi primitiui, ad orandum*: & ante Lyranum, Chrysostomus contra Anomæos: *Simul in Templo conuersabantur, precibus & lectionibus intenti.* Et verò vnà cum ijs primis Christianis Apostolorum discipulis, æquum est, vt etiam Apostolos ipsos in Templum orationis gratiâ conuenisse intelligamus. Apostolorum exemplum secuti sunt Therapeutæ Alexandrini, qui, vt Philo narrat, in *σεμνείοις*, idest, Templis, psallebant alternatim: & ibidem, occidente sole, supremam veritatem vestigabant in cordis intimo cubiculo: de cordis enim intimo recessu, non de priuato cuiusque materiali cubiculo exponi debet eo loco disertissimus Philo. Ab Apostolis autem multorum quidem sæculorum interuallo distat B. Catharina Senensis, Dominicani Ordinis, & Italiæ nostræ præclarissimum sidus: sed Apostolis meritò coniungetur Diuini planè spiritus, & pectoris Apostolici virgo: Ea igitur in Templo frequentiùs & libentiùs orasse legitur, *quòd illic minùs tentationibus Dæmonis infestaretur.* Quæ quarta esse ratio potest, etiam mente orandi in Ecclesijs. Quinto loco accedant veterum sanctorum de eadem, & monita, & documenta. Ignatius ad Magnesianos hæc scribit: *Omnes ad orandum in idem loci conuenite, sit vna communis precatio, vna mens, vna spes in charitate, & fide inculpata in Christum Iesum, quo nihil præstantius est: Omnes velut vnus quispiam in Templum Dei conuenite, velut ad vnum Altare, ad vnum Sacerdotem summum Dei ingenitii Iesum Christum.* Ad Templum itaque non modò sacrificij, sed etiam orationis causa conueniebant. Denique nobiscum est P. Lorinus, è Soc. Iesu, (vt cæteros taceam) qui ex doctrina Chrysostomi [e], *in magno errore, ait, versari eum, qui æquè bene se orare dicat in Templo, atque extra Templum.* Ipse autem Chrysostomus [f]: *Et domi quidem*, inquit, *orare potest, sic autem, vt in Ecclesia, non potest; vbi tanta Patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur. Non ita Dominum per te solum orans audieris, vt cum fratribus tuis. Hic enim maius aliquid est, puta vnanimitas, & consonantia charitatisque vinculum, & Sacerdotum orationes.* Ita Chrysostomus. Neque verò quispiam dicat, intra Templum non posse orantem latitare, & in abscondito gemitibus suspirijsque affectus suos expromere Deo: nam, nouitijs exceptis, qui laudabili instituto simul in Choro orant, quilibet alius è nostris varia Ecclesiæ loca inuicem disiuncti pro libito petunt, ibique sacris meditationibus, orationibúsque commodè vacant. Sic olim (vt superiùs retuli) factitasse religiosos Benedictini Ordinis narrat Adilredus: *Cùm staremus*, inquit, *ad psallendum in nocturnis vigilys, & post vigilias* (vtique in eadem Ecclesia) *absconditi*

a Dan. 6. 10.

b Cap. 10.
c Lib. 3. c. 6.
d Act. 2. 46.

e In cap. 3. Actor.
f Hom 3. cõt. Anom.

incumberemus orationibus, illis beatissimis interuallis, quàm magna tunc erat in cordibus nostris multitudo dulcedinis. Id ipsum clarissimè constat ex eo quod narrat Bonfinius, Decad. 2. Rerum Hungar. lib. 2. iuisse videlicet *S. Stephanum Regem, cum duobus duntaxat comitibus, ad Monasterium Benedictini Ordinis, in monte S. Martini constitutum, ibi vidisse, fratres, absolutis nocturnis precibus, quas Matutinas vocant, in eodem Templo manentes, in angulos sese abdidisse, ibique Domino preces mente obtulisse.* Quis itaque vetat, abscondi & nos intra Sacella singulos, & ibi clauso etiam ostio orare cælestem Patrem? maximè cùm S. Paulinus Nolanus verba illa Christi, Matth. 6. *Intra in cubiculum tuum*, capellam (approbante Baronio) interpretetur. Quis, inquam, vetat, vt siue in Sacellis, siue in aliis Ecclesiæ locis quisque nostrûm gemat, tundat pectus, brachia in crucis formam extendat, & ponat in puluere os suum, si fortè sit spes? Et verò quo alio commodiore loco repræsentabit orans felicem illum publicanum, quàm in Ecclesia? *Vbi à longe stans non audeat in cælum oculos leuare? & descendat hic iustificatus in domum suam?* Itaque nulla adest excusatio, quominus in Ecclesia orationem mente fundamus; plurima verò persuadent & commoda præsentia, & vetusta monita, &, quod caput est, instituta, legésque Ordinis nostri à primæua fundatione à nostris seruatæ Patribus. Scio, qui pro oratione in cellis facienda diligenter scripserit: Ego verò quamuis eius socium Suaretium [a] de fructu orationis in Ecclesia, fusè ac eruditè scribentem illi obiicere possem, non aduersor tamen; suum cuique placeat: Ego alienum non damnans, nostrum iure & meritò tueor institutum.

a Tom. de Relig lib 3. c. 5.

IV. Rationem facti, dicti, cogitati nobiscum putemus. Quod olim & Ethnicos factitasse non vnus scriptor memorat In primis antiquissimus Pythagoras, Italicæ Philosophiæ pater, carmina reliquit verè aurea, quæ Virgilius ipse non dedignatus est Latino exprimere Epigrammate, virum bonum describens:

Non prius in dulcem declinat lumina somnum
Omnia quàm longi reputauerit acta diei,
Quid prætergressum, quid gestum in tempore, quid non?
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit?
Quàm melius mutare fuit? miseratus egentem,
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nosse bonum foret? Vtile honesto
Cur malus antetuli? num dicto, aut denique vultu
Perstrictus quisquam? cur me natura magis quàm
Disciplina trahit? sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortúque à vespere cuncta reuoluens,
Offensas prauis dat, palmam & præmia rectis.

Hæc è Pythagora Poëtarum princeps Maro. Idque profectò optimum institutum seruabat Pyrrhus Eliensis (apud Laertium: [b]) *qui deprehensus aliquando solus, ac secum loquens, sueque à se vitæ rationem reposcens, rogatúsque.*

b. Lib. 6. c. 12.

quid solus ageret; Meditor, inquit, esse probus. Publius item Sextus, laudatus à Seneca [a] vir, *consummato die cùm ad nocturnam se quietem recepisset, interrogare solebat animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es!* Sed hæc è prophanis libasse sit satis: ad nostros venio. Qui vniuersè dicunt, seipsum diligenter examinare, cordisque recessus intimos penetrare, via est breuissima ad sui ipsius notitiam acquirendam: quæ quantum vtilitatis homini afferat, scitè docuit Gregorius Theologus in Tetrastichis:

Te potiùs ipsum, quàm propinquos excute:
Lucrum tibi illud, proximis istud foret,
Numerare præstat acta, quàm vastas opes:
Nam semper acta permanent, opes fluunt.

Et ante Gregorium, Origenes exponens illud Ieremiæ [b]: *Scrutemur vias nostras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum,* scripserat: *Fieri non potest, vt conuertatur ad Dominum, qui se ipsum ignorat: semetipsum verò agnoscit quisque, dum suis actionibus mentem atque animum adhibet, simul illas conspiciens, simul etiam intellectuales efficiens.* Hæc Origenes. At breuiùs multò vates regius id ipsum monet: *Irascimini, & nolite peccare; quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.* Quæ verba ad examen, quod dixi, facere, magnus ille Chrysostomus aureo exponit commentario. *Ecce habes,* inquit, *codicem, vbi scribas quotidianum expensum: habes codicem conscientiam tuam, & scribe quotidiana peccata, quando accubueris super stratum tuum, & neminem infestum pateris, antequam veniat tibi somnus, profer in medium, codicem, conscientiam tuam; & reminiscere peccata tua, si quid in verbo, seu in facto, vel in cogitatione peccasti. Hoc enim dicit Propheta, Irascimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.* Idem alibi [c]: *Quando in lectulum tuum veneris, vt sopori membra concedas, ad tranquillum portum, cùm nemo tibi modestus est, nemo pulsat, dicito in corde tuo, & in anima tua: Expendimus diem, ô anima: quid boni fecimus? aut quid mali operati sumus: &, si boni quid fecisti, gratias age Deo: si quid mali, de cetero ne facias. Et reminiscens peccatorum tuorum effunde lacrymas: & poteris in lectulo tuo positus ea delere. Roga Deum tuum, & sic permitte animam tuam soparari.* Cassianus [d] autem huc etiam trahere videtur illud Psalmi 93. asseritque debere quemque apud se examen in se ipsum instituere, exemplo Dauidis hæc de se narrantis [e]: *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui, & meditatus sum nocte in corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Porrò erit id veluti præparatio ad confessionem postero die promptiùs exactiùsque faciendam. Proinde inquit Chrysostomus [f], *Cùm reputare tibi cœperis, tanquam in equuleo suspende cogitationes tuas, & vngula timoris Dei radito eas. Propone tibi timorem gehennæ, superducito ei sectura ictum, non habentem vulnus, iudicium facito tibimetipsi terribile, leniorem præpara confessionem cogitatuum tuorum, vt non in futuro die ignauior sis ad perscrutanda peccata.* Ab eodem sensu est illud Io. Climaci [g]: *Cùm calculi singulis horis ponuntur, totius diei ratio postmodum clariùs agnoscitur,* Nicetas verò, Nazianzeni scholiastes; *Suorum,* inquit, *scelerum in-*

a De Ira l.3. c.37.
b Thren 3.
c In orat. de conf. & pœn.
d Coll. 1. c. 20.
e Psal. 93.
f In Psal. 50
g Gradu V. ad fin.

dagatione, ille ipse qui se explorat, atque excutit, plurimum vtilitatis capit, dum videlicet iniquitatem suam, tanquam serpentem aliquem in suo pectore delitescentem, prodit, ac per confessionem interimit.

CAPVT IX.

De suscipiendis Sacramentis.

VNA cum orationis assiduitate coniungendus etiam nobis est frequens Sacramentorum vsus. Quare Clerici, & Laici, etsi mortiferi peccati sibi conscij non sint, tamen ad sacrosanctum Eucharistię Sacramentum, ne ante accedant, quàm se per Confessionem, quo æquum est pij animi studio, reddiderint puriores. Sacerdotes, qui quotidie celebrant, si non singulis diebus saltem id sępius in hebdomada faciant. Confitebitur autem quisque nostrum suo Præposito, aut cui volet ex Confessarijs, quos Præpositus deputauerit. Sacerdotes quotidie Missam celebrent; si impediti fuerint, re Superiori significata, ab eo licentiam impetrent. Clerici, & Laici diebus Dominicis, & pręcipuis festis, videlicet Christi Domini, B. Marię Virginis, & SS. Apostolorum in hebdomada incidentibus simul communicent. Missam audient Clerici & Laici quotidie; Sacerdotes, quibus diebus sacrum non fecerint.

Qui in lectulis diuturno morbo detinentur, ad eos semel in mense sacratissimum Domini Corpus deferatur. Vbi morbus ingrauescet, curabit Præpositus, vt non modò Sacramenta Pœnitentię, Eucharistiæ, & Vnctionis Extremę, opportunè ministrentur, verùm etiam vt aliqui præsto sint, qui eos moneant, consolentur, & ad cælestem patriam disponant, & instruant. Cùm vicinam mortem intelligunt, signo dato omnes vnà fratres in decumbentis cellulam conueniant, egredientémque animam Psalmis atque orationibus comitentur.

Ad Cap. IX. Notæ.

I. SAcerdotes, qui quotidie celebrant. Innumera ferè suppetunt sanctorum Patrum quotidie sacrificantium exempla, siue monita: sed ne fastidium ingeram lectoribus, seligam quæ videntur illustriora. Paulus Apostolus; [a] *Per Christum offeramus*, inquit, *sacrificium laudis omni tempore Deo. Omni tempore*, idest, singulis diebus, vt quondam huius vim sententiæ Patres assecuti, factitarunt. Sequitur Paulus; *Idest fructum labiorum nostrorum*: Alludit ad Oseam [b], & sic appellat Eucharistiam, ne mysterium profanis prodat: quæ priscis cautio frequentissima. Et quidem Christi Corporis Sacramentum fructus est labiorum ac vitulus, ore scilicet sacerdotum factus. Hæc igitur Apostolus Paulus. Andreæ verò Apostoli clariora sunt ad Ægeam Proconsulem verba [c]: *Ego omnipotenti Deo, qui vnus*

a Hebr. 13.
b Cap. 14.
c Act. S. Andreæ.

& verus est, omni die sacrifico. De Petro Apostolorum Principe refert Simeon Metaphrastes [a], quòd Romæ quotidie synaxes celebrauerit. Hippolytus martyr his verbis profert Christum iudicem, sacerdotes, qui quotidie celebrauerint, dilaudantem [b]: *Venite Pontifices, qui pretiosum corpus & sanguinem meum immolastis quotidie.* Cyprianus item martyr [c], *Vt sacerdotes,* inquit, *qui sacrificium Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus.* Et alio loco [d]: *Si Deo,* inquit, *& Christo eius, quibus seruio, & quibus puro atque immaculato ore sacrificia, & in persecutione pariter & in pace indesinenter offero, plenissimè satisfeceris, communicationis tuæ poterimus habere rationem.* Ambrosius, Deum obsecrans, ita loquitur [e]; *Rogo te Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium Corporis & Sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur, & potamur, abluimur, & sanctificamur.* Gregorius Magnus refert [f], Cassio, Narniensi Episcopo, morem fuisse *quotidianas Deo hostias offerre: ita vt penè nullus dies vitæ eius abscederet, quo non omnipotenti Deo hostias placationis immolaret.* Quam consuetudinem Deum adprobasse idem S. Pontifex narrat, his verbis: *Nocte quadam cuidam eius Presbytero Dominus per visum adstitit, atque dixit; Vade, & dic Episcopo: Age, quod agis; operare, quod operaris; non cesset pes tuus; non cesset manus tua: natali Apostolorum venies ad me, & recipies mercedem tuam.* Beda, historiæ Anglicanæ sanctus & disertus scriptor, *Hedunaldi Martyres,* inquit [g], *Hymnis & Psalmis semper, & orationibus vacabant, & quotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra, & tabulam, altaris vice, dedicatam.* Scribit item Vuandalbertus [h] fuisse solennem consuetudinem S. Goari Presbytero, *vt omni die Missarum solennia celebrans, sacrificium Corporis & Sanguinis Christi pro statu Ecclesiæ offerret.* Laudati igitur fuere quotidie sacrificantes. E contra reprehensos lego eos qui per interualla cessauerint. Quocirca Basilius Magnus [i] Gregorio Presbytero comminatur, eum cessationis sacrificandi rationem redditurum. Nam, vt Appollo Abbas dixit [k]: *Qui se à diuinis Sacramentis procul amouet, Deus quoque procul ab eo recedit: qui autem hoc facit assiduè, suscipit seruatorem: Est enim vox salutaris: Qui comedit Carnem meam, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Prudenter igitur Carthusiani, qui cùm primò deuotionis & reuerentiæ prætextu, cessassent, postmodum inter eos statutum est, vt quotidie celebrarent; vti tradit Ioannes Busæus [l] ad Petrum Blesensem Notis. Quòd si cui dubium suboriatur, eò quòd legat [m], S. Basilium, quater tantùm in hebdomada sacrificasse; & apud Epiphanium [n], prisci æui Sacerdotes quater item per hebdomadam synaxim celebrasse; Ambrosium etiam [o] non quotidie Missam facere solitum; & si qua sunt alia eiusmodi exempla: Hic, inquam, sciat, vel de tempore ieiuniorum ea intelligi debere, quo Græci partim sacrificabant, partim præ sanctificatis vtebantur: vel de Ecclesiæ religionisve alicuius peculiari vsu: quamquam vniuersè dici potest, ijs diebus quibus sacrum non fieret, Eucharistiæ nihilominus Sacramento veteres communicasse, vt elicitur ex epistola S. Greg. Papæ ad quæsita Augustini, Anglorum Episcopi [p], & ex alijs SS. Patrum locis. Alioquin quotidie sacrificare consueuisse, adeò est exploratum, vt sæpiùs in die quosdam id fecisse, probare facilè possem, nisi ad alia calamus properaret. Tu interim

a In vita Petri.
b Orat. de consumm. seculi.
c Epist. 54.
d Epist. 69.
e Orat. præpar. ad Missam.
f Hom. 37 in Euang.
g Lib. 5. c. 11.
h In vita S. Goaris.
i Vid. Gale. in Heb. 13.
k Apud Pallad. Hist. Lausi. c. 52.
l In Ep. 86.
m Epist. ad Cæsareen.
n Her. 68.
o In illud Pauli, Nisi ad inuicem fese fraud.
p Lib. 10. ep. 31 ad Interrog. 31.

vide Cyprianum [a] martyrem, Vespertinum & Matutinum sacrificium memorantem; Augustinum scribentem de hac re ad Ianuarium [b]; Ægyptiacam Ecclesiam bis quotidie offerre solitam [c], & certis quibusdam festis, (vt die sancti Ioannis Baptistæ, & Natali Dominico,) etiam Romanam [d]: Item Leonis I. Papæ decretum de iteratione Missæ [e], eiusdémque factum memorabile, potiùs quàm imitabile, septies in die quandoque sacrificantis [f]. Postremò valida est hîc ratio, quam præstantissimus Theologus ad hanc rem firmandam adducit [g]; *nempe quòd licet Laicis regulariter non sit consulendum, vt quotidie communicent, sacerdotibus tamen consulendum est vt quotidie sacrificent: nam munus sacrificandi non est priuatum, sed publicum, & toti prodest Ecclesiæ: ideóque non debet (modò indignus non sit ob peccatum mortale, pœnitentia & confessione non expiatum, & moralem ac humanam diligentiam adhibeat) quamuis sit imperfectus, à sacro hoc munere cessare.* Accedit B. Gregorius Papa [h] apertè significat, etiam ob priuatum cuiusque sacerdotis spiritale lucrum, quod sibi acquirit in sacrificij oblatione, vtile esse, vt quotidie sacrum faciat. *Inter hæc autem*, inquit, *pensandum est, quòd tutior sit via, vt bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse, dum viuit, per se. Beatius est quippe liberum exire, quàm post vincula libertatem quærere. Debemus itaque, præsens sæculum, vel quia iam conspicimus defluxisse; tota mente contemnere: quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas Carnis eius & Sanguinis hostias immolare.* Quo magni viri magno & saluberrimo consilio Notationem hanc concluderem: At vereor ne ex his quæ ad subleuandos nimis verecundos dicta sunt, magis magísque frontem proijciant ij qui modò quotidie sacrificent, cetera, vitámne tali instituto dignam transigant, susque deque habent. Vitant hi fortassis grauiora crimina: verùm dum ad negotia sæcularia præter ius fasque effrænatè, se dedunt, & à Deo, cui se sacræ militiæ professione probauerant, paulatim recedunt, inde fit, vt (quod S. Bernardus grauissimè deplorat [i]) *indeuoti pariter, & ingrati, minùs sciant quæ à Deo donata sunt eis. Proinde timorem Domini relinquunt, religiosam omittunt solitudinem, verbosi, faceti, etiam detractores, & murmuratores, vacantes nugis, fugitantes labores disciplinæ; quoties sine nota id licet, quasi verò confestim sit etiam sine noxa; facilè [k] contristant proximos, pusillorum scandala paruipendunt, ad increpationem aliorum aut dormitant, aut irascuntur, psallunt cum alijs sed ineptias meditando, & ne ipso quidem tremendo Angelis participare verentur Dominici corporis Sacramento.* Atque à nugis, garritu, detractiunculis, continuò inuolant & irruunt in sacra Dei altaria. [l] Lego equidem in Lucæ Euangelio, Simeonem in spiritu adiisse templum, vt Christum infantulum à se tandiu expectatum, inter vlnas exciperet: Lego item apud Dionysium Areopagitam [m], *B. Carpum, Pauli Apostoli discipulum, virum profectò, si quis alius propter magnam mentis puritatem ad cernendum Deum aptissimum, hunc tamen talem tantúmque virum nequaquam sacros mysteriorum ritus aggredi solitum, nisi priùs ipsi in ijs precibus quæ antea persolui solent, sacra, & læta apparuisset visio.* Et nos, qui ad illos Gigantes Pygmæi sanè sumus, ab ociosis verbis, & facetijs, continuò ad sacrarium ibimus, & ad Sacrum? Deus bone, hoccine se modo ad tan-

a Epist. 63.
b Epist. 118. cap. 5.
c Soto lib. 7. c. 19.
d Anal. l. 3. c. 38. Vualafr. c. 21.
e Epist. 8.
f Apud Vualafr. c. 21. Durand. Rational. li. 6. cap. 1. Rhenan. in Tertull. de Coro. Militis, alióque.
g Suar. Tom. 3. disp. 80. sect. 2.
h Dial. li. 4. cap. 58.
i Ser. 3. de Annunt.
k Ser. contra Ingrat.
l Luc. 2.
m Epist. ad Demophil.

tarum rerum tractationem componant ij, quos vt tibi à cubiculo & à secretis essent, tu ipse, sepositos à profanis turbis, intra tuas ædes atque adyta excipere voluisti? Certè apud Latinos multo longiores erant olim Diuinę Missæ: sed vt his ferè verbis B. Augustinus alicubi fusè deplorat [a], *Propter gulam, & auaritiam hominum, maxime potentiorum, factum deinceps est, vt miselli quidam Sacerdotes plus hominibus quàm Deo placere cupientes, indecenti breuitati studeant.* Itaque nunc in introitu Missæ, & in offertorio, & communione, non integer Psalmus, ex more pristino (cuius vestigium in sola Dominica prima quadragesimæ superest) sed vnus solummodo versiculus Psalmi recitatur. [b] Apud Græcos item, scribit Nicephorus, S. Proclum, Patriarcham Constantinopolitanum, libro de traditione Diuinæ Missæ, literis consignasse, eam olim multò fuisse prolixiorem, sed à Basilio primùm, postea à Chrysostomo factam fuisse breuiorem. Atqui nostra hæc Romana liturgia, non dico cum longissimis illis quas Proclus, & alij memorant; sed cum Basiliana & Chrysostomiana collata, breuissima sanè censebitur. Eò igitur minùs excusabiles erunt Latini sacerdotes, qui istam etiam breuissimam sacrificij formulam, adeò celeriter, & confusè, cum dedecore ordinis, obeunt, vt sæpe cum D. Augustino in suspicionem veniam, num multa dicenda omiserint; atque (proh dolor) non pauci, sed plurimi sunt, qui, (vt deplorat Card. Bellarminus doctrina eximia, & vitæ probitate clarissimus [c]) *incredibili festinatione rem tam sacram peragunt, vt neque ipsi scire videantur, quid agant, neque alios rem tantam paulò attentiùs considerare permittant.* Et infrà idem auctor de hac eadem re ita scribit [d]: *O quàm triste & deplorandum spectaculum esset, si oculos mentis apertos haberemus, videre sacerdotem diuina mysteria tractantem, Angelorum choris vndique septum, qui ad ea quæ ipse operatur, obstupescunt, & tremunt, & præ admiratione clamores spirituales excitant; & tamen sacerdos in medio positus totus frigidus, & quasi stupidus non attendit quid agat, non intelligit quid loquatur, & ita properat ad finem, & signa inuoluit, & verba præcipitat, vt videatur nescire quid agat. Sic Deus irridetur, sic res sacratissimæ contemnuntur, sic materia obloquendi Hæreticis datur.* Itaque per hos potissimùm (arbitror) apud sæculares plerosque euadit *despecta mensa diuina*; si namque omnes sacerdotes, dum celebrant, ea, vt par est, reuerentia genuflexionum, distincta verborum prolatione, & graui ac modesto corporis habitu, hoc est, externa etiam deuotione, rem sacram obirent, magnam vtique spectantium atque audientium animis ingererent erga diuinam Missam, atque sacratissimi Christi Corporis, venerationem. Igitur, quod B. Gregorius aliquando dixit, & scripsit, huc referri potest. *Nullum ab alijs maius præiudicium, quàm à sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem & ædificationem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit.* Væ mundo à scandalis.

[a] Ser 152. de temp.
[b] Lib. 14. ca. 46.
[c] De arte bene mor. cap 12.
[d] Cap. 14.

11. Sacerdotes si non singulis diebus, sæpius tamen in hebdomada confiteantur.

Pœnitentiæ Sacramentum, purificandæ animæ salutare, aptúmque instrumentum sæpissimè veteres vsurpabant. *Semper confitere,* (ait S. Augustinus [f]) *quia semper habes,*

[f] In Psal. 99.

quid confitearis: difficile enim est in hac vita, vt sic homo mundetur, vt nihil inueniat in se, quod confiteatur. Quocirca lego, ex regula S. Columbani sancitum, vt sæpius quolibet die peccatorum confessio fieret [a]. Etenim si eluere consueuimus quotiescunque vultus manúsve sordes contrahunt, cur animum toties peccato fœdatum, Christi sacro latice identidem non abstergimus? Prudenter igitur statuére Patres, nè Nostri æquo rariùs peccata faterentur. Verissima enim est Ioannis Climaci sententia [b]: *Sicut volucrum oua, si foueantur in stercore, viuificantur, & in fœtum erumpunt; ita & cogitationes, nisi ex cordis abdito producta manifestentur, in opus prodeunt.* Est verò præterea, cur nos incitemur ad crebram confessionem vel domestico exemplo. Nam Andreas noster, pijssimus ille seniculus, qui superiore anno, non sine constanti sanctitatis fama, Neapoli obijt, in ipsa decrepita ætate, magnis licèt bonorum operum meritis cumulatus, & cælo atque immortalitati iam proximus, de se tamen adeò demissè humiliterque sentiebat, vt labeculas suas (si quæ essent) nullum finem faceret confitendi, & cum gemitu lacrymisque quater quinquiésque in dies singulos ad genua Sacerdotis accidendi. Seruare vtique senex optimus satagebat, quod S. Dorotheus Abbas scripsit: *Admonuere autem crebrò maiores nostri, non debere pati Monachum remorderi se aliquando à conscientia sua, ne vna quidem re minima.*

a Apud Ionam in vita S. Burgundoforæ.

b Grad. 17.

III. Confitebitur autem quisque nostrûm, aut Præposito, aut cui volet ex Confessarijs, quos Præpositus deputauerit. Diu antequam Clemens VIII. Confessarios præter Præpositum aliquot, suo diplomate constitueret, S. Abbas Benedictus, in regula sua idem cauerat, vti ex his verbis est intelligere: *Si animæ*, inquit [c], *peccati caussa latens fuerit, tantùm Abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua, & aliena vulnera, non detegere, & publicare.* Ecce igitur nedum Abbatem, sed etiam seniores aliquot, audiendis Monachorum Confessionibus Benedictus præficit. Quam certè sanctionem sumpsisse videtur ex regulis S. Basilij. Is enim ita decreuerat [d]: *Debet autem vnusquisque eorum qui inferiores sunt, mentis suæ arcana aperire fratribus ijs quibus datum illud negotium sit, vt, adhibita lenitate atque misericordia, ægrotantes curent.* Et vt posteriorum temporum adijciamus exemplum, habet Chronicon Dominicani Ordinis [e], Albertum magnum, dum Germaniæ prouinciam moderaretur, sanxisse, vt semel saltem annis singulis, fratres Monasterij Præfecto (quem *Priorem* vocant) peccata faterentur. Hinc liquidò deducitur, eos reliquo tempore non Priori, sed alijs deputatis Presbyteris errata patefacere consueuisse.

c Cap. 46.

d Respons. 46.

e Lib. 3. c. 46.

IV. Clerici, & Laici, Dominicis & præcipuis festis communicent. E veteri id more, atque ritu. De Dominico quidem die, habeo insignem locum in Actis [f] Apostolorum: *Vna autem Sabbati* (hoc est prima die hebdomadæ, ipsa inquam Dominica luce) *cùm conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis.* Augustinus epistola

f Cap. 20.

epistola ad Casulanum [a], Beda in hunc locum, aliique multi, intelligunt ea verba de Sacramento Eucharistiæ, die Dominico, Christianis distributo. Huc etiam pertinere arbitror illud Apostoli Pauli ad Corinthios scribentis [b]: *Per vnam sabbathi vnusquisque apud se seponat.* Porrò firmat Chrysostomus id quod dixi: nam ea verba exponens, reddénsque rationem cur Paulus collectas fieri voluerit per vnam Sabbathi: *Quoniam*, inquit, *venerandis ac immortalibus communicare mysterijs, magnam affert & immittit animi alacritatem*, ad eleemosynas scilicet erogandas. In huius etiam rei typum primus dies, quo manna è cælis depluit, Solis fuit, & prima Sabbathi, vt apertè ex libro Exodi [c] colligitur. Hunc ipsum præterea ritum alij etiam vetusti scriptores tradiderunt. Clemens Romanus [d]: *Die Dominico, qui est dies Resurrectionis, studiosiùs Templum Domini adite: quo quidem die precationes tres stantes facimus, memores eius qui post triduum resurrexit; in quo item adhibetur lectio Prophetarum, Euangelij prædicatio, oblatio sacrificij, & sacri cibi sumptio.* Iustinus item Martyr [e]: *Solis, qui dicitur, die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conuentus fit, & commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quoad tempus, ferè leguntur. Deinde lectore quiescente, Præsidens, orationem, qua populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet. Sub hæc consurgimus communiter omnes, & precationes profundimus: &, sicuti retulimus, precibus peractis, panis offertur, & vinum, & aqua. Et Præpositus itidem, quantum pro virili sua potest preces & gratiarum actiones fundit, & populus fauste acclamat, Amen: & distributio communicatioque fit Eucharistiæ Sacramentorum cuique præsenti, absentibus autem per Diaconos mittitur.* Is ipse Iustinus paulò inferiùs: huius instituti Dominico die communicandi sacra mysteria, duas, imò tres reddit causas; Prima est, quòd prima die cælo terráque conditis lucem creauerit: altera, quòd ea item die Christus surrexerit; tertia, quòd Dominica die apparens discipulis, eos his ipsis sui corporis mysterijs participes fecerit: sed ipsum audiamus: *Solis autem die communiter omnes conuentum agimus, quandoquidem is primus dies est, quo Deus, tenebris & materia, quam priùs creauerat, versa, mundum effecit, & Iesus Christus Saluator noster eo ipso die à mortuis resurrexit, & postridie Saturni, qui dies solis est, Christus, cùm Apostolis discipulisque suis apparuisset, hæc (Mysteria) illis tradidit, quæ nobis quoque consideranda permittimus.* Hæc Iustinus. Quæ verba prolixiùs recitauimus, quòd iis contineatur idem modus celebrandæ diei Dominicæ, atque qui etiam nunc perdurat. Sed percurramus exempla posteriorum temporum. Theonas Abbas, apud Cassianum [f]: *Multo*, inquit, *iustius est, vt cum hac cordis humilitate, qua credimus atque fatemur, illa sacrosancta Mysteria, nunquam pro merito nos posse contingere, singulis ea Dominicis ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus.* Palladius Hellenopolitanus [g]: *Ingredientes autem ad Christi communionem sabbatho, & Dominica, &c.* Atque idem alibi. *Helles Abbas accessit aliquando ad quosdam Monachos, & cùm esset dies Dominicus, dixit eis: Cur hodie non egi'is synaxim? ij apertè dicunt: Eo quòd non venerit Presbyter.* Hæc verò ad Hellem Abbatem Monachorum responsio firmat etiam quod superiùs sæpe asseruimus, priscos scilicet

a Epist. 86.
b 1. Cor. 16.
c Cap. 16.
d Const. li. 2. cap 59.
e Apol 2.
f Coll. 3. c. 21.
g Sect. 30. Hist. ot. Laus.

Monachos fuisse Religiosos Laicos, atque ob synaxim accersere solitos Presbyterum è proxima ciuitate. Cui rei firmandæ facit etiam illud quod decreuerunt SS. Paphnutius, Macharius, & Pachomius, in Regulis Monachorum (apud Henricum Cuikium) vt nullus posset in Monasterium excipi Clericus, præterquam aliquis qui fortè eò detruderetur ad pœnitentiam peragendam. Idipsum docet S. Thomas in 2. 2. q. 180. art. 8. ad secundum, quo loco planè tradit priscos Monachos fuisse merè laicos. Quod etiam ex decretis apud Gratianum, elicitur, & ex Augustino Epist. ad Aurelium; & fatetur Gratianus ipse, quamuis alibi Monachis Ordines Clericatus libenter indulgeat, Monachos, vsque ad tempus Eusebii, Zosimi, & Siricij, Monachos simpliciter, & non Clericos, fuisse. Atqui diu post eodem rigore perstiterunt Monachi intra suos terminos, etiam vsque, vt coniicio, ad millesimum præter propter à Christo nato annum. Vno verbo; Monachi, teste Hieronymo, ad Riparium scribenti, *non docentis*, hoc est, non Clerici, *sed plangentis habent officium.* Redeo nunc ad institutum. Clemens & Agathangelus, fortissimi Christi martyres [a] *eis qui relicti fuerant pro custodia Sanctorum, instabant vehementer, rogantes & orantes vt liceret eis ad Ecclesiam Christianorum ire, & esse intemeratorum participes Sacramentorum: & tunc quidem dies Dominicus celebrabatur, & quicunque erant in insula (Rhodo) Christiani (pauci autem erant) ad templum concurrebant.* S. Augustinus [b] hortatus est aliquando pœnitentem, *vt contraria pro ijs quæ pœniteret, ageret; & Eucharistiam omnibus diebus Dominicis supplex & submissus vsque ad mortem perciperet.* Chrysostomus verò hunc diebus Dominicis communicandi morem, perperam suo æuo & tantùm diei caussa seruatum dolet, his [c] verbis: *Diebus festis negligenter ac temere ad hanc mensam accedunt; haud intelligentes, quòd communionis tempus non est festum, aut celebritas, sed conscientia pura, vitáque à peccatis reseruata.* Denique adeò increbuerat mos iste antiquitus, vt ob eam rationem dies Dominicus, *dies Panis*, appellatus fuerit; quod idem Chrysostomus alibi [d] non obscurè significat. Addo hoc loco eosdem ritus seruasse veteres in percipienda sacra Eucharistia, ac nos seruamus. Percurramus eos sigillatim.

Petimus à Præposito benedictionem, antequam communicemus: petebant & veteres Religiosi, vt tradit S. Dorotheus, his verbis [e]: *Abbas cum benedictione eos misit ad sacram Communionem.*

Linteamen nitidum ante pectus, vel in manibus expansum tenebant quidem olim fœminæ, vt testatur Augustinus [f], non tamen viri: hi enim manu sumebant. Manasse autem inde consuetudinem, quam in hanc vsque diem retinemus, vt communicaturi nitidum linteamen ad pectus habeant, iure arbitrantur recentiores [g] qui de sacris Ritibus scripserunt.

Dixisse item & priscos, Eucharistiam suscepturos, verba illa Euangelica, *Domine non sum dignus, &c.* significat Origenes [h]: *Quando, inquit, sanctum illum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas, & bibis Corpus, & Sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitemur hunc Centurionem, & dicito: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tan-*

a Apud Metaphrasten.
b De Eccl. dog. cap 53.
c Orat. de S. Philogo.
d Hom 5 de Resurr.
e Ser 9.
f Ser. 255. de Temp.
g Durant: lib 1. cap. 16.
h Hom. 6. in diuers.

tùm dic verbo, & sanabitur anima mea. Id etiam refert Chrysostomus: *Accedamus ergo omnes purè ad purum, & dicamus accedentes: Domine non sumus digni, vt intres sub tectum animarum nostrarum, sed quia tu vis capi, & teneri à nobis, quia tu vis, vt benignus habitares in nobis, confidentes in te, accedimus ad te.* Mitto, antiquissimas SS. Patrum Liturgias hoc ipsum habere.

Præterea non alius quàm Præpositus, Sacramenta nobis Dominica præbere solet. Ita & antiquitus factum. Tertullianus [a]: *Eucharistiæ Sacramentum non de aliorum manibus, quàm de Præsidentium, sumimus.* Quod & Apostolico æuo factitatum significant Dionysij verba [b]: *Summus Sacerdos accipiens, & tradens Dominicam communionem, in sacram gratiarum actionem desinit.*

a De Cor. mil cap 3.

b Ec. Hier. cap. 3

Si quis verò autor, hoc munus Diaconis tribuere videatur [c], intelligendus est (nisi fallimur) non de sacræ hostiæ, sed de sanguinis dispensatione, iuxta illud Laurentij sanctissimi Diaconi ad Sixtum Summum Pontificem: *Experire, vtrùm idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem: Sanguinis*, inquit, non corporis, sub specie panis; vtique & hoc dicturus, si Diacono id quoque licuisset. Stet igitur, Eucharistiam à Primore Presbytero distribui solitam fidelibus intra Ecclesiam communicaturis. Nam ijs qui ab Ecclesia abessent, per Diaconos, imò & per inferiores Ministros mitti solitam, non negamus. Lege Iustini Martyris verba, paulò superiùs recitata.

c Apol. 2. ad finem.

Neque verò id muneris alijs facilè cedat Præpositus (quod tamen ex vrbanitate quadam haud sanè bella plerique faciunt.) Nam pascere gregem non est præcipuè cuiusque sacerdotis, sed proprij pastoris officium. Itaque meminerit Præpositus se constitutum esse à Domino *super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram* [d]. Ad hunc enim sensum accommodare ea verba videtur Ecclesia in Missali Romano.

d Luc. cap. 12.

Quòd verò die cœnæ Domini non solùm Clerici & Laici, sed omnes etiam Sacerdotes de sui Præpositi manu Eucharistiam sumimus, exemplo id facimus antiquorum. Nam incertus, sed vetus Scriptor Vitæ S. Vuillelmi Abbatis Roschildensis, hunc ipsum ritum ea ætate seruatum tradit, his verbis: *Postero die, qui erat Cœnæ Dominica ad sacram aram* (Vuillelmus) *sacrificaturus accessit, & omnibus fratribus Eucharistiam suis manibus porrexit.* Hæc ille. Ortum autem habuit ea generalis illius sanctæ diei communio à Christo Domino in postrema illa Cœna, suum corpus omnibus præbente. Nam, vt notat eruditissimus Lucas Brugensis [e], Apostoli in illa Cœna, non Sacerdotum, sed populi locum tenuerunt, Christo sacerdote consecrante, diuidente, & porrigente eis Corpus suum; cuius postquam eos participes fecit, fecit & ministros, atque adeo Sacerdotes, dicens; *Hoc facite in meam commemorationem* [f].

e In Matth. 26.

f Luc. 22.

V. Missam audiant Clerici, & Laici quotidie; Sacerdotes etiam, quibus diebus Sacrum non faciunt.

Idipsum seuerè cauit primum Concilium Toletanum [g], in hunc modum: *Quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus, si intra Ciuitatem fuerit, vel in loco in quo Ecclesia est, si ad Ecclesiam, aut ad sacrificium quotidianum non venerit,*

g Can. 5.

Clericus non habetur, si castigatus per satisfactionem, veniam ab Episcopo noluit promereri. Porro de B. matre sua Monica refert S. Augustinus [a]; *Memoriam suam ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat;* Diaconissæ videlicet officio, ex veteris Ecclesiæ ritu. Lego etiam [b], S. Meinulphum Clericum, vnà cum tintinnabulo, quo ad Missæ ministerium vsus fuerat, fuisse sepultum: inde vt pateat, quanti fecisset vir beatus Sacrum audire, & sacerdoti celebranti administrare: Et de B. Thoma Aquinate, memorando posteris exemplo, narratur [c], quotidie eum Missam celebrasse, & quotidie insuper celebranti ministrasse.

a Confl. li 9 ca. 13.

b Gobelinus in eius vita, ca. 12.

c Ganzo in eius vita.

VI. Cùm vicinam mortem intelligunt, omnes, signo dato, in decumbentis cellulam conueniant.

Apostoli ac Timotheus, Hierotheus, aliique Apostolici viri, ad Deiparæ obitum atque abitum nube rapti, non tintinnabulo vocati sunt [d];

Diuerso ab orbe nube rapti præpete
Bisseni ituram ad astra cernunt Virginem.

Signo nihilominus campani æris ad eam rem vsos etiam Veteres lego apud Eghinardum [e]: *Necdum*, inquit, *primorum modulatio Psalmorum Completorij pene perfecta est, cùm subitò tactu signi notissimi, Sorores ad egressionem animæ migrantis euocatæ sunt.* Id contigit in Monasterio S. Cæciliæ, apud Coloniam. Duæ verò sunt præcipuæ caussæ ad moriturum conueniendi; altera, vt eius precibus, qui conuenerint, sese commendent: altera, vt proficiscentem animam orationibus ipsi iuuent. Vtramque complectitur S. Gregorius Papa, B. Stephani Rheatini, & Theodori pueri obitum narrans: *Hunc*, inquit [f], *Dei virum, cùm dies mortis egredi de corpore vrgeret, conuenerunt multi, vt tam sanctæ animæ de hoc sæculo recedenti suas animas commendarent.* Habes priorem caussam; subdit & alteram: *Cùm extremum spiritum Theodorus ageret, conuenerunt Patres, vt egressum illius orando protegerent; qui tanto pro eo cœperunt enixiùs orare, quanto eum iam videbant sub celeritate discedere.* Secundam hanc, illa omissa, exprimit nostra Constitutio, monens, vt *Egredientem animam, Psalmis atque orationibus comitentur.*

d Dion. c. 3. diu. Nom. Damasc. orat. 2. de Dormitione Deiparæ.

e In vita S. Annonis, c. 23.

f Li. 4. Dialo ca. 19. & 37.

In quem locum non abs re fuerit è vetustate depromere quosnam sacros Codices, de scripto recitauerint, legerintve, quasve orationes fuderint Veteres, morituris eo articulo iuuandis. De Adunato Episcopo, habetur [g] in gestis Metensium Episcoporum, *adstantes circa lectum eius Euangelia legisse, & Psalmos hymnósque cantasse.* Quænam verò Euangelij pars lecta fuerit, quive Psalmi decantati, non exprimit Onuphrius, qui id refert. At distinctiùs alij: & est, qui verba ipsa cum fide exscribat, cuiusmodi sunt ea quæ reperi apud Ioannem Carpathiorum Episcopum [h], validissima quidem, & dignissima, quæ vel à morituris, vel super morituros recitentur, aduersus Dæmonem infestantem. *Quid tibi nobiscum est alienate à Deo? Quid tibi nobiscum fugitiue de cælo, & serue nequam? Non habes vllam in nos potestatem: nos enim omnes in Christi potestate sumus: Ipsi peccauimus, ipsi respondebimus, pignus habentes ipsius misericordiæ erga nos, & salutis nostræ, pretiosam eius Crucem: Tu verò apage procul à nobis pestis, & exitium: Nihil tibi cum seruis*

g Apud Onuphrium Opusc. fol. 90.

h Cap. 13. Hortatorio ad Monachos.

Christi. Referre hæc verba hoc loco libuit integra, & ex fide, quòd nec multa sint, nec liber ille, è quo hausimus, sit passim obuius. Insigne autem est illud, quod de sancto Seuerino Abbate tradit Eugippius eius discipulus, ad Paschasium scribens. *Ille enim paulò antequam obiret, se ipsum crucis signo per singula penè membra signauit, muniuitque: mox Psalmum, Laudate Dominum in Sanctis eius, pronuntiauit, & adstantibus psallendum, se præcentore, tradidit. Itaque ipse etiam, qui extremum ducebat spiritum, canere cum adstantibus voluit, vt internam lætitiam exprimeret.* Idem fecisse leguntur S. Clarus Viennensis Presbyter, S. Vuillelmus Episcopus Bituricensis, B. Gerardus, S. Bernardi Abbatis frater, alijque multi. Et bene, Angelos beatos, Sanctosque omnes ad Deum laudandum inuitant pij viri spiritum efflaturi, quandoquidem *ij sunt* (vt Chrysostomus docet a) *qui satellitum more, sanctè morientium corpora stipant, eorúmque spiritus rectà in cælum abducunt.* Alij sacra Missarum solennia coram se celebrari voluerunt, vt de S. Basilio, Amphilochius, & de alijs sanctis morti proximis, scriptores alij tradunt. Alij præclaram fidei professionem illa hora ediderunt: in quibus præter exemplum S. Petri Martyris, inter vulnera atque immanes cædis cruciatus, Apostolorum Symbolum pronunciantis; egregia profectò fuit S. Amati Episcopi, quam moribundus protulit, publica Catholicæ fidei denunciatio: iussit enim vt se audiente, ac vultu, oculis nutúque firmante, de scripto legeretur celebris illa Magni Leonis b Epistola ad Flauianum; meritòque eam potissimùm elegit, qua veri dogmatis seriem fateretur, quandoquidem tanti illam æstimauit antiquitas, vt de eius vel apice ambigentem anathemate feriendum Gelasius c sanxerit. Vulgare autem illud est, & ferè nunquam non vsurpatum, vt agentes animam, Christi IESV passionem ab Euangelistis enarratam auscultent. At Marinonius noster illud item adiecit, scilicet, vt se audiente, tametsi morbi seniíque vi extremùm laboraret, legeretur Christi sermo in Cœna ad Apostolos habitus, & tractatus secundus S. Bernardi de B. Andrea Apostolo. Quàm præclari sensus, quámque ignita verba, dum hæc legeretur, ex ore pijssimi senis veluti scintillæ exilierint, tunc exponam, cùm de vita eius, Deo volente, scripsero.

a Lib. 6. de Sacerd.

b Epist. 12.

c Dist. 40.

Hoc interim loco non est prætereundum, vbi primùm quis spiritum exhalauerit, campano ære pulsato, id significari debere, nam ista veteres factitasse, palàm est, ex ijs quæ scribit Nicephorus Gregoras, in vita S. Antonij Patriarchæ Constantinopolitani. Eo scilicet vel scopo vel fructu, vt exteri ac longinqui, eo signo audito, & preces pro mortuo fundant, & se quoque aliquando morituros meminerint.

CAPVT X.

De Orationibus pro Defunctis.

CVM iam quis defunctus fuerit, siue is Professus, siue Nouitius, siue hospes fuerit, deducentibus omnibus, corpus in Ecclesiam deferatur. Deinde, opportuno tempore, totum Officium Defunctorum in Choro dicatur. Fiat officium sepulturę, & celebretur Missa solennis: atque si professus fuerit, Sacerdotes per triginta dies pro eius anima sacrificent. Clerici diebus totidem dicant Vesperas Defunctorum: Laici tricies B. Virginis coronam. Ceteris domibus res significetur quamprimùm: vbi pariter in Choro dicatur Officium Defunctorum, & celebretur Missa solennis: à Sacerdotibus dicatur Missa priuata: à Clericis semel Vesperæ: à Laicis corona B Virginis. Quòd si quis à domo sua ad aliam profectus, prædicandi, aut alia Congregationis negotia pertractandi gratia, diem suum obierit, vtraque domus par ei persoluat officium, ac si vtrique fuisset assignatus In obitu P. Generalis idem fiat in omnibus domibus. In obitu Summi Pontificis totum Officium Defunctorum, & Missa solennis, cum responsorijs, ad tumulum vbique dicatur. Idem in obitu Episcopi ex nobis assumpti. Episcopo Ciuitatis defuncto, dicatur ibi Missa solelennis, & ad tumulum Responsoria. Die post fidelium Defunctorum commemorationem dicatur Missa solennis, & Responsoria ad tumulum pro Defunctis fratribus nostræ Congregationis.

Ad Cap. X. Notæ.

1. DEducentibus omnibus, corpus in Ecclesiam deferatur. Honorifica ea deductio ornat pompam funeris, vti religiosos viros decet. *In exitu mortuorum* (monet Clemens Romanus) a *psallentes eos deducite, si fideles fuerint in Domino: pretiosa enim in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* S. verò Pachomius idem præcipit b: *Si frater dormierit, omnis eum fraternitas prosequatur.* Antequam autem ea deductio fiat; cadauer abluitur, induitur, & decenter componitur in feretro, ad exaugendam scilicet funeris grauitatem. Et hæc etiam omnia è vetusto sunt ritu. Lego enim in historia de lue Alexandrina, quam Dionysius Episcopus ad Hieracem scripsit c; *Sanctorum corpora supinis manibus*

a Const. l. 6. c. 30.
b Reg nu. 71.
c Apud Euseb. l. 7. c. 22

ac sicut exceperunt, oculos depresserunt, ora clauserunt, vnanimes, & pariter affecti strictim complexi sunt, lauerunt, & ad sepulturam ornarunt. Distinctiùs hæc habet Chrysostomus, Monachorum obitum funusque describens [a]: *Cùm vltimo*, inquit, *spiritu laborantem* (fratrem) *habuerint, circumsedent, vltimaque eius audiunt verba: manus circumpalpant: adhortationes & monita alia de industria adhibent: os deosculantur vltimo osculo: exinde cùm reddiderit animam, manus componunt, oculos claudunt, &c.* Prudentius idem habet, de linteo quo cadauer inuolui solitum [b]:

> *Candore nitentia claro*
> *Prætendere lintea mos est.*

a Hom. 8 in Iob.

b Cathem. Hymn. 10.

Huc etiam facit quod scribit Vetus autor, & Pipino Regi Synchronos in vita S. Huberti Episcopi Leodiensis: *Corpus eius*, inquit [c], *ablutum lymphis, atque circumdatum peplis, tumulo superponunt.* Eodem modo curatum funus S. Mariani Gregorius Turonensis tradit [d]. *Quem*, ait, *ablutum, dignisque indutum vestibus, sepelierunt in Ecclesia.* Edinerus Anglus: *Corpus*, inquit [e], *defuncti* (Osberni Monachi) *de more lotum, vestitum, in feretro collocatum, in Ecclesiam delatum est.* Finio hanc seriem, vetustissimo Apostolicorum Actuum exemplo. *Factum est autem in diebus illis, vt infirmata* (Tabitha) *moreretur: quam cùm lauissent, posuerunt eam in cœnaculo* [f]. Itaque cadaueris lotio, compositio, delatio, sunt Apostolici æui ritus.

c Cap. 18.

d De Glo. Conf. c 8.

e In vita S. Anselmi.

f Act. 9.

At ne nos in obitu & tumulatione religiosi fratris vehementiùs contristemur, hoc est, eiulatus indecoros misceamus, ad instar Ethnicorum, qui resurrectionis increduli, nulla vitæ melioris spe subleuantur, cùm præclarè his ferè verbis hortatur Apostolus [g], tum verò Apostolici viri, Hieronymus atque Chrysostomus, egregia exempla atque monita posteris reliquêre. Prudentius in primis sic canendo solatur [h]:

> *Iam mœsta quiesce querela,*
> *Lacrymas suspendite Patres:*
> *Mors hæc, reparatio vitæ est:*
> *Sic semina sicca virescunt*
> *Iam mortua, iámque sepulta,*
> *Quæ reddita cespite ab imo*
> *Veteres meditantur aristas.*

g 1. Cor. 1.

h Cathem. Hym. 10.

Sacerdotes, inquit Hieronymus in epitaphio Paulæ, *Lampades cereósque prætulerunt funeri: exhinc non eiulatus, non planctus, vt inter sæculi homines fieri solet, sed Psalmorum, linguis diuersis, examina concrepabant.* *Imitemur agricolas*, ait Chrysostomus [i], *qui cùm triturari granum vident, nihil turbantur: dum verò superstes integrum solidúmque in agro est, metuunt, tremunt: mox vbi trituratum iam & dissolutum conspicantur, gaudent: futura enim sationis exordium est, solutum granum. Ita nos cùm corruptibilis ista domus ruit, gaudeamus: nam homo seminatur.* Et alibi [k] clariùs atque fusiùs: *Corpus Monachis est animæ: si hac priuentur, iacturam non faciunt, sed proficiunt: mihi namque viuere Christus est, inquit, & mori lucrum. Sic enim verè vinculis absoluuntur. Vox exultationis in tabernaculis iustorum. Nunquam illic vlulatus audiri potest, nunquam deploratio; mundum est ab his molestijs tectum, purum*

i Hom. 41. in 1. Cor.

k Hom. 59. ad Pop.

ab hoc clamore. Moriuntur quidem, & ex eis aliqui (non enim sunt immortales corpore, sed morientes nesciunt mortem) Hymnis defunctos prosequuntur. Honorem hoc appellant, non funus. Et si nuntiatum fuerit, quòd ille mortuus est, multum vbique lætitia, & voluptatis multùm: quin verò nec vllus audet dicere, ille mortuus est, sed, ille consummatus est. Tum verò gratiarum actio, lætitia, gloria multa, vnoquoque talem habere finem exoptante, & orante ita certamen hoc exire, à laboribus & certaminibus quiescere, videre Christum. Ita, hæc narrante Chrysostomo, faciendum censeo in eorum defunctorum funere, quos fidenter sperare possumus non ad tormentorum loca, sed ad cæli gaudia transijsse. Quòd si legis, Apostolos, Stephani mortem planctu magno deplorasse, profectò (cum Hieronymo dicam [a]) *planctus ille magnus non in plangentium exanimatione debet intelligi, sed in pompa funeris, & frequentia exequiarum.*

a Epist. 25.

Ceterùm si fratribus ad Christum abeuntibus gratulari debemus, nostra tamen orbitas, nobis, qui hîc in medijs fluctibus relinquimur, certè deploranda est. Verum enim & scitum est illud Seueri dictum [b]. *Pium est gaudere Martino, & pium est flere Martinum, dum vnusquisque & sibi præstat, vt doleat, & illi debet, vt gaudeat.* Atque hoc modo Gregorius Theologus factum refert in obitu Basilij Magni: *Psalmodia*, inquit, *resonabant luctu permixta, & sapientia deperibat ob affectus magnitudinem.* Quidni enim se affligerent oues, tanto Pastore destitutæ?

b Epist. ad Bassulum.

Ritum autem, quem nos seruamus, alligandi calicem sanctum inter manus defuncti sacerdotis, expressum reperies apud Amalarium Fortunatum, qui ex Beda, narrans funus S. Cuthberti, exponit, quomodo vestiri oporteat sacerdotem defunctum; aitque [c]: *Cuthberti cadauer primò lotum, postmodum caput sudario circundatum, vestimento sacerdotali indutum, oblatis super caput sanctum positis, cerata syndone demum inuolutum sepultúmque fuisse.* Subdit verò Amalarius, non esse dubitandum, quin huiusmodi ritus in curando funere à Romana Ecclesia in Anglicanam, vbi Cuthbertus obierat, profectus fuerit. Ac proinde colligere possumus, hunc ritum collocandi calicis, & patenæ super defuncti pectus (id enim Amalarius *Oblata* vocat) Romæ, atque alibi, iam tum vsitatum. Quod confirmatur memorabili exemplo S. Birini primi Episcopi Dorcestriensis, qui ab Honorio Papa in Angliam missus, obijt circa annum Domini DCXL. *Eius deinde corpus cùm ad digniorem locum transferendum esset, aperto sepulchro inuentum est integrum, cum duplici stola, & infula rubra è panno serico, atque cum cruce è metallo confecta pectori eius imposita, denique cum calice ad vmbilicum eius posito.* Ita habet scriptor vitæ eius. Sicut autem Sacerdotalia insignia decent Sacerdotes, ita & Diaconi indumenta Diaconum. Itaque lego apud B. Gregorium [d] in Dialogis sacrum B. Paschasij Diaconi corpus indutum Dalmatica, quæ & miraculum patrauit; quod hîc referre supersedeo. *Placent autem Deo* inquit Augustinus [e], *talia pietatis officia, eaque significant, corpora quoque mortuorum ad diuinam prouidentiam pertinere, propter fidem resurrectionis adstruendam.*

c Lib. 4. c. 41.

d Lib. 4. c. 38.

e De Ciu. l. 1. c. 13.

Præterea non intra sacræ Ædis ambitum, sed in Cœmeterio sepelimur, more

more ſcilicet maiorum. Itaque (cum Minutio dicam) *veterem , & meliorem conſuetudinem humandi frequentamus.* Id quippe propriè eſt *humare* , humo , & terra obuoluere , atque operire , & humi iactare corpus , veluti granum frumenti , quod cadens in terram, mortnúmque , ſpem tamen habet vitæ , & reſurgit in meſſem. Iſque ritus adeò vetus & firmus eſt , vt etiam vetitum non ſemel fuerit quenquam intra Eccleſiam ſepeliri. Extat etiamnum lex à Gratiano Imp. lata, [a] qua negat *Apoſtolorum , vel Martyrum ſedem* (hoc eſt, ſacra Templa) *humanis corporibus eſſe conceſſa.* Cui legi complura ſacra Epiſcoporum Concilia acceſſerunt. Concilium Vaſenſe: [b] *Prohibendum eſt etiam , ſecundùm Maiorum inſtituta , vt in Eccleſia nullatenus ſepeliantur , ſed in Atrio , aut in Porticu , aut in Exhedris Eccleſiæ.* Idipſum ſanxerunt Concilia Triburienſe , & Nannetenſe. Proinde rectè concludit S. Optatus Epiſcopus Mileuitanus ; [c] *Hæc ſepultura in domo Dei exhiberi conceſſa eſt.* Porrò virorum ſanctorum ſolummodo id priuilegium erat. Ideo ſcriptum eſt in vita S. Fulgentij Epiſcopi : *Primus planè in eadem Baſilica* (Fulgentius) *Pontifex poni meruit , vbi nullum mortuum neque Sacerdotem, neque Laicum ſepeliri conſuetudo ſinebat antiqua.* Et memini me legiſſe in S. Epiphanij vita: [d] Cùm is repugnantibus legibus intra Eccleſiam ſepultus fuiſſet , aditúſque eſſet ob hanc cauſam Arcadius , reſpondiſſe Cæſarem ſapienter : Eum , qui ſupra humanas leges vixiſſet , humanis legibus iudicandum non eſſe. Perdurauit autem ea conſuetudo vſque ad tempora Synodi Moguntinæ I. vt conijcio ex his verbis : [e] *Nullus mortuus intra Eccleſiam ſepeliatur , niſi Epiſcopi , aut Abbates , aut digni Presbyteri , aut fideles Laici* ; alioqui antequam prius illud ſeuerius inſtitutum in deſuetudinem abijſſet , neque ipſis Regibus fas erat intra Eccleſiæ ambitum humari. Idcirco Nicephorus ſepulchra Imperatorum deſcribens, *Theodoſius,* inquit, [f] *mox in paterno monumento Romani lapidis repoſitus eſt in dextera , ſublimi S S. Apoſtolorum templi porticu ; in qua porticu , eodèmque lapide Pater quoque Arcadius , & mater Eudoxia , necnon auus Theodoſius , ſiti ſunt. In ſiniſtra autem, quæ ex aduerſo porticu ſacri templi , Iouianus iacet.* Idipſum Chryſoſtomus ſignificat : [g] *Hic* , inquiens , *Conſtantius Conſtantinum Magnum eius patrem honore magno cenſuit haberi , ſi pro foribus Piſcatoris paternum corpus collocaret : & quod in Regijs ſunt ianitores Regibus , hoc ſunt in monumento Piſcatoribus Reges.* Et alibi : [h] *Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant , non ſi prope Apoſtolos , ſed ſi vel extra eorum veſtibula corpora ſua ſepeliantur , fiantque Reges Piſcatorum Oſtiarij.* Nos itaque vetus tuemur inſtitutum, qui intra Eccleſiam nemini noſtrûm, paucis admodum alienorum , ſepeliri concedimus : ſed cœmeterio ad id vtimur , Epiſcopali benedictione, ſanctíſque precibus conſecrato.

Quod quidem pleriſque locis bipertitum habemus ; altera videlicet parte noſtris, altera alienis aſſignata. Simile quid ſignificat S. Ephræmus Diaconus, ad ſodales ſuos loquens : [i] *Neque in veſtris monumentis me vnquam depoſueritis. Cauſſam verò ac rationem habeo , vt cum Deo meo habitem inter peregrinos , & aduenas , quandoquidem & ego aduena ſum , & peregrinus, ſicut & illi. Cum ijs ergo me quieſcere faciatis, quoniam omnis caro , fratres mei ad-*

In Octauio.

a L. 2 Cod. de ſacroſanct. Eccle.

b Cap. Præcipimus de conſec. diſt. 2.

c Lib. 3 de ſchiſm.

d Apud Sur. tom 3.

e Cap. 52.

f Lib 14. c. 58.

g Hom. 66. ad pop.

h Lib quod Chriſtus ſit Deus.

i In Teſta.

hæret ei cuius est particeps, & quilibet homo suo gaudet simili. Ecce duplex cœmeterium in Monasterio S. Ephræmi; Monachorum alterum, alterum exterorum. Vir autem beatus, ob admirabilem animi demissionem, se indignum æstimat communi fratrum cœmeterio. Euagrius etiam simile exemplum narrat [a]: *Thomas*, inquit, *Syrus, vir sanctus, cùm reuerteremur in hospitale ægrotantium, quod in suburbio Daphne est, ad incorruptibilem vitam transiuit; cuius corpus in sepulturam exterorum asportarunt.* Ob huiusmodi cœmeteriorum distinctionem Dionysius Areopagita disertis verbis [b] scribit: *Honorato loco cum alijs eiusdem ordinis corporibus recondi debere corpora mortuorum.* Et eodem ferè sæculo Hierosolymis extitisse agrum Haceldema, sepeliendis exteris coemptum pretio venditi Christi, narrat S. Matthæus [c]. Vt præteream speluncam illam duplicem, in sepulturam ab Abrahamo coemptam [d], qua videlicet seorsum mulieres à viris sepeliebantur, vt docti quidam exponunt [e]. Antequam verò cadauer in fossam humi indatur, peractis videlicet exequijs, precibusque funeris absolutis, terræ aliquantulum Sacerdos super defuncti corpus primus inijcit, eoque actu præbet quodammodo facultatem fossoribus humandi cadauer. Ritum sanè istum nobis peculiarem (nam Rituale Romanum nihil habet eiusmodi) tradit S. Bernardus in funere Gerardi fratris sui, atque adeò in Benedictino ordine, fuisse seruatum: *Indutus*, inquit [f], *Sacerdotalibus, solitam in eum orationem, proprio ore, compleui, terram meis manibus ex more ieci super dilectum corpus, terram & ipsum mox futurum.*

a Lib. 4. c. 85.
b Eccl. Hier. par. vlt.
c Cap. 27.
d Genes. 23.
e Adric. in Tribu Iuda, Delr. in Gen 23.
f Serm. 26. in Cant.

II. Per triginta dies, pro anima eius sacrificent.

A B. Gregorio Magno ad institutum manasse, Missæ ipsæ, quæ Gregorianæ appellantur, satis apertè declarant. *Ab hodierna die*, inquit Gregorius [g], (*qua* videlicet Iustus Monachus obierat) *diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium stude, vt nullus omnino prætermittatur dies, qua pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur.* Id autem aliud erat à celebritate Trigesimæ diei. Hæc enim non triginta dies continenter, sed solummodo trigesima ab obitu die celebratur: atque hæc longè antiquior Gregorio est: nam à Palladio in historia Lausiaca [h], & ab Ambrosio in funere Theodosij, & ab alijs priscis scriptoribus memoratur.

g Dial. l. 4. c. 55.
h Sect. 23.

III. Cæteris domibus res significetur.

Affine est huic sanctæ consuetudini illud Nicæni Concilij decretum, de funere Episcopi, Chorepiscopi, & Archidiaconi, in hæc verba sancientis [i]: *Nuntietur de morte eorum omnibus Ecclesiis, & Monasterijs illius Parœciæ, vt fiat oratio pro eis.* Idem institutum videtur significare Chrysostomus, cùm ait [k]: *Si nuntiatum fuerit, quòd ille mortuus est, multum vbique lætitiæ: quin verò nec vllus audet dicere, Ille mortuus est; sed, ille consummatus est.* Sed clariùs id elicitur ex Edinero Anglo, ita narrante [l]: *Missis circumquaque epistolis, pro anima sui Oberni Monachi, orationes fieri petijt, & obtinuit.* Clarissimè autem ex Blasio Vallumbrosiano [m]: *Atque eius obitum, vt habet consuetudo, omni Congregatio.*

i Can. 65.
k Hom. 59. ad pop.
l In vita S. Anselmi.
m In vita S. Io. Gualb. c. 24.

ni is quem Suppriorem vocant, literis nuntiauit. Hæc Blasius de obitu S. Ioannis Gualberti.

IV. Dicatur Missa solennis pro Anniuersario fratrum Defunctorum. Alexander IV. Max. & piissimus Pontifex, huic nostro firmando ritui illustre præbuit exemplum, cùm decreuit, vt pro summis Pontificibus, atque Cardinalibus defunctis Anniuersaria celebritas fieret, & adstante Papa, Missa in Pontificia Capella pro eorum spiritibus solenni ritu offerretur. Atque ea constitutio, dum Alexander vixit, viguit: vt refert Marcellus Corcyrensis Episcopus, in suo de cæremonijs libro [a]. At propiùs ad nostrum hunc ritum accedit, quod sanxit S. Isidorus Hispalensis in suis Monasterijs obseruandum: *Pro spiritibus*, inquit [b], *defunctorum altera die post Pentecosten sacrificium offeratur, vt beata vita participes facti, purgatiores corpora sua in die resurrectionis accipiant.* Notabis verò, ætate S. Isidori, hoc est, quadringentis circiter annis ante B. Odilonem, qui vniuersalem omnium fidelium Defunctorum memoriam primus instituit, non iiij. Non. Nouembris, sed proxima post Pentecosten die anniuersariam fratrum defunctorum celebritatem fieri consueuisse. Præter Diptycha, hoc est, tabellam duplicem, & complicabilem, quarum altera viuentes, altera defunctos Sacerdoti sacrificanti in memoriam reuocabat; reperio etiam, legi quotidie solitum post lectionem martyrologij, defunctorum Diarium, vt qua quisque die mortuus esset, scirent viuentes, & pijs precibus defunctos iuuarent. Hinc Radulphus Riuius: *In officio*, inquit [c], *Capituli, post Primam, primò fit memoria Sanctorum in lectione Martyrologij: secundò, memoria Defunctorum, in Anniuersarijs recitandis, cum Psalmo, Miserere mei Deus, & Collectis.* Recitabant autem Defunctorum nomina ex libro quem Annalem appellabant. Proinde Beda in historia Anglicana [d] refert Osuualdi Regis obitum scriptum fuisse in Defunctorum Annali Codice. Præclara profectò consuetudo, & prorsus digna quæ apud nos renouetur ac perpetuò vigeat.

a Lib. 2. c. 34.

b Cap. vlt. Regulę.

c Propos. 14.

d Lib. 4. c. 14.

Partis primæ finis.

SYNOPSEOS VETERVM RELIGIOSORVM RITVVM, NOTIS AD CONSTITVTIONES Clericorum Reg. comprehensæ

SECVNDA PARS.

CAPVT I.

De tribus Religionis Votis.

TRIA Religionis Vota, quę summo Deo polliciti sumus; & sanctè reddere, & firma tueri fide debemus. Proinde illorum consuetudinem valde probamus, qui Patrum nostrorum exempla secuti, antequam cubitum se recipiant, flexis coram Deo genibus professionem iterare consueuerunt.

Obedientiam accuratè seruare, & in ea magnopere excellere quisque studeat. In his, quæ Superiores iusserint, ne externè tantùm eis obediant, verumetiam magno eos amore, & intima reuerentia prosequantur. Nostrarum actionum regula sit Superioris voluntas, quam, dabimus operam vt perspectam habeamus, sequamur, exequamur. Quem cuiuis rei Superior prę fecerit, ei perinde ac Superiori sine querimonia obtemperetur.

Ad castitatem seruandam adhortari minimè opus esse arbitramur. Religiosis enim viris non tam pręclarum est eam virtutem colere, quàm turpe non colere. Itaque nihil hoc loco adiiciendum, nisi vt aspectu, incessu, sermone, & totius corporis forma Angelicam quodammodo in terris puritatem imitemur.

Paupertas, expedita ad Deum via, & Religiosæ Christi familiæ magnum certúmque vectigal, publicè priuatimque exercenda est. Nemo igitur omnino aliquid possideat proprium. sed omnes in communi, & de communi viuant. Eleemosynæ, ac bona omnia, siue Confessarijs, siue Prædicatoribus, siue quibusuis alijs, à quibuscunque siue consanguineis, siue extraneis, quocunque nomine datę sint, ad Superiorem delatę, in communi reponantur; diuidantur autem à Superiore prout cuique opus fuerit. Ne quis vestem, librum, aut quoduis aliud munusculum absque sui Superioris licentia & benedictione vtendum accipiat. Apud externos ne quis horum aliquod depositum, quod Prępositus non probet, retineat: id enim proprietatis habet speciem. Quæ cuipiam à

Superiore concessa sunt, ea ne dentur alijs ex fratribus, aut sæcularibus, absque Superioris licentia.

Etsi neque per professionem, neque per sacros Canones prohibeamur annuos reditus in communi possidere: per Concilium autem Tridentinum id nobis sit concessum; nihilominus (voluntariè tamen, vt nullo vnquam vinculo adstringamur) ab illis abstinemus, quò à sæcularibus negotijs liberiores, paupertatem Christi Domini, Apostolorum, & multitudinis illorum, quibus cor vnum, & anima vna fuisse legitur, imitemur; illud habentes in memoria. a *Nolite solliciti esse, quid manducetis, aut quid bibatis: scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Nouitijs nostris dum bonis suis ante professionem renunciant, annuos reditus, quoad ipsi vixerint, nostræ Congregationi vt relinquant, ne permittatur. Ne procuret item aliquis ex Nostris, siue Professus sit, siue Nouitius, vt sibi, quoad vixerit, annui reditus à parentibus, consanguineis, alijsve relinquantur. Neque procuret, aut permittat aliquis, vt pecuniarum quidquam secretò ab eis erogandum, relinquatur; sed quamprimùm Superiori suo rem omnem aperiat.

a Matth. 6.

De Altari & Euangelio viuere nos Clericos oportet, & de ijs quæ sponte à fidelibus offeruntur. Itaque neque per nos ipsos, neque per alios petantur à sæcularibus eleemosynæ, sed tota spes nostra in Christi Domini verbis posita sit: qui ait: Primùm quærite Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Sæcularibus ne permittatur, vt tanquam quæstores petant pro nobis eleemosynas. Quòd si nobis inscijs id facere sint aggressi, cùm primum ad nos perlata res fuerit, prohibeantur. Nec item alicui ex nostris, aut pro suis propinquis, aut pro extraneis liceat eleemosynas petere. Si fortè pecuniarum aliquid sponte traditum fuerit, vt pauperibus erogetur, id neque apud se habere, neque alicui erogare quis audeat, sine Superioris licentia.

Paupertas item priuatim eniteat in cellulis, vestibus, ac reliqua supellectili singulorum. Nemo apud se habeat horologia cuiusuis metalli specie fabricata, nec aureas vel argenteas reliquiarum sacrarumque rerum capsulas, aut libros auro vel sericis coopertos, aut magno pretio sculptas vel pictas Sanctorum imagines. Neque item armarijs ita ornatis, vt scriptoria (quæ vulgò vocant) videri possint; aut tabulis, vel oratorijs nuceis vtantur. Nemo nostrum armaria, vel areas clauibus obseratas absque Superioris expressa licentia habeat, exceptis ijs qui res communes asseruant. Visitentur quandoque à Præposito cubicula singulorum, ne in ijs curiosa, pretiosa, & nostræ Congregationi minimè conuenientia, vel plura quàm concessa sint, penes se retineant, & in proprietatis (quod absit) vitium quis incidat; neve quid sordidum, incompositum, aut ineptiùs ornatum apud se quisquam habeat.

Ad Cap. I. Notæ.

1. TRia Religionis vota, quæ summo Deo polliciti sumus. Complures esse eiusmodi conditionis homines, qui sine religiosæ vitæ professione salui nequaquam fiant, tam Isychius ca. 23. Leu. & Athan. in vita S. Anton & fusiùs clariúsque Gregorius, in epist. ad Maurit. Imp. quæ est centesima, atque ex ijs Patribus recentiores aliqui doctè & disertè concludunt: (Plat. de 60. sta. relig. & Lippom in Not. ad vitam S. Anton.) Vide igitur, regularis Clerice, quàm magni debeas æstimare diuinæ te sequi ductum vocationis. Religiosa quippe Vota, si perfectè ea seruabis, ad veræ charitatis te perducent acquisitionem. Plurimas enim virtutes Religiosa Vota continent, omnésque probæ vitæ actus ad ea mirificè ordinantur, vt è subiecta hac Syntaxi cognosces.

Religiosi viri Opera & Obseruantiæ Regulares vniuersæ ad tria hæc vota Religiosis ordinantur; vt docet S. Tho. 2. 2. q. 186 art. 7. ad. 2. videlicet ad Votum.

- I. Paupertatis, ordinantur tum quæ pertinent ad victum procurandum, vt
  1. Mendicitas in Relig. Mendicãtium.
  2. Labor manuum ad vitam sustentandam.
  3. Recta administratio temporalium.
  4. Pia obsequia in Benefactores.
  5. Parsimonia in victu, vestitu, stragulis, libris, pedestri itinere.
  6. Nihil sibi proprium arrogare, sed omnia quæ cuique, vndecumque proueniant, in communi ponere.
- Tum etiam quæ ad necessariam siue conuenientem erogationem spectant, vt
  1. Nihil sine licentia dare cuiquam, etiam pro eleemosyna.
  2. Operam suam opémque nulli absque Superioris permissu, neque dicto, neque scripto, neque facto præstare.
- II. Castitatis, ordinantur quæcumque corpus macerant, vt
  1. Vigiliæ, & Chori cantus.
  2. Ieiunia.
  3. Cilicia.
  4. Disciplinæ.
  5. Humi cubatio.
  6. Fuga conuersationum.
  7. Custodia sensuum.
  8. Declinare otium.
  9. Frigoris, æstúsque toleratio, & huiusmodi alia.
- III. Obedientiæ, ordinantur quæcunque iuxta Prælati voluntatem ita disponunt humanos actus, vt requirit religiosæ vitæ finis, qui est Dei, proximíque dilectio, vt
  1. Horæ Canonicæ, præcipuè cantu persolutæ.
  2. Oratio & Contemplatio.
  3. Silentium.
  4. Clausura.
  5. Lectio Scripturarum.
  6. Conciones.
  7. Auditio Confessionum.
  8. Visitatio infirmorum.
  9. Docere in Scholis.
  10. Variæ functiones domesticæ in culina, refectorio, horto.
  11. Omnia denique ministeria quæ sub Obedientiam cadere possunt.

Quæ autem ex his ita sint connexa Votis, vt obligent ad p. m. disputant Theologi. Tu vide quæ habet S. Tho. art. 9 supradictæ quæstionis 186. & Caietani comment. in eum locum.

11. Professionem iterare consueuerunt. Quandoquidem professio, qua quis se suáque omnia Deo offert, est veluti alter baptismus, (vt infra multorum Patrum autoritate monstrabimus,) meritò celebramus professionis memoriam, quemadmodum Annotinum Baptismi festum veteres celebrasse reperimus apud S. Gregorium in Sacramentario, & apud Micrologum libro de diuinis Officijs. Et salutariter quidem: sicut enim ad quotidianam recordationem aquę Baptismi instituta est ab Apostolis, & sancita ab Alexandro I. Pontifice aqua lustralis, ita debet nobis esse quotidiana recordatio, & perfecta quædam instauratio secundi huius Baptismi, qui veterum Religiosorum Professio est. Probè id vidit agnouítque magnum illud Italiæ nostræ decus [a], S. Bernardinus Senensis, scriptúmque reliquit, religiosum quemque virum, quoties complacet sibi de votorum professione solemni, adeo vt vel si nuncupata non fuissent, libenter de integro nuncuparet, magnam sibi acquirere animi puritatem, & peccatorum medelam: atque hoc ipsum, ex auctoritate S. Bernardini, asserit Dionysius Carthusianus, sanctus & ipse, ac doctus Pater: cuius verba hæc sunt [b]: *Sententia est Bernardini, aliorúmque multorum doctorum, quotiescumque religiosus suæ recordatur professionis, & hanc esse factam gaudet, adeò vt si illam non fecisset, adhuc Dei amore motus faceret, hoc est, mundo, cunctísque vitijs eius denuò abrenunciaret, vt ei, qui se propter hominem exinaniuit, formam serui accipiens, quique venit non ministrari, sed ministrare, sese in hostiam ac seruitutem perpetuam offerre paratus esset; hoc, inquam, modo suæ professionis quicumque fuerit memor, indulgentiam omnium peccatorum suorum plenam assequitur. Quod (supposita infinita Dei clementia, & pronitate ad miserandum magis quàm ad vindicandum) hoc probatur modo: Homo, qui post peccatum gaudet de scelere à se patrato, paratus iterum hoc peccatum facere si posset, commeretur à Deo tot gradus pœnæ, quot ante commeruerat, quando peccatum opere consummauit. Testatur hoc Alexander Halensis in 3. part. summæ tract. de prohibit. concupiscentiæ. Ratio huius est, quia mala voluntas apud Deum pro opere computatur: de pœnit. dist. 1 c. Homicidiorum, &c Omnis nunquid, &c. Noli, &c. Si propterea: Ergo è diuerso, quoties aliquis facit bonum opus, & postea ita de eo gaudet, vt rursus illud faceret, si posset, quamuis non possit amplius illud facere, Deus dabit illi tot gradus meriti, & premij essentialis, ratione huius bonæ voluntatis, quot priùs dare debuit, quando bonum illud fecit, quia bonum potentius est malo. 1. Ethicorum: Cùm ergo in professione acquirat religiosus indulgentiam plenariam omnium suorum peccatorum, conficitur, quòd etiam quotiescunque gaudet se fecisse professionem, ita vt rursus illam faceret, si non fecisset, eandem indulgentiam plenariam absque dubio consequitur, quam in professione habuit. Et hanc potest renocare omni tempore, quoties voluerit, sola bonæ voluntatis renouatione.* Hæc ille sapientissimus Theologus. Quocirca cùm magnam rei huius vtilitatem optimè agnoscerent sanctissima illa cæli sidera,

[a] Serm. 24. Relig art. 1. c. 1. paragr. Hæc.

[b] Lib. de Prof. Mon. cap. vlt.

Franciscus, Gertrudes, (vt cæteros taceam) sacrorum votorum nuncupationem deuotissimè ac frequentissimè instaurasse, leguntur. Porrò formulam huic innouandæ professioni concinnè, nisi fallor, accommodatam, huc ex Deuteronomij [a] libro transferre libuit. Ea est huiusmodi: *Profiteor hodie coram Domino Deo, qui exaudiuit me, & respexit humilitatem meam, & laborem, atque angustias; & eduxit ad locum istum, & tradidit mihi terram lacte & melle manantem: & idcirco offero nunc primitias terræ huius, quam Dominus dedit mihi: Respice tu Domine de Sanctuario tuo & de excelso cælorum habitaculo, munera, quæ obtuli tibi hodie, & vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, quæ tibi, te inspirante, quondam nuncupaui. & benedic famulo tuo N. & terræ, quam dedisti ei, lacte & & melle mananti. Ecce tu Domine Deus meus inspirasti mihi, vt faciam mandata hæc, atque iudicia vt custodiam & impleam ex toto corde meo, & ex tota anima mea. Ecce Dominum elegisti N. vt sit tibi Deus, & ambules in viis eius, vt custodias vota tua & obedias eius imperio. En Dominus elegit te N. vt sis ei famulus peculiaris, & custodias præcepta, & consilia illius, Caue, ne obliuiscaris, vt sis seruus sanctus Domini Dei tui Amen* Facit autem ea promissorum frequens iteratio, vt animus religiosi viri, propositi tenacior, virtute ditior, & merito cælestis indipiscendi præmij cumulatior euadat: quo quid vtilius ijs qui non temporario sed perpetuo voto Dei se obsequiis manciparunt? Vt autem vel ob hoc maximè læteris, Regularis Clerice, quòd habitaturus sis in domo Domini omnibus diebus vitæ tuæ; audi B. Augustinum [b] sapientissimè censentem, *plus ardenter ferri in cupiditatem adeundi sæculi eos qui non desperant eiusdem voluptates. Qui autem perseuerantiam Deo vouerint, ipsam spem subtrahunt: quæ fomes amoris est. Vnde faciliùs concupiscentia refrænatur, quæ nulla expectatione succenditur.*

a Cap. 26.

b De bom. vid. it. cap. 20.

111. **Obedientiam accuratè seruare, & in ea magnopere excellere quisque studeat.** Nam apud Ægypti Patres, *Prima virtus erat parere alieno imperio* Et iure id Sulpitio [c] dictum: *quippe ea sola est* (Gregorio iudice [d]) *quæ cæteras virtutes menti inserit insertásque custodit.* Quod præconium is ab Augustino accepisse videtur, qui diu anteà edixerat, [e] *eam virtutem in creatura rationali matrem quodammodo esse omnium, custodémque, virtutum.* Et quis credet? ipsa etiam vera libertas non alio faciliùs modo acquiretur, & possidebitur, quàm hac nobilissima seruitute. Mitto vulgatum illud; *Seruire Deo, regnare est,* ad Philosophum Ethnicum te amando ò Christiane, ad Epictetum dico, Stoicorum sapientissimum, quem exemplo sanctissimi Caroli Borromæi, qui eius libellum adolescens sæpissimè lectitabat, libens equidem laudo, eiúsque huc aurea profero verba, Christiano etiam ore calamóque dignissima: Epictetus igitur sic obedientiæ virtutem veræ libertatis fontem affabrè depinxit: *Constitui, & confirmaui voluntatem meam diuinæ: Vult me febricitare? & ego volo. Aliquid aggredi? volo. Potiri? volo. Non potiri? Nolo. Mori? volo. Quis iam igitur prohibere me aut cogere præter voluntatem potest? Non magis, quam ipsum Deum.* O magnas obedientiæ vires! Neque Deo soli

c Dial. 1 de vit. S. Mar.

d. Moral. l. 35 cap. 10.

e Lib. 14 de Ciu. c. 12.

ſoli parere illa docet, ſed, quod fortaſſe Epictetus haud vidit, homini quoque, qui vices habeat Dei. Miſerum itaque te, & miſerandum mancipium, ſi liberam hanc, & liberalem excutis ſeruitutem. Pare igitur lubens Prælato tuo: & quoquò te vertat, qui ſupra te eſt, tu promptè conuertere. Ita feciſſe veteres lego Religioſos viros. Ii namque, vt Caſſianus refert [a], *Obedientiam cunctis virtutibus ita præferebant, vt huic iudicarent omnia poſt ponenda, & vniuerſa diſpendia ſubire contenti eſſent, dummodo hoc bonum in nullo violare viderentur.* Hinc eſt, quòd aliqui religioſi Ordines, nempe Benedictinus, Carthuſianus, Dominicanus, in ſolenni formula profeſſionis, ſolam obedientiam ſecundùm Regulam promittunt, & vouent: nimirum quia ſub Obedientia regulari, Paupertas & Caſtitas continentur; vt elicitur ex SS. Thoma [b], & Antonino [c].

[a] Inſt. lib. 4. cap. 12.

[b] Quodl. 2. art 20.

[c] Sum. Par. 3. tit. 16. ca 3.

IV. Ad Caſtitatem ſeruandam.

Nos, qui ad conciliandam ſanctionibus noſtris autoritatem, hiſce Notis, antiquorum Patrum exempla atque monita pleraque comprehendimus, præterire nullo modo deberemus, quam ipſi cautelam ſiue legem ſeruandæ caſtitati adhibuerint: Niſi certò ſciremus ſilentio gaudere pudorem, non legum aut præceptionum ſtrepitu. Plerumque enim fit, vt niuem hanc qui tractat, maculet: & lilium iſtud Caſtitatis, qui Spinis munit, laceret, aut pungat. Quocirca dicam ſolummodo atque vniuersè, Vana fore veterum monita, & exempla, ſi mentis arcem ſegnis cuſtos teneat. Animus itaque roborandus eſt, ne aſſiduis delaſſatus prælijs, hoſti ſe dedat: ſenſuum feneſtræ claudendæ, ne inde mors intret ad interimendam caſtitatem. Oculorum præcipuè procacitas coercenda: Nam, vt bene Chryſoſtomus [d]; *Nullum aliud indicium æque atque oculorum procacium, certius, quo ſe declarent, illices eſſe, ac propenſos ad voluptatem captandam, lubricamque mollitiem.* Orationi precibúſque aſſiduè vacandum: Iudicia cum primis, ſuſpicioneſque de aliorum vita ac moribus vitandæ: ſimplicitas, ſobrietas, puritáſque modis omnibus conſectandæ ſunt. His aliiſque virtutibus mens communita ſperare poterit, per Dei gratiam, etiamſi carne circundata ſit, angelicam ſe vitam in terris victuram, & Caſtimoniæ pollicitationem, qua ſe homo holocauſtum Deo obtulit, incorrupta ſeruaturam fide.

[d] In cap. 3. Iſaiæ.

V. Paupertas, expedita ad Deum via.

Plurima congerere huc poſſem ſanctæ paupertatis elogia: Vnus tamen mihi ſat erit, Ioannes Climacus, qui de hac virtute eadem ferè dicit, atque noſtræ conſtitutiones hoc capite dixerunt: *Nuditas*, inquit [e], *rerum omnium, curarum eſt depoſitio, ſecuritas vitæ, viator omnibus impedimentis liber, mœroris alienatio, mandatorum fides.* Et pulchrè quidem ait, hominem ſponte ſua pauperem, viatorem eſſe omnibus impedimentis liberum; idipſum diu ante Climacum Minutius Felix [f] elegantiſſimè dixerat: *Quomodo poteſt pauper eſſe, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo diues eſt? magis pauper ille eſt, qui cùm multa habeat, plura deſiderat. Igitur videtur qui viam terit, eò felicior quò leuior incedit: ita beatior in hoc itinere viuendi, qui paupertate ſe ſub-*

[e] Grad. 7.

[f] In Octauio.

leuat, non qui sub diuitiarum onere suspirat. Magno viatico breue vitæ iter non instruitur, sed oneratur. Hæc ille. A paupertate igitur Christiana, & verè religiosa longè est scomma illud, quod in coactam mendicabulorum inopiam Poëta profanus irridendo inurit:

Magnum pauperies opprobrium, iubet
Quiduis facere, aut pati:

Immo religiosus pauper occinet lætus,

Nudum licet me, me & vacuum, nihil
Christo vocanti pœnitet obsequi,
Securitas cui diuina seruit,
Atque fidem comitata merces.

Itaque seiungenda est misera illa, à felici hac Euangelica paupertate; vocabulo enim tantummodo conueniunt, re distant maximè: Tunc quippe demum paupertas virtutis Christianæ promerebitur nomen, cùm bonorum cælestium ardor ita in nobis diuitiarum atque opum inanium desiderium consumet, vt nihil tam velimus, quàm nihil velimus: neque tam gratum sit opibus frui, quàm pro Christo carere: sic Christus Dominus fecit, *qui cùm diues esset, pro nobis egenus factus est:* Sic Apostoli, relictis omnibus ad Dominum euolarunt. Porrò super hanc firmissimam Paupertatis Apostolicæ basin Ordo noster potissimùm fundatus est: donec super ea steterit, non erit de casu aut vacillatione timendum. Stabit autem, si exemplo animabimur eximij Patris nostri Caietani Thienæi, quem Onuphrius Panuinius [a], aliique multi meritò sanctum beatúmque appellant. Iste igitur vir Dei, sanctæ paupertatis amore succensus, dum amplissimas opes, Christo seruiturus, erogaret, sæpissimè dicebat: *Non desistam abijcere quidquid possideo, donec pro Christo adeò pauper ipse euadam, vt aliena misericordia vix sepulturam ipsam obtineam.* Ea porrò verba visus est accepisse à B. illa, & nobilissima Paula, quæ à S. Hieronymo admonita ne adeò profusa esset in largiendo, vt sibi nihil relinqueret, respondit alacriter, *se hoc habere voti, vt mendicans moreretur.* Præclaram scilicet sententiam Caietanus protulit, & religiosi Ordinis parente dignam. Iam enim tunc intellexerat [b], *Breuissimum ad Charitatis perfectionem iter esse paupertatem voluntariam.* E contrà, *Venenum charitatis esse spem adipiscendarum & retinendarum rerum temporalium*, vt S. Augustinus sapientissimè dixit [c]. Neque mihi quisquam hoc loco obiiciat Ecclesiastici verba [d], sapientiam cum diuitijs commendantis. Ea enim intelligenda esse de felicitate naturali, non autem de supernaturali, ad quam nos Christus per Euangelium inuitat, eruditè & copiosè ostendit Cornelius Iansenius [e]. Eiúsque sententiæ apertè suffragatur Ambrosius: *Nos*, inquiens, *Christiani, nihil vtile, nisi quod ad vitæ illius æternæ prosit gratiam, definimus, non quòd ad delectationem præsentes, neque aliqua commoda in facultatibus, & copijs opum constituimus, sed incommoda hæc putamus, si non reijciantur: eáque oneri magis, cum sint, æstimari, quàm dispendio, cùm erogantur. Illi* (Ethnici) *sæculi commoda in bonis ducunt, nos hæc etiam in detrimentis.* Vt quisque igitur nostrûm pauperiem am-

[a] In vita Pauli IV. Diar. Orat. Vicétini f. 9. Fortunatus in Calend. Sanctorum Vicetiæ aliique.

[b] S. Greg. li. 2. Moral. c. 27.

[c] Lib. 83. qq. q. 33.

[d] Cap. 7.

[e] Par 2. Cõcord. c. 39.

plectatur, & sanctorum Patrum monita, & nostrorum maiorum exempla suadent.

VI. Nemo igitur omnino aliquid possideat proprium. Ex Augustini Regula hæc verba desumpta sunt: *Non dicatis*, inquit, *aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Sed res ipsa diu ante Augustinum viguit in Ecclesia. Nam sicut præter alios Sanctos Maximus Taurinensis edisserit, *Ex libro qui Apostolorum Actibus adscribitur, tantam sub memoratis viris deuotionem plebis fuisse constat, vt post acceptam fidem nemo domum propriam sibi defenderet, nemo suum aliquid vindicaret, sed iure fraternitatis essent illis cuncta communia: Scilicet, vt qui eodem consortio religionis tenebantur, eodem consortio tenerentur & vita: hoc est, vt quibus erat vna fides, esset & vna substantia; & quibus erat communis Christus, communis esset & sumptus. Nefas etenim putabant religiosi viri, sibi participem non adsciscere in substantia, qui particeps esset in gratia.* Porrò proprietatis vitium adeò detestantur sancti Dei viri, vt non solùm quidpiam priuatim possidere, sed ne verbo quidem proprium nuncupare licuerit. *Hanc paupertatis regulam*, inquit Cassianus [a], *videmus strictissimè nunc vsque seruari, vt ne verbo quidem audeat quis dicere aliquid suum, magnúmque sit crimen, ex ore Monachi processisse, (Codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas,) próque hoc digna pœnitentia satisfacturus sit, si casu aliquo per surreptionem vel ignorantiam huiusmodi verbum de ore eius effugerit.* Cassiani magister Chrysostomus idem habet [b]: *Non est ibi*, ait (hoc est in Syriæ Monasterijs) *meum, & tuum, sed hoc verbum eliminatum est, infinitorum causa bellorum*; Et huius instituti rationem atque originem profert Basilius Magnus: *Verba hæc*, ait [c], *Meum, & Tuum, in vniuersum a fratribus vsurpari ratio vetat: Erat enim*, inquit, [d] *multitudinis credentium cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.* Et sanè id nobis prohibetur etiam per sacros Canones: his verbis [e]: *Nemo vllam rem sibi propriam nec habeat, nec nominet.* Cæterùm si tantopere vitanda est vox proprietatem significans; quanto magis opus ipsum, propriúmque peculium abhorrendum erit; Saltem vel ob ipsa quæ parit, ingentia mala. Ea Dionysius Carthusiensis disertè explicat; & libet hoc loco exscribere ex eo, vt quisque videat in quanta se discrimina, peculium possidendo, coniiciat. *Viri*, inquit [f] *prudentes, & sancti Religionum institutores, ex proprietate, seu peculio multa mala prouenire didicerunt; vt contumaciam, superbiam, contentionem, fictionem, auaritiam, inanem gloriam, inuidiam, mendacium, luxuriam, occupationem infructuosam, curam superuacaneam, dissolutionem variam, mentis distractionem, acediam, negligentémque diuini Officij persolutionem. Abundantes enim peculio, ad resistendum suis Superioribus fiunt audaces, disciplinam & correctionem agrè ferunt, & excutiunt; factiones concitant, rebelliones fouent; comessationibus & ebrietatibus vacant, ex quibus in vitia carnis labuntur, & quotidie magis excæcantur, & obdurantur.* Hæc ille. Quocirca veram paupertatem Græci Theologi ele-

[a] Li. 4. Inst. ca. 13.

[b] Hom. 58. ad popul.

[c] Interrog. 32.

[d] Act. 2.

[e] De sta. Mon. cap. Nemo.

[f] De refor. claustr. art. 16. & de Refor. Monialium art. 9.

gantissimè nuncuparunt ἀκτημοσύνην, hoc est, *peculij omnis abalienationem.* *Peculij* autem vocabulo intellige etiam vsum cuiuspiam rei comprehendi, si vsus huiusmodi certus sit, & qui amoueri nequeat, vti pluribus idem autor concludit. De qua re vide, quæso, S. Antoninum [a], Humbertum [b], Turrecrematam [c], Syluestrum [d], Seruatium [e], aliósque, quos præter institutum fuerit, hoc loco prolixè referre.

a 3. P. tit. 16. cap. 1.
b In Reg. Augustini Cap. 1. & 2.
c In c. Non dicatis 12 q. 1.
d Relig. 6. q. 7.
e Optices spec. 45.
f Serm. 3. de comm. vita Cler.

VII. Nequis vestem, librum, aut quoduis aliud munusculum absque sui Superioris licentia & benedictione vtendum accipiat. Itaque proprietatis labes non solùm in pecuniæ, verumetiam in cuiusuis rei priuatæ possessione consistit: quod & Augustinus his verbis declarat [f]: *Quicunque in tantum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat, si hoc vltro confiteatur, parcatur illi, & oretur pro illo: Si autem deprehenditur, atque conuincitur, secundùm arbitrium Præpositi grauiùs emendetur.* Subditque rationem, cur aliquid occultè, idest, absque Superioris licentia accipi nequeat: *Cùm huius,* inquit, *nostræ Congregationis fratres non solùm facultatibus, sed etiam voluntatibus proprijs in ipsa ordinationis susceptione renuntiauerint, & se per promissam obedientiam penitus aliorum potestati, & imperijs in Christo, & pro Christo subdiderint, certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere, sine Superioris licentia. Quòd si propinquus, vel amicus, vel quilibet fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit, primò quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur, si ipse mandauerit: De quo tamen nihil fiat, nisi quod Priori placuerit.* Hæc sapientissimè sanxit Clericorum Regularium restitutor Augustinus. Obseruabis autem, inter piacula proprietatis primum locum tenere, in Augustini verbis, occultam literarum acceptionem. Non enim ignorabat prudentissimus ille Pater, quàm atrocium scelerum, furtiua huiusmodi literarum datio acceptioque soleat esse initium, & indicium: vti, miserabili exemplo, Sabiniano illi Diacono contigisse legitur, cuius cum sacra Virgine per furtiuos codicillos execranda commercia B. Hieronymus copiosè deplorat [g]. Cassianus item [h] noxæ istius reos, apud antiquos Patres seuerè punitos narrat. Sed neque si Superiori literæ ostendantur, decet Religiosos viros in ijs scribendis frequentiùs occupari. Videas aliquos magno temporis & chartæ dispendio, minimo, vel potiùs nullo operæpretio, scriptitare literas, & ad se vicissim missas lectitare, hoc est, serræ in modum trudere & trahere; Id profectò argumento est eos cellæ odium ad rumores sæculi captandos impellere: *Nam turbas hominum rerúmque quærunt, qui se pati nequeunt,* inquit acutissimi ille oculi Stoicus Seneca. Eiusmodi vana sæculi officia missa facient, si me audiunt, viri claustro conclusi; immo si B. Paulinum aspicient, vix, rogati, aut pœnè conuitijs lacessiti respondebunt. Quippe, vt alter recentior Diuus, [i] *Pene est, vt inutilem quæstionem silentium sol-*

g Epist. 48.
h Inst. l. 4. c. 16.
i S. Vinc. de vita Spirit. cap. 1.

nat. B. igitur Paulinus Campaniæ nostræ immortale decus, postquam religiosæ vitæ iter instituit, quamuis Ausonio deuinctus esset, magistro quondam suo, quamuis alioqui grauissimi viri & se senioris canos revereretur, quamuis officio literarum crebro ab eodem fuisset lacessitus, vsque ad ternam nihilominus Epistolam silentium tenuit, excusauitque demum silentium, quod tandiu tenuerat, his memorandis versibus:

Nunc alia mentem vis agit, maior Deus,
Aliósque mores postulat,
Sibi reposcens ab homine munus suum:
Viuamus vt vita Patri:
Vacare vanis, ocio, aut negotio,
Et fabulosis litteris,
Vetat: vt suis pareamus legibus,
Lucémque cernamus suam.

Prudenter igitur prisci illi nostri Patres: quippe qui vna eadémque Præpositi Epistola, singula ea quæ opus habebant, suo quisque caractere, breuissimè significabant. Nunc verò literarum numerus pœnè innumerus in ingentem aggerem hebdomadatim excrescit.

VIII. Voluntariè ab annuis reditibus abstinemus.

Primæuæ Ecclesiæ fideles, venditorum agrorum suorum, domorúmque pretia *ponebant* [a] *ante pedes Apostolorum; qui diuidebant singulis, prout cuique opus erat.* Quæ Lucæ verba optima ratione à Præpositis nostris recitantur de libro Apostolorum Actuum, dum quispiam Nostrûm solennia Religionis vota nuncupat; vt videlicet cuique intelligere liceat se vitam profiteri Apostolicæ paupertatis. Et verò Christus ipse non certo reditu, censúque, sed spontanea fidelium oblatione vitam transigebat. *Ea enim, quæ mittebantur* (inquit B. Ioannes [b]) Iudas, cui loculi commissi fuerant, *portabat. Habebat itaque loculos Christus*, concludit S. Augustinus [c], *à fidelibus oblata conseruans.* Atque vt hoc loco obiter adnotemus, qualisnam Ecclesiastici patrimonij origo extiterit, constituendum est, eodem B. Augustino [d] asserente, Ecclesiasticæ pecuniæ possessionem à Christo Domino primùm institutam: ipsum etenim non emendicata stipe, vitam degisse cum discipulis palàm est (nisi quis emendicationem vocet, à Samaritana haustum aquæ; & in Pascha à quodam cœnaculum poposcisse,) sed habuisse eos facultatulas aliquas in communi, graui Decreto Ioannes xxij. declarauit [e], eorum, qui contra sentiebant, meritò opinione damnata. Quod Romani Pontificis Decretum, haud multum cum sacris litteris conuenire, satis quidem temerè, & pernicioso exemplo, Platina Cremonensis [f] ausus est scribere. Ita igitur res se habuit: Christus, & Apostoli, de rebus oblatis victitarunt. Postero item tempore ex vltroneis fidelium oblationibus, quas Paulus Apostolus tam sæpe memorat, atque ex diuenditorum agrorum pretijs,

a Act. 4.
b Cap 13.
c In cap. 13. Ioan.
d Tract. 62. in Ioan.
e Extr. in de verb. Sig. Cap. 4. & 5.
f In vita, Ioan. 23. alias 22.

Clerici, Viduæ, pupilli, pauperes, sustentabantur. Inde, eiusmodi pijssimo instituto paululum immutato, non iam possessionum aliorúmve bonorum pretio [a], sed ipsismet fundis, bonisque, Ecclesiæ, atque Episcopo, veluti dispensatori, attributis, ortum habuit annuus census, prouentúsque Ecclesiasticorum. De qua re latè & doctè disserunt Achilles Statius [b], Nauarrus [c], Antonius Quintanaduenna [d], Turrianus [e], atque alij. Nam iam ab ætate Symmachi Papæ, hoc est, circa annum Christi quingentesimum, & fortassis supra, leguntur possessiones Ecclesiæ traditæ Clericis, vt ex earum prouentibus fructibúsque vitam exigerent. Quippe Symmachus [f] iam dictus, anno 502. ad Consultationes Cæsarij Episcopi, vt creditur, Arelatensis, in primis ad illam respondet: *Ne possessiones Ecclesiæ distraherentur, nisi fortè Clericis, aut Monachis, aut Peregrinis ad tempus, reuersura ad Ecclesiam.* E quo responso colligi potest, quòd, cùm antea solerent Clerici ab Ecclesia per Episcopum mensibus singulis victus causa meritam stipem recipere, vt ex S. Cypriano habetur, epist. 28. ad Clerum Carthag. postea factum, vt aliquibus ex his, Ecclesiæ possessiones, quoad viuerent, ab ipso Episcopo concederentur; quæ beneficia dici cœperunt, eò quòd, vt habet Symmachus, iam dicta Epistola, bene meritis tantùm eas concedi liceret. Verùm non admodum diu ante ea Symmachi tempora S. Augustinus Apostolicæ paupertatis & fidei æmulator optimus, proposuit populo Hipponensi, se velle, omnes Dei seruos & ministros eodem modo viuere, quo in veteri testamento, atque ætate Apostolorum, altari seruientes, ex oblationibus populi, non autem ex possessionum reditibus, multóque minùs ex Sacerdotijs, aut beneficijs cuique Clericorum attributis; se paratum esse dicens illis cedere. Sed, vt narrat Possidius, in vita Augustini, nunquam id Laici suscipere voluerunt: Et sapienter ab Augustino id quidem factum est; nam, vt Ethnicus etiam ille agnouit, *Dominia rerum collabi solent, bona autem mentis vsurpatio nullum tristioris fortunæ recipit incursum.* Certè Apostolus Paulus, cùm acutè videret, quantum Christianæ libertati prosit, census reditúsque non quærere, aut in quoquam hominum spem vitæ figere, quamquam ipse potuisset victum ab ijs exigere temporalem, quibus vitam administrabat, & suggerebat æternam, abstinuit tamen, vt libertati consuleret valde necessariæ ad Christi fidem exerte prædicandam. *Omnia*, inquit, *mihi licent, sed non omnia expediunt; omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate*; Scio, Chrysostomum, & Theophylactum, & rursus, Theodoretum, & Oecumenium aliò atque aliò hæc Apostoli verba ad literam trahere. Non obsto, sed mihi interim arridet Ambrosij, seu veriùs Hilarij Romani, & D. Thomæ expositio, locum hunc referentium ad sumptus vitæ degendæ. Q. D. *Licet mihi euangelizanti à vobis accipere sumptum, & victum.* (Nam, vti Paulus eadem epistola scripsit; *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?*) *Sed ego eos non accipiam, ne vlli fiam obnoxius, & meam libertatem perdam, quæ à voluntaria paupertate potissimùm nascitur.* Clarum est igitur, Apostolos omnes, in primísque Paulum, aliosque Clericos Apostolicos, libertatem Euangelicam paupertate fouisse. Et verò, modò diuino

[a] Vid. epist. Vrbani I. ad omnes fideles
[b] De redd. Eccl.
[c] Con. Sarmie.
[d] Lib. 1. Ecclesiast.
[e] Epist. ad Episcopum Laodic.
[f] To. 1. epist. Rom. Pont. ep. 3. Symmachi.

cultui, animarúmque saluti diligenter Clerici vacent, ijs non ego, sed Christus ipse spondet, non defuturum vnquam, quod victui atque indumento sit satis: *Primùm*, inquit a, *quærite Regnum Dei, & hæc omnia adycientur vobis.* Hoc vsus est testimonio Caietanus noster, vir verè Sanctus, aduersus religiosos quosdam annuo censu opulentos, cùm se admoneri impensiùs ac pœne adigi cerneret, vt in nostrum etiam Ordinem perpetuos prouentus admitteret; quod fusiùs in eius vita narrauimus. Eodémque spiritu sapiebat integerrimus ille Pater noster Bernardinus Schotus, cuius Epistola tertiæ huius Operis Parti præfixa, multa habet memoratu dignissima de libertate, quam parit atque tuetur voluntaria & vera paupertás. Et propterea magnus certè splendor, & eximium decus in nostro hoc proposito ex oblatis, exemplo Apostolorum, degendæ vitæ situm est. Sanè quidem D. Thomas eiusmodi institutum multo præstantius & perfectius esset docet, quàm eorum qui prædia censúsque possident. *Quod verò* (inquit Opusc. 17.) *proponitur, quod D. Benedictus in vita sua amplas possessiones recepit, hoc sufficit ad ostendendum, quod communes possessiones non totaliter Monasticam perfectionem excludunt: non autem ex hoc haberi potest, quòd maioris perfectionis non sit possessionibus omnibus carere, præsertim cùm idem S. Benedictus in sua regula dicat, se aliquid remisisse de rigore monasticæ vitæ à prioribus institutæ, condescendendo infirmitatibus nostri temporis Monachorum. Et eadem ratio est de B. Gregorio, qui Monasteria construxit secundùm regulam à Diuo Benedicto institutam* Hæc magnus ille Thomas. Teneamus igitur altissimæ paupertatis gradum, quò nostri conditores ascenderunt, & vt secum nos posteri ascenderemus, pedémque figeremus, verbo atque exemplo monstrarunt; dicamúsque singuli, quod Apostolus Paulus dixit & scripsit b: *Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Nam Chrysostomus, eiúsque sectatores, Theophylactus, & Oecumenius, ex contextu, hunc locum exponunt de gloria, qua fruebatur Apostolus, quòd absque alieno censu stipéque viueret. Et meritò quidem tam constanter perstabat Apostolus in instituta paupertate, vtque nos etiam firmè persistemus edocuit. Hoc enim modo plurima sollicitudinum, hoc est, spinarum, seges, vnico ictu præcisa est, eique, ne in mentis horreum intraret, ab Apostolica ista paupertate fores præclusæ sunt. Longè itaque à litibus abesse cupimus, & ferre potiùs nobis intentatas scimus, quàm inferre. Quocirca de religiosa hac inopia dicere non veremur, quod Tertullianus de Christiano Pallio dixit c: *Nihil foro, nihil campo, nihil Curiæ debet, nihil officio aduigilat, nulla rostra præoccupat, nulla prætoria obseruat, cancellos non adorat, subsellia non contundit, iura non conturbat, caussas non elatrat, non iudicat, non militat, non regnat, secessit de populo, imò vnicum negotium illi est, nec aliud nunc curat, quàm ne curet.* O beatam igitur Paupertatem!

a Matth. 6.

b 1. Cor. 9. 15.

c Cap. 5. nu. 58.

ix. Ne procuret, aut permittat aliquis, vt pecuniarium quidquā secretò ab eis erogandū relinquatur.

Huius sancti Decreti ea est ratio, quam B. Cyprianus martyr exponit de

re simili ad Celerum Furnitanum scibens [a], *Singulos videlicet diuino sacerdotio honoratos, & in Clerico ministerio constitutos, non nisi altari, & sacrificijs deseruire, & precibus atque orationibus vacare debere.* Profectò ab alieni nummi procuratione abstinuisse sanctos Patres, Historia prodit Ecclesiastica. Nam cùm S. Hilarion, Antonij Magni discipulus, à quodam rogaretur, vt acciperet oblatam pecuniam in eleemosynas elargiendam, abnuit ille: *Stultè*, inquiens [b], *se, qui sua reliquisset, aliena procuraturum.* Sanctè igitur B. Hilarius monet [c], *non debere nos tanquam mercenarios alieni patrimonij procurationi subijcere.*

a Epist. 66.
b Apud Hier. in vit. Hilar.
c In Matth. c. 23.

Prohibemur item Deposita priuatim seruare; neque id caret veterum exemplo. *Commendatum aliquid etiam à germano fratre nullus accipiat*, B. Pachomius sanxit [d].

d Reg. nu. 61.

x. De Altari, & Euangelio viuere nos Clericos oportet, & de ijs quæ sponte à fidelibus offeruntur.

Redit huc sermo supra habitus de victu Clericorum Regularium ex sponte oblatis. Sanè adeò id exploratum est, vt primos etiam fideles hac ratione vixisse, vel impij Luciani testimonio probari queat. Is enim [e] in quodam suo Cynico dialogo ita scribit. *Proinde apud illos* (Christianos) *omnia ex æquo habentur contemptui, existimantúrque esse communia, quæ citra exploratam fidem in communem vsum à quoquam deferente suscipiunt. A deferente* (inquit) *suscipiunt*; non emendicatò cogunt. Quocirca B. Augustinus liberè protestatur [f]: *Ante oculos vestros sumus: nullum aliquid desideramus, nisi bona opera vestra: Si aliquid vultis Clericis dare, omnes offerte, quod vultis, offerte de voluntate vestra.* Et alio loco [g]: *Sunt aliqui*, ait, *mecum simul expectantes misericordiam Dei*; Diuitibus scilicet inspirantis, vt bonorum quippiam in Augustini sequaces Clericos erogarent. Is ipse explanans illud Psalmi nonagesimi noni; *Seruite Domino in iucunditate*: *Quidquid*, inquit, *eis infertur à fratribus, cum sufficientia & cum charitate vtuntur.* Et Epist. 99. *Viri sancti non auarè aliquid petunt; quicquid eis infertur à pijs fratribus, cum patientia & charitate vtuntur, nemo sibi vsurpat aliquid, quod alter non habeat: omnes se diligunt; omnes inuicem se sustinent.* Hoc idem B. Hieronymus docet, cùm Nepotianum Clericum instituit. Hoc & B. Ioannes Climacus; *Nudus*, inquit [h], *Monachus totius mundi est dominus: Deo enim curam sui credidit, & per fidem omnes possidet seruos. Non dicet homini necessitatem suam, sed quæ afferuntur, quasi de manu Domini suscipiet.* Hæc ille de Monachis: quid dixisset de Clericis? Neque verò timendum est, seruulos suos à Deo vnquam desertum iri. Excitabit ille fideles aliquot, qui vel non petentibus necessaria suggerent. Sicut notante D. Augustino in Epist. 2. ad Cor. c. 9. (apud Abb. Tripolit. vt habet Angelus in vita Augustini, lib. 4. c. 11.) *Non cessauit Apostolus, immo verò Dei Spiritus possidens & implens, & agens cor eius, exhortari fideles, qui haberent huius mundi substantiam, vt nihil deesset necessitatibus seruorum Dei, qui celsiorem sanctitatis gradum in Ecclesia Dei tenere voluerunt, & spei sæcularis vincula cuncta, hoc est,*

e Dial. de morte Peregr.
f Ser. 50 de diuers.
g De vita Cler.
h Gradu. 7.

eſt diuitias, cenſus, & prædia luculenta præciderunt. Immo Chryſoſtomus eò fidentiæ progreſſus eſt, vt neque vniuersè hortari voluerit Chriſtianos ad eleemoſynas, religioſis viris, quos *Sanctos*, hoc eſt, Deo dicatos vocat, ſua ſponte erogandas. Nam cùm aliquando ipſi de eleemoſyna ſermo eſſet, & ſuſpicio poſſet oriri ſe ea mente munificentiam deprædicare, vt ad *Sanctos*, hoc eſt, ad Religioſos potiſſimùm alendos auditores induceret, in hæc verba deuenit: (Hom. 1 in Epiſt. ad Philipp.) *Non id mihi nunc magnopere curæ eſt, vt alantur ſancti; nam niſi tu dederis, alius dabit: Et vos quidem ſi dederitis, ea dabitis, quæ paulo pòſt, velitis, nolitis, alijs reſignaturi & conceſſuri eſtis. At quæ accipitis, permagna ſunt, longè, inquam, maiora. An non hoc animo eſtis, accipere vos cùm datis? Ego verò, niſi hoc animo eſtis, ne detis quidem, velim: tantùm abeſt, vt pro illis ſermonem faciam.* Subijcit autem Chryſoſtomus egregia duo monita, alterum ad dantem, alterum ad accipientem pertinens. Dantem monet, vt adeò alacriter largiatur, vt accipienti gratias ipſe habeat, quòd acceperit. Accipientem verò monet, vt nolit accipere, niſi egeat. *Non*, inquit, *dare, ſed alacrem dare, ſed lætum, ſed gratias habentem accipienti, hoc eſt eleemoſynam facere.* Rurſus: *Si quis*, inquit, *ſanctus quidem fuerit, ſed non egeat, nihil illi date; non enim hoc lucrum eſt; non enim hoc Chriſtus præcepit, quinimmo ne ſanctus quidem ille fuerit, qui cùm abundet, accipit tamen.* Hactenus os illud aureum; & hoc quidem ſecundùm præceptum egregiè ſeruauit optimus ille ſenex noſter B. Andreas Auellinus, qui S. Carolo Mediolanenſi Archiepiſcopo ſummam pecuniæ non paruam remiſiſſe legitur, quòd ſe, ſuóſque ſodales eo tunc ſubſidio non egere cognoſceret. Quam Beati Senis virtutem ſanctiſſimus ille Præſul & animo admiratus eſt, & verbo celebrauit. Quid? Nonne id inſtitutum, prodigioſis experimentis æternum illud Numen ſæpiſſimè declarauit? Verè Iſaias ait: *Opus iuſtitiæ pax*, hoc eſt, bonæ vitæ, & cum virtute actæ, fructus, eſt abundantia: quippe, *Diuites eguerunt, & eſurierunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Quo magno Sanctiſſimi Regis vaticinio Notationem iſtam lætus concludo.

XI. Itaque neque per noſipſos, neque per alios petantur à ſæcularibus eleemoſynæ. Non eſt, cur hoc loco diſſeramus? An Chriſtus Dominus aliquando mendicauerit (de qua tamen re doctè & fusè diſputarunt multi [a].) Modò hoc ſit conſtitutum, priſcos pleroſque Clericos ab huiuſmodi coactitia ſtipe abſtinuiſſe, vt præter ea quæ ſuperiùs diximus, B. Cyprianus grauiſſimis verbis inſinuat: *Hæc nunc*, ait [b], *ratio, & forma in Clero tenetur, vt qui in Eccleſia Domini ordinatione Clerica promouentur, in nullo ab adminiſtratione diuina auocentur, nec moleſtijs & negotijs ſæcularibus alligentur, ſed in honore ſportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & ſacrificijs non recedant, ſed die ac nocte cæleſtibus rebus & ſpiritualibus ſeruiant.* Hæc ille. Inque eum locum Pamelius obſeruat, oblationes, quas Chriſtianæ Eccleſiæ miniſtris faciebant, olim per Epiſcopum diuidi ſolitas, ſportulíſque incluſas in Cle-

[a] Caiet. in Matth. 5. Med. 22 q. 40. art 3. Caſtro v. Mendicus. Boud de glo. Chriſti c 21. Quintanad. lib. 2. Eccleſiaſt. & alij.
[b] Epiſt. 66.

ricos distribui. Hac itaque ratione Africanæ Ecclesiæ Clerici victitabant. Sic etiam Chrysostomus (Hom. 9. in epist. ad Philipp.) tradit, suos Clericos, quamuis alioqui honestam paupertatem colerent, hoc est, vt ipse ibidem narrat, neque sericis induerentur vestibus, neque equo veherentur, neque sibi priuatas domos extruerent, ipsos tamen nequaquam circumire solitos esse, & pera pendente, per domos emendicare stipem. Reuera enim discursare per alienas domos stipem vicatim quærere, diémque ferè totum panis emendicatione transigere, laboriosa quidem res est, & in exercitium humilitatis de Ecclesiæ autoritate probè in aliquo Ordine instituta; crebris tamen incursionibus, periculisque exposita. Notat idem Chrysostomus, vt solet prudentissime [a], sacris viduis, quæ ea ætate pro templorum foribus stipem cogebant, eiusce modi rem haud satis cessisse prosperè: qui tametsi non rei, sed personæ vitium narrat, inde tamen elicitur non passim cuique sexui, ætati, generique hominum conuenire hostiatim circumire mendicando. Immo neque aliquid à quoquam petere suos voluisse Clericos, Augustinus refert, ad Hipponensem populum sermonem habens, his verbis: (in Psal. 146.) *Estote vos exactores vestri, ne aliquid illi qui in Euangelio seruiunt vobis, non dicam, petere cogantur; nam fortè nec coacti petent: sed ne silentio vos arguant.* Hæc B. Augustinus. Quocirca meritò deplorabat B. Hieronymus [b]; *Quòd mendicaret infelix Clericus in plateis, & ciuili operi mancipatus, publicam à quolibet deposceret alimoniam, quódque misericordia desolatus ad hanc ignominiam deuenisset.* Et Chrysostomus (Hom. 9 in ep. ad Philipp.) scribit non decere Clericos mendicare stipem: atque pudore debere suffundi sæculares, si Sacerdotes videant ad id necessitatis deuenisse, vt circumire opus sit, & eleemosynam poscere. Hocque perspiciens prudens Lector, quid quemque deceat, Franciscum, Dominicum, cæteros Sanctos, Religiosósque omnes, qui paupertatis & humilitatis ergo mendicasse feruntur, laudet: nos, vnà cum B. Augustino Clericorum Reformatore [c] *Dei misericordiam expectantes*, nostræque conscios imbecillitatis, circumitus collectitiæ stipis euitantes, rite, vt æquum est, probet.

a Lib 3. de Sacerdotio.

b Tract de septem Ord. in cap Diaconi dist. 93

c Ser. 1. de vit. Cler.

XII. Paupertas item priuatim eniteat in cellulis, vestibus, ac reliqua suppellectili singulorum.

Vestimentorum quidem vilitatem laudans S. Bernardus: *Meritò*, inquit, *omnis cura sanctorum, spreto ornatu, cultúque superfluo exterioris sui hominis, qui certè corrumpitur, omni se diligentia prabet & occupat excolendo ac decorando interiori illi, qui ad imaginem Dei est, & renouatur de die in diem. Certi sunt enim Deo non posse esse quidquam aceptius imagine sua, si proprio fuerit restituta decori, propterea & omnis gloria eorum, intus non foris est, hoc est, non in flore fœni, aut in ore vulgi, sed in Domino. Proinde exterior sanctorum habitus humilis vtique & abiectus est, & quadam neglectus incuria: cùm tamen identidem intus reuelata facie gloriam Dei speculantes in eandem imaginem transformentur de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Hæc de vestibus Diuus ille mellifluus. In reliqua verò supellectili illud nobis præci-

puè in alto hoc paupertatis gradu constitutis omnino seruandum est, vt nihil apud nos sit, quòd sæculi ornatum præ se ferat. *Nam paupertas* (vt ait Bonauentura) [a] *nihil habet pretiosum*. Eximij sanè in hac virtute fuère Patres nostri, ad vnum omnes, B. Caietanus in primis. Is quippe (vti Erasmus Danesius scriptum reliquit [b]) priuatim in sua cellula summam pauperiem coluit. *Culcitra stramentitia, paleis nimirum infarta, & sem.lacera. Puluillus item è paleis. Tabella vilis, & scabellulum. Pauci libelli, & sacra imago chartacea. His ille cubiculum instruebat diuitijs.* Hæc Danesius. Omnis igitur veri pauperis cultus nulla alia re magis quàm paupertate nitescat: Valde enim dedecet, nos, qui *habemus publicè egestatem, priuatim*, vt ille ait [c], *habere opulentiam*. Hoc verò loco monere Lectorem meum debeo, vt cùm pauperiem laudo, ne me item laudare sordes suspicetur. Animi enim illiberalis est in conuinctu sordescere, sodalibúsque nauseam creare *Sit itaque*, vt ille ait [d], *victus, vestitus, supellex munda, non splendida.* Nec verò sub falso munditiæ nomine, in ipsa etiam pulla & trita veste nimius affectetur cultus, vt nonnulli faciunt, per otium & vanitatem eleganti: meminerit quisquis eiusmodi est, Bernardinæ sententiæ: *Clericum ornatum non facit nitida vestis, sed munditia mentis.* Quocirca inter rusticam illuuiem, & affectatum nitorem, media, quam virtus tenet, incedendum est via. Sed de hac re infra redibit sermo.

a In expos. Reg.
b In vita Caiet. ad fin.
c Sall. in Catil.
d Auson. Paneg. ad Gratianum.

XIII. Nemo nostrûm armaria, vel arcas clauibus obseratas, &c.

Id quippe Io. Cassianus, hoc est, religiosæ vitæ magister, acriter damnat. *Ad hæc*, inquit [e], *nos miserabiles quid dicemus, qui in cœnobijs commorantes, ac sub Abbatis cura & sollicitudine constituti, peculiares circunferimus claues?*

e Lib. 4. Inst. c. 25.

XIV. Aut libros auro & sericis coopertos.

Sanctus enim Hieronymus nec femellis huiusmodi superfluos ornatus concedebat: *Diuinos codices*, inquit [f], *amet* (Fabiola,) *in quibus non auri & pellis Babylonicæ vermiculata pictura, sed ad fidem placeat emendata & erudita distinctio.* Porrò explorata res est, nullos, aut raros homines seriò litteris incumbentes, huiusmodi inanibus ornamentis delectari. Ista quippe eius sunt generis, de quibus pronunciare possis illud ipsum quod de lapidibus pretiosis scitè dicebat Strabo [g]: *Istis qui carent, nihil deteriùs viuunt ijs qui possident.* Lege de hac re Chrysostomum [h].

f Epist. ad Lætam.
g Lib. 1.
h Apud Florileg. Hom. de doct. & correptione.

XV. Visitentur quandoque à Præposito cubicucula singulorum, ne in ijs curiosa, superflua.

Id ipsum habet regula S. Isidori Hispalensis Episcopi: *Per singulos*, ait [i], *menses Abbas, siue Præpositus, lectulos cunctorum inspiciat, ne quid indigeant fratres, neque superfluum habeant.*

i Cap. 13.

His autem verbis habes non illud sólummodo, sed hoc item, cellulas

ſcilicet aſſignari debere ſingulis ſingulas. Nam etſi reperio priſcos habitaſſe quandoque in vna plures cellula, tutius tamen erit, & longè commodius, ſingulos ſeparatim degere. Id videre eſt apud Philonem [a], qui de Therapeutis hæc ſcribit: *Singuli autem habent ſacras aediculas vbi ſolitarij ſanctæ vitæ myſterijs dant operam.* Ne quis autem interpretetur ſacella potiùs fuiſſe, quàm cellas, prohibet idem Philo, ſcribens præter has ſingulorum cellulas extitiſſe apud eos commune σεμνεῖον, quo ſtatis diebus, horiſque, ad celebrandas Dei laudes liturgiáſque, conuenirent. Cæterùm & Iuſtinianum Imperatorem idem ſanxiſſe lego [b], vt *Monachis ſcilicet vna quidem ſit domus, vna cœnatio: diuerſa tamen cubicula* (cuique videlicet ſuum) *& ſua cuique exhedra.* Quam rem eruditiſſimus Cuiacius adnotauit, in eum locum ſcribens. Concilium item Turonenſe idem decreuit his verbis [c]: *Hic cellas eis* (religioſis viris) *liceat habere communes, vbi non bini maneant, ſed ſingulares iaceant.* Cuius inſtituti rationem reddit Petrus Bleſenſis, ad Alexandrum Monachum ſcribens [d]: *Ad exemplar*, inquit, *domus illius, de qua ſcriptum eſt: In domo Patris mei manſiones multæ ſunt, habet vnuquiſque cellulam, & manſiunculam ſuam, vt contemplationi & orationi liberiùs vacet.*

a De vita Contempl.

b Nou. 5. de Monach.

c Turo 2. c. 15.

d Epiſt. 86.

Recenſendæ etiam mihi videntur hoc capite eæ Cærimoniæ, quibus in ſolemni Votorum profeſſione ex noſtrorum Patrum præſcripto iam olim vtimur, & ſingillatim eruendæ è diuite vetuſtatis penu. Carafa noſter ſolennem profitendi formulam, eiuſmodi inſtructam ritibus, ad recentis à ſe fundati Clericorum Ordinis exaugendam dignitatem, primus inſtituit: & quis alter eo potuiſſet meliùs? Scit Orbis hic Chriſtianus, & fatentur ſinceri Hiſtorici [e], vix quicquam boni ab inſequentibus Romanis Epiſcopis patratum quod ipſe non occœperit, & veluti lineas duxerit futuræ imaginis exprimendæ. Aliàs, cum volente Deo, iſta exponam diligenter, oſtendámque, ſtrenuam tanti Pontificis virtutem, raro Dei beneficio, ad illa vſque tempora reſeruatam, vt ſeneſcentem, atque effœtum Orbem ſenex ipſe, velut Nohas alter, innouaret, & ſublimis firmique muri inſtar ſeſe fortiter opponeret pro domo Iſraël aduerſus impias hæreticorum phalanges, & arietantia capita ſceleſtorum. Sed ad rem. Sunt porrò quatuor præcipui in Votorum nuncupatione Ritus.

e Onuphr. in vit. Pauli IV. ad fin.

Primus eſt veteris veſtimenti expoliatio, & noui inductio. Antiquiſſimus eſt, & ab Apoſtolorum æuo repetitus. Audi Dionyſium, Apoſtolicorum rituum enarratorem: *Quæ*, inquit [f], (vota) *vbi is qui initiatur, continenter profeſſus eſt ſe eſſe facturum, ſacerdos ſigno Crucis eum conſignatum tondet, appellans tres perſonas diuinæ beatitudinis, omnique veſte detracta eum alia induit.* Subdit deinde ſapientiſſimus Theologus, quid ea res myſterij habeat: *Hæc verò* ait, *veſtis detractio, & alterius inductio, ſignificat à media ſancta vita ad perfectiorem, traductionem:* hoc eſt, à communi Chriſtianorum vita, ad Religioſam. Pergit Dionyſius, comparátque profeſſionem Baptiſmo: *Quemadmodum* inquit, *in ortu à Deo, ſiue Baptiſmo, veſtis viciſſitudinem, ac mutationem, à vita, quæ expiabatur, ad contemplationis ſapientiæque ſtatum; & habitum, migrationem ſignificare dicebamus.* Hæc ille.

f Par. 1. & 3. c. 6. Eccl. Hier.

Sed & nomen aliud (vti nos facimus) indebatur, antiquato priore. Vnde in vita S. Danielis Stylitæ legitur [a], Edrano cuidam, qui in eius Monasterio Monachi habitum acceperat, mutato vocabulo, impositum nomen Tito. Id ipsum alijs exemplis probare possem, sed breuitati consulens, omitto. Imponebatur verò nomen vel in ipso ingressu, mutatione que vestium, vel in ipsa professione.

a Apud Metaphr. c 38.

Communicat denique ea die sacra Eucharistia is qui Vota professus est. Quod & olim factitatum, idem testatur Dionysius [b]; *Participem*, inquiens, *eum facit diuinorum mysteriorum*. Quid verò id significet, his verbis mox exponit: *Sanctè indicans, illum, qui consecratus est, si verè ad Monachorum institutum, quod singulare est, peruenerit, non solùm spectatorem sacrorum fore; sed etiam venturum esse ad diuinæ societatis adeptionem.*

b Cap. 6. Eccl. Hier.

Præterea, peracta iam professione, ad amplexus excipitur, veluti iam in ordinem adscitus, & membrum corporis factus. Non recedo ab Areopagita: habet hic vnus omnia. Itaque postquam narrauit, *Præsulem, cum alys sanctis viris, qui adsunt, salutare eum qui nuper sacræ militiæ autoratus est*, is ipse eius rei mysterium exponit: *Quòd sacerdos, & omnes sancti, qui intersunt, eum, qui initiatus est, consalutant: intellige sanctam eorum, qui diuinitatem imitantur, societatem, amanter cum diuina lætitia inter se gratulantium.* Vide ex his, lector, quàm antiqui, quàm sancti sint nostræ Religionis ritus.

Ea autem die ne conuiuia, aut lautitiæ ciborum apparentur, benè statutum. Nam Synodus Cameracensis idipsum cauit: *Quandoquidem*, inquit [c], *rarò admodum terminantur fine bono, quæ malo inchoantur principio, vetat sancta synodus, vt in ipsis diebus Professionum & primitiarum fiat lautus sumptus, lautúsque apparatus, quantus plerisque locis fieri solet; sed sint frugalia omnia, & moderata.* Enimvero quàm turpe est purissima Castitatis & Paupertatis vota, crapula, & voraci ingluuie dehonestare? *Diuina & sancta* (inquit Dionysius [d]) non profana, & turpi *lætitia gratulari inter se* debent tantorum munerum participes.

c Tit. de Monast. c. 10.

d Loco iam dicto.

Libet autem ad finem huius tractatus, quem de Religiosis Votis habuimus, nonnulla de ipsius Votorum Nuncupationis, quam Professionem vocant, merito, laudéque è SS. Patribus expromere.

Primùm, gratissimum Deo holocaustum esse, cùm *quis omne quod habet*, (Paupertate;) *omne quod viuit*, (Castitate;) *omne quod sapit*, (Obedientia;) *Omnipotenti Deo vouerit*, disertè docet [e] S. Gregorius Magnus, his ipsis verbis: Et tanti quidem ea vota fecerunt Patres, vt teste D. Thoma [f], nouum Baptismum appellauerint. Quocirca insultantibus Diabolis aduersus B. Antonium, & quæ in sæculo patrarat errata obiectantibus, Angeli sancti responderunt [g], *non debere eos à natiuitate eius delicta narrare, quæ iam Christi essent bonitate sopita. Si qua autem scirent ex eo tempore quo esset factus Monachus, & Deo se consecrasset, licere proferri* Quibus verbis illud sanè Angeli significarunt, omnia peccata ea die qua Deo consecramur, obliterari. Quod & Symeoni, & Ioanni, sanctissimis adolescentibus professuris, à quodam ex fratribus clarissimè dictum est, vt Leontius Cyprius narrat: *Beati estis,*

e Hom. 20. in Ezech.

f 2. 2. q. 189. art. 3.

g Apud Athanas. in vit Antonij.

inquit, [a] *quoniam cras regenerabimini, & mundi efficiemini, sicut nati estis, ab omni peccato, perinde ac si ipso die essetis baptizati.* Visique sunt ijs diebus quibus induto monastico habitu Vota nuncuparunt, splendidissimis coronis, & magno lumine diuinitus circundati, vt idem autor refert. Adde his ea quæ B. Anselmo Cantuariensi cœlitus reuelata legimus; [b] *peccata nimirum, quæ ante suam professionem Osbertus Monachus fecerat, in ipsa professione deleta inuenisse, antiquum serpentem.* Meritò igitur Goffridus Abbas Vindocinensis [c] professionem monasticam, nunc *stolam*, nunc, *habitum secundæ regenerationis vocat.* Sanctus verò Thomas [d] doctissimè demonstrat, per religionem omnia peccata dimitti. Rationabiliter, inquit, dici potest, &c. Huius tanti priuilegij rationem idem S. Doctor alibi sapienter adducit, videlicet religiosum statum non solùm continere perfectionem charitatis, sed etiam perfectionem pœnitentiæ: nullamque satisfactionem comparari posse pœnitentiæ religiosorum, qui se totos Deo consecrant, & addicunt. Hæc ille sapientissimus Doctor, &c.. Sanctus verò Thomas idipsum doctissimè, more suo, concludit dicens: [e] *Rationabiliter dici potest, quod per ingressum Religionis aliquis consequatur remissionem peccatorum omnium. Si enim aliquibus eleemosynis factis homo potest statim satisfacere de peccatis suis, secundùm illud Dan 4 Peccata tua eleemosynis redime: multo magis satisfactioni pro omnibus peccatis sufficit, quòd aliquis se totaliter diuinis obsequijs mancipet per religionis ingressum, quæ excedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, vt habetur in Decretis.* Hæc ille sapientissimus Doctor, quæ iam antè graui & breui sententia B. Abbas Bernardus complexus fuerat; *Meruit*, inquiens, [f] *monasterialis disciplina hanc prærogatiuam, vt secundum baptisma nuncupetur.* Magna certè laus huius disciplinæ est, cui qui strenuè subijciuntur, omnibus moriuntur peccatis, & viuunt Deo. *Agnosce igitur*, ô Regularis Clerice, *dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.* [g]

De nostrorum Fratrum professione hactenus multa diximus, eàque minuta, & (nisi fallimur.) non omnibus passim obuia. Nunc locus iste exposcere videtur, vt & de exteris, qui ad Votorum operùmque nostrorum lucra participanda per Generalem Præpositum admittuntur, aliqua ex antiqua SS. Patrum doctrina exemploue disseramus. Primò igitur firma res est, posse à Prælatis Religionum applicari extraneis participationem suffragiorum, suorum subditorum, sed cùm ea, sicut & omnia fidelium in gratia diuina existentiũ opera, habeant vim tum satisfaciendi tum impetrandi, (omitto nunc de ijs loqui, vt meritoria sunt, quandoquidem operis meritum est operantis tantummodo,) & possint considerari vel præterita, vel præsentia, vel futura: ideo in hac re, distinctione opus est. Dico igitur ab huiusmodi Prælatis non posse applicari satisfactiones subditorum præteritas. Ea enim opera, quæ sunt facta à subditis, si ea ipsismet operarijs ad satisfaciendum pro se, necessaria non fuerunt, eo ipso accedunt ad communem Ecclesiæ thesaurum, qui per eos solos distribui potest, qui in ipsa vniuersali Ecclesia sunt verè Prælati, nempe Sũmus Pon-

a In vita S. Symeonis 3 cap. 8.

b Apud Edinerũ in vita, S. Anselmi.

c Lib. 4. Ep. 2. & 14.

d Opusc. de Spir. perf. c. 10 quodl. 3 art. 13 & 2. 2. q. 189. ar. 3. ad 3

e Loco supra dicto.

f Tract. de Præcepto & Dispens. ca. 22.

g Leo 1. ser. 1. de Nat.

tifex, Concilium Generale, & ex parte etiam Episcopi, vt egregiè docet S. Thomas [a]. Generales autem Patres Religionum excluduntur ab hac potestate, quia non præsunt suis Ordinibus veluti Rebuspub.; & politicis Ecclesiæ populis, sed veluti particularibus quibusdam familijs, vt ex eodem sancto Thoma probant Theologi recentiores [b]. Itaque cùm bonorum operum Ordinis, aliquem participem faciunt, de operibus quæ non sunt præterita, id intelligi debet, vt rectè & doctè explicat Sotus [c]. Qui etiam notat, posse ex graui caussa Superiores Religionum alijs applicare futura bona opera subditorum, non modò, quæ ipsis subditis supererunt, sed etiam quæ ipsis ad satisfaciendum pro se, necessaria erunt: tametsi quoad hoc postremum, oppositum tueatur Cordubensis, in suis Theologicis quæstionibus [d]. Probatur autem Soti sententia, ex eo, quòd omnia quæ sunt subditorum sunt per votum Obedientiæ subiecta Superiorum voluntati. Et quemadmodum non est contra charitatem, vt quis propria sua intentione accommodet alteri ex graui caussa, satisfactionem suam, qua fortassis ipsemet indiget: ita neque contra charitatem erit, vt ex voluntate Superiorum eiusmodi applicatio fiat. Vt plurimùm tamen eas solas satisfactiones quæ subditis supersunt, per Superiores Ordinum alijs applicari existimandum est. Hæc de applicatione operum, vt vim habent satisfaciendi. Si verò agamus de Orationibus, alijsque bonis operibus, vt vim habent impetrandi, dicendum est, omnia simpliciter posse applicari absque vllo subditorum detrimento, siquidem non minùs alicui prodest oratio propria, si pro pluribus fiat, quàm si pro se tantùm: nititur enim absolutè diuina misericordia, quæ infinita est. De satisfactione autem, secus, vt dixi, iudicari debet; vtpote cuius vis nititur perfectione operum, quatenus ex diuina gratia procedunt, quæ operum perfectio, sicuti est finita, ita eò minus ad satisfactionem valet, quò pluribus ad hunc finem applicatur. Atque id caussæ est, cur Prælati Religionum non debeant esse nimis liberales in concedendo huiusmodi participationes. Accedit etiam, *facilè contemni, quòd facilè obtinetur.* Id sanè seruarunt antiqui nostri Patres: nullíque legimus à Carafa id participationis munus indultum, nisi duabus nobilissimis, & de nostra religione optimè meritis Matronis, Mariæ de Ayerbo Ducissæ Thermularum, & Mariæ Laurentiæ Longæ, quæ Beatos, Caietanum, & Ioannem, Neapoli prima exceperat, fouerátque. Carthusianus autem ordo adeò parcè id priuilegium impertit, vt non nisi in capitulo Generali quosdam BB. MM. eo munere donet. Bene id factum & imitatione dignissimum. Eiusmodi autem beneficium, magnum æstimari debet ob insignes fructus, atque lucra quæ secum gerit, quæ latè prosequitur Vualdensis Carmelita, & Antonius Cordubensis. Ad quos amando lectores, vno interim documento, siue experimento contentus, quod narrat Dorlandus Carthusianus, Chronici lib 5. cap. 8. his verbis: *Vir quidam Ordini nostro largifluus, & deuotus, emeruit precibus, ac beneficijs, à Capitulo nostro Generali Ordinis Confraternitatem, quam nos participationem consueuimus appellare. Hanc impetratam scrinio inclusit, grandi eam auro pluris faciens. Hic cùm obijsset, & vxor eius per incuriam literas ipsas non faceret*

a 4. dist. 20. q. 4. & in Supp. q. 26. art. 1 & 3.
b Val q. 5. de Indulg. paragr. & quidem, & paragr. secundo quia.
c. 4. dist. 21. q. 1 art. 4.
d Lib. 5. q. 42 paragr. secundum dictum.

perfectari, nec eius obitum, vti literæ exigunt, intimari, nocturno silentio anima viri cistam ipsam ingrediens, maximo strepitu omnia quatiebat, & vxorem, domesticos omnes timore exagitabat horribili. Cùmque hæc tempestas duraret in dies, & semper sæuior redderetur, consuluit mulier sanctum aliquem, & doctum hominem, si ijs posset cladibus ponere finem. Intrat vir Dei mulieris domum: quærit vbinam ille strepitus maior audiatur. Circa hoc scrinium, ait vxor, timor & clamor omnis exurgit. Et ille: Vide, ait, ne hìc literæ forsan obligatoriæ lateant, quæ virum tuum supplicijs teneant irretitum. Ante obitum, ait mulier, debita omnia cautus persoluit: nec credo eum nunc inde torqueri. Apertum est scrinium, nec literas alias inueniunt, quàm Ordinis nostri gratiam sigillo munitam. Has cùm ille legisset, dixit ad mulierem, ex ijs patet, quòd vir tuus habet spirituale apud omnes Carthusianos beneficium; & idcirco his fragoribus exagitata es, quòd diem obitus eius, vti oportuit, non propalasti. Hac etenim gratia facilè eius anima poterit absolui. Vide igitur & adnitere ocyus, vt beneficium Ordini innotescat. & te ipsam à periculis, & virum à supplicijs redimas. Quod vt fecit, omnis illa tempestas mox conquieuit. Quàm sit autem antiqua ea consuetudo applicandi exteris, bona subditorum opera, fusè docet Vualdensis, aduersùs Vuiclefum hæreticum differens, qui vsque à Paulo Apostolo repetit originem huius ritus, contendítque, non obscurè significari per verba illa ad Philippenses scripta [a]: *Ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Iesu, & dilectionem in omnes Sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, mentionem vestri faciens in orationibus meis.* Mihi verò (ne hìc sim longior) aliorum Patrum, tametsi non adeò antiquorum, testimonio vti sufficit: nempe B. Iuonis Carnotensis [b], qui concessit Adeelidæ Comitissæ participationem suffragiorum Ordinis S. Io. Baptistæ; S. Anselmi Cantuariensis [c], qui eidem primariæ fœminæ participationem sui Canonicorum Ordinis concessit; atque Stephani Abbatis Cisterciensis [d], qui Regem Galliæ ad Cistertij sodalitatem hac item ratione adsciuit. Extat item vestigium eiusmodi applicationis in regula S. Brigittæ viduæ [e]. Eam verò, quæ fertur edita à S. Benedicto Abbate, habetúrque in diplomate quodam Gordiani, sciens, & prudens omitto, veluti suppositițiam, vti euincit Gallonius, siue Baronius in Apologetico aduersus Bellotum [f] non longè à medio. Quamquam, vt post mihi videre contigit, Hieronymus Lauretus Notis ad Chronicon Cassinense, id esse verum legitimúmque probabili coniectura defendit.

a Cap. X.

b Epist. ad Adeelid.

c Epist. 68.

d Apud Bern c. 68. Vid. Vuald. q. 95.

e Reu: extrauag. cap. 33.

f Pag. 92.

CAPVT

CAPVT II.

De Vestibus.

VESTITVS noster niger sit, & simplex: videlicet qui honestos deceat Clericos: sacris Canonibus non repugnet, & in quo munditia cum paupertate sit coniuncta. Vestis interior ne sit aperta, sed conclusa vndique: Clericorum talaris, Laicorum paulò infra suram pertineat, honesta tamen, & religiosis viris congruens. Biretis vtantur Clerici in crucem formatis, Laici rotundis, quicùm domo egrediuntur, pileo vti poterunt, Clericis tam domi quàm foris eiusdem qualitatis, pretii, & modi inter se erit vestitus: itidem inter se Laicis. Lectuli sint lati palmos non ampliùs quatuor, sine conopeo, aut vlla re consimili, sine ornatu, cum vna culcitra, vno, vel, ad summum, duobus puluinaribus. Ne quid vnquam reperiatur sericum in nostris lectis, aut indumentis, vel à nostra professione alienum, aut indecorum. Vestes omnes tam laneæ quàm lineæ in communi Vestiario reponantur, exceptis iis quæ cuique Superioris arbitratu vtendæ distribuuntur. Ne quis rem suam propriam nominare vel habere audeat. Capillum & barbam omnes tondeant; ne nutriant, neue radant.

Ad Cap. II. Notæ.

1 VEstitus noster niger sit, & simplex: videlicet qui honestos deceat Clericos, & in quo munditia cum paupertate coniuncta sit: Forma itaque, Color pullus, Mundities, Vilitas in nostris indumentis requiritur. Hæc singula ab antiquitate firmanda sunt.

Forma, siue genus.

Quod scilicet honestos Clericos deceat; nempe talaris tunica, siue, lacernæ vice, pallium. Clemens quidem VII. pallium nobis exertis manicis attribuit, eoque Patres nostri aliquandiu vsi. Atque ob id Franciscus Modius, [a] Episcopale pallium nos indutos descripsit. Verùm quia eo Romanæ aulæ Prælatos plerosque vti cernebant, modestiæ ergò, deinceps abstinuerunt, nosque abstinemus, sumpta eius loco lacerna, similiter talari. Quo

[a] Li. de hab. Relig.

vestis genere Nepotianum indutum Hieronymus refert, & *par tunicæ operimentum* appellat. Et Philone tradente Therapeutis istæ in vsu fuerunt tuniculæ (χιτωνίσκοι) & quidem discinctæ. Eiusmodi quoque lacernam superiorem, siue extimam, Augustinus vocat *fluentem, ac remissam, & cingulo non adstrictam tunicam.* Omnino pallium & tunica vetustissima sunt Ecclesiæ ministrorum indumenta. Christum ipsum, Apostolos & antiquos plerosque Clericos tunicatos & palliatos veteres picturæ & literæ referunt. Euthymius certè in illud Ioannis 13. *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: hoc est*, inquit, *pallium*, nam eo solemus exui, aliquid operis facturi. Eusebius [a] item & Sozomenus [b] testantur, apud Cæsaream Philippi, vsque ad suam ætatem stetisse æream statuam, quæ præferebat Christum Dominum tunica & pallio indutum; eáque posita credebatur, à muliere sanguinis profluuio ab Iesu liberata. De Apostolis verò abundè id probant illa Christi ad eos verba; [c] *Si petierit tunicam, da ei & pallium* &, [d] *Nolite possidere duas tunicas*: ergo inhibet binas, concedit singulas. Quin & ipsemet Petrus se palliatum tunicatúmque describit: *Indumentum autem*, inquit, *hoc est mihi tunica cum pallio.* Ita Clemens Romanus, hoc est, Petri discipulus, & peregrinationis comes, Petrum locutum refert [e]. Illud item Angeli ad Petrum in vincula coniectum; *Circunda tibi vestimentum tuum*: exponentibus Tertulliano [f], & Ephræmo [g], de pallio debet intelligi. Firmat, inquam, hanc expositionem Tertullianus, pallium describens, atque laudans, quod vnico circumiectu omnia hominis contegat. Et iconismi quidem veteres & recentes id ipsum de omnibus Apostolis repræsentant: tum maximè quòd Ioannis tunicam delatam in vrbem, S. Gregorius narrat [h], & ex eo Ioannes Diaconus [i], in vita eiusdem S. Pontificis: additque, hanc strictiores habuisse manicas, inde vt colligas laxas illas & fluentes manicas, Monachorum esse, nostras verò adstrictiores, ex vsu rituque Apostolico. Sed & numisma aureum Theodosij Imperatoris palliatos conuincit Apostolos. Nam in eo BB. Apostolorum Ioannis & Philippi icones tonsura caput insignitæ, &, vt Baronius quoque notat, palliatæ visuntur. Apostoli igitur tunicati, palliati: sed & alij veteres Ecclesiæ ministri. De Iessæis hæc Philo: [k] *Confidunt decenti habitu, manus continentes sub pallio:* ab eodémque tuniculas ijs attributas lego. Tertullianus item Carthaginensis Presbyter, tunica & pallio indutus depingitur, & ipsemet ad pallium ita loquitur, vt planè ostendat, ad Christianos omnes, vitæ arctioris formam amplexos, eiusmodi indumentum transiisse: *Gaude*, inquit *pallium, & exulta; melior te iam philosophia dignata est*, ex quo *Christianum vestire cœpisti.* Origenes verò apud Eusebium [l] narrat, Heraclam presbyterum, vulgari veste, & communi, qua ante Sacerdotium vsus fuisset, exuta, philosophi apparatum assumpsisse, hoc est, pallium cum tunica.

Quæ talaris. Id elicio ex Beda [m] scribente, S. Albanum martyrem induisse vestimentum Clerici, quem fugitiuum domi exceperat, nempe Caracallam. Hanc verò talarem extitisse tradit Aurelius Victor in Antonino. Sed & Græca Synodus, apud Martinum Bracarensem [n] præcipit, Clericos, ad instar Aaronici cultus, talarem gestare vestem, vt *sint in habitu de-*

[a] Li. 7 c. 14.
[b] Lib. 5.
[c] Matth. 5
[d] Matth. 10.
[e] Recogn. l. 10.
[f] Li. de Pallio.
[g] Doc. var. cap. 88
[h] Li. 2. Regist ep. 3.
[i] Lib 3. cap. 59.
[k] De vita Contempl.
[l] Lib. 5. c 15.
[m] Li. 1. c. 7
[n] Cap. 66.

coro [a]. Igitur Clericorum tunica (vt nostra constitutio habet) talaris sit; quippe quæ grauitatem conciliet, & honestatem præ se ferat. Nihilominus vltra talos eam demittere, adeo vt terram radant laciniæ, & imæ oræ conspurcentur, id sanè tam absurdum videtur Clementi Alexandrino, vt seriò exclamet; [b] *Trahere vestes ad summos vsque pedes demissas, valde est arrogans, & superfluum, quòd ambulandi actionem impedit, cum vestis, instar verriculi, quæ in soli sunt superficie sordes, secum attrahat.* Eos vero huiusmodi laciniosa veste vtentes vocat idem Clemens ἑλκεσιπέπλους, id est, *vestimenta*, non gerentes sed *reptantes*; iidémque, vt alia fini dixerunt Petrus [c] & Iudas Apostoli, appellari possent σπίλοι, hoc est, cœnum maculasque trahentes παρὰ τὸ σπᾶν ὕλην. Porrò vestium lacinias eo modo trahere (nisi mysterium & decorem, vt in Episcopis, habeat) theatricum est, & scenæ congruum. Hinc *pallam trahere*, Varroni dicuntur citharœdi, qui spatiosam vestem, longo syrmate, humum verrentem, gerere solebant. vt notat doctissimus Turnebus [d]. Seruetur itaque modus, quem Concilium Lateranense indixit, his verbis [e] *Clerici clausa deferant desuper indumenta, nimia breuitate vel longitudine non notanda.* Idque seruatum optimè in vita B. Gosuini, his verbis lego: *Habitus ordinatus, & mensuratus, vsque ad collum pedis pertingens, nec vltra defluens.* Nam quæ longiora sunt, & laciniam retrò trahunt, sacris Præsulibus congruunt, non Clericis Regularibus: quæ verò breuiora, laicis nostratibus, quibus nostræ leges tunicam præscribunt quæ paulò infra suram pertineat, *eo nempe* (vt Tertullianus loquitur) [f] *mensuræ temperamento, quod neque trans crura prodige, neque intra genua inuerecunde.*

a 1. Timot. cap. 2.
b Lib 2. Pedag. c. 10.
c 2. Pet. c 2
d Li. 30. aduers. cap 9.
e Sub Inno. III. c. 13.
f Li de Pallio.

Color

Multa sunt, quæ suadere videantur, priscos Ecclesiæ ministros non vsos pulla veste. Primum, Therapeutæ, hoc est ex primoribus Apostolorū discipulis, candidati à Philone describuntur non pullati: [g] *Vbi vero*, inquit, *conuenère, candidati, & læti, cum summa grauitate, &c.* Præterea lanæ natiuus color albus plerunque; ad Apostolos, primosq; eius seculi Clericos, vt pote pauperculos, natiuis lanis, & nullo colore infectis indutos fit verisimile. Denique à B. Hieronymo prohibetur Nepotianus Clericus, pulla veste incedere: *Vestes*, ait [h], *pullas æquè deuita, vt candidas.* Ex quo Hieronymi loco amplissimus quidā Historicus, Clericorū vestes violacei olim coloris extitisse colligit. Qua id ratione concludat, post videbimus. Interim hæc argumenta non obstant, quin fidenter asseuerē Clericorum vestes olim atras fuisse. Non desunt veterum loca, quæ id firment. Profectò nemo inficiari potest, olim perfectiori Christianorum vitæ deditos, & maximè Clericos pallio vsos; & exēpla autoritatésq; suppetunt passim apud scriptores harū rerum quas iam superiùs recensui. At palliū philosophicū & Christianum præsertim nigrum erat, vt è vetere historia patet. Scriptor vetustus vitę Ss. Galactionis, & Epistæmi, Martyrum, qui sub Decio passi sunt; *eorum*, inquit, [k] *Galaction, qui sunt nigro pallio induti, ipsos dixit esse similes Angelis, nimirum*

g De vita. Contempl.
h Epist. 2.
i Baro. ad annum 393.
k Apud Sur. to. 6. cap. 9.

vestis genere Nepotianum indutum Hieronymus refert, & *par tunicæ operimentum* appellat. Et Philone tradente Therapeutis istæ in vsu fuerunt tuniculæ (χιτωνίσκοι) & quidem discinctæ. Eiusmodi quoque lacernam superiorem, siue extimam, Augustinus vocat *fluentem, ac remissam, & cingulo non adstrictam tunicam.* Omnino pallium & tunica vetustissima sunt Ecclesiæ ministrorum indumenta. Christum ipsum, Apostolos & antiquos plerosque Clericos tunicatos & palliatos veteres picturæ & literæ referunt. Euthymius certè in illud Ioannis 13. *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: hoc est*, inquit, *pallium*, nam eo solemus exui, aliquid operis facturi. Eusebius [a] item & Sozomenus [b] testantur, apud Cæsaream Philippi, vsque ad suam ætatem stetisse æream statuam, quæ præferebat Christum Dominum tunica & pallio indutum; eáque posita credebatur, à muliere sanguinis profluuio ab Iesu liberata. De Apostolis verò abundè id probant illa Christi ad eos verba; [c] *Si petierit tunicam, da ei & pallium* &, [d] *Nolite possidere duas tunicas*: ergo inhibet binas, concedit singulas. Quin & ipsemet Petrus se palliatum tunicatúmque describit: *Indumentum autem*, inquit, *hoc est mihi tunica cum pallio.* Ita Clemens Romanus, hoc est, Petri discipulus, & peregrinationis comes, Petrum locutum refert [e]. Illud item Angeli ad Petrum in vincula coniectum; *Circunda tibi vestimentum tuum*: exponentibus Tertulliano [f], & Ephræmo [g], de pallio debet intelligi. Firmat, inquam, hanc expositionem Tertullianus, pallium describens, atque laudans, quod vnico circumiectu omnia hominis contegat. Et iconismi quidem veteres & recentes id ipsum de omnibus Apostolis repræsentant: tum maximè quòd Ioannis tunicam delatam in vrbem, S. Gregorius narrat [h], & ex eo Ioannes Diaconus [i], in vita eiusdem S. Pontificis: additque, hanc strictiores habuisse manicas, inde vt colligas laxas illas & fluentes manicas, Monachorum esse, nostras verò adstrictiores, ex vsu ritúque Apostolico. Sed & numisma aureum Theodosij Imperatoris palliatos conuincit Apostolos. Nam in eo BB. Apostolorum Ioannis & Philippi icones tonsura caput insignitæ, &, vt Baronius quoque notat, palliatæ visuntur. Apostoli igitur tunicati, palliati: sed & alij veteres Ecclesiæ ministri. De Iessæis hæc Philo: [k] *Considunt decenti habitu, manus continentes sub pallio*: ab eodémque tuniculas ijs attributas lego. Tertullianus item Carthaginensis Presbyter, tunica & pallio indutus depingitur, & ipsemet ad pallium ita loquitur, vt planè ostendat, ad Christianos omnes, vitæ arctioris formam amplexos, eiusmodi indumentum transiisse: *Gaude*, inquit *pallium, & exulta; melior te iam philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti.* Origenes verò apud Eusebium [l] narrat, Heraclam presbyterum, vulgari veste, & communi, qua ante Sacerdotium vsus fuisset, exuta, philosophi apparatum assumpsisse, hoc est, pallium cum tunica.

Quæ talaris. Id elicio ex Beda [m] scribente, S. Albanum martyrem induisse vestimentum Clerici, quem fugitiuum domi exceperat, nempe Caracallam. Hanc verò talarem extitisse tradit Aurelius Victor in Antonino. Sed & Græca Synodus, apud Martinum Bracarensem [n] præcipit, Clericos, ad instar Aaronici cultus, talarem gestare vestem, vt *sint in habitu de-*

a Li. 7 c. 14.
b Lib. 5.
c Matth. 5
d Matth. 10.
e Recogn. l. 10.
f Li. de Pallio.
g Doc. var. cap. 88
h Li. 2. Regist ep. 3.
i Lib 3. cap. 59.
k De vita Contempl.
l Lib. 5. c 15.
m Li. 1. c. 7
n Cap. 66.

euro[a]. Igitur Clericorum tunica (vt nostra constitutio habet) talaris sit; quippe quæ grauitatem conciliet, & honestatem præ se ferat. Nihilominus vltra talos eam demittere, adeo vt terram radant laciniæ, & imæ oræ conspurcentur, id sanè tam absurdum videtur Clementi Alexandrino, vt seriò exclamet; [b] *Trahere vestes ad summos vsque pedes demissas, valde est arrogans, & superfluum, quòd ambulandi actionem impedit, cum vestis, instar verriculi, quæ in solo sunt superficie sordes, secum attrahat.* Eos vero huiusmodi laciniosa veste vtentes vocat idem Clemens ἐλκεσιπέπλους, id est, *vestimenta*, non gerentes sed *reptantes*; iidémque, vt alia fini dixerunt Petrus [c] & Iudas Apostoli, appellari possent σπῖλοι, hoc est, cœnum maculasque trahentes παρὰ τῶν ὕλην. Porrò vestium lacinias eo modo trahere (nisi mysterium & decorem, vt in Episcopis, habeat) theatricum est, & scenæ congruum. Hinc *pallam trahere*, Varroni dicuntur citharœdi, qui spatiosam vestem, longo syrmate, humum verrentem, gerere solebant. vt notat doctissimus Turnebus [d]. Seruetur itaque modus, quem Concilium Lateranense indixit, his verbis [e] *Clerici clausa deferant desuper indumenta, nimia breuitate vel longitudine non notanda.* Idque seruatum optimè in vita B. Gosuini, his verbis lego: *Habitus ordinatus, & mensuratus, vsque ad collum pedis pertingens, nec vltra defluens.* Nam quæ longiora sunt, & laciniam retrò trahunt, sacris Præsulibus congruunt, non Clericis Regularibus: quæ verò breuiora, laicis nostratibus, quibus nostræ leges tunicam præscribunt quæ paulò infra suram pertineat, *eo nempe* (vt Tertullianus loquitur) [f] *mensuræ temperamento, quod neque trans crura prodige, neque intra genua inuerecunde.*

a 1. Timot. cap. 2.
b Lib. 2. Pedag. c. 10.
c 2. Pet. c. 2
d Li. 30. aduers. cap. 9.
e Sub Inno. III. c. 13.
f Li. de Pallio.

Color

Multa sunt, quæ suadere videantur, priscos Ecclesiæ ministros non vsos pulla veste. Primum, Therapeutæ, hoc est, ex primoribus Apostolorū discipulis, candidati à Philone describuntur non pullati: [g] *Vbi vero*, inquit, *conuenêre, candidati, & læti, cum summa grauitate, &c.* Præterea lanæ natiuus color albus plerunque; ad Apostolos, primosq; eius seculi Clericos, vt pote pauperculos, natiuis lanis, & nullo colore infectis indutos fit verisimile. Denique à B. Hieronymo prohibetur Nepotianus Clericus, pulla veste incedere: *Vestes*, ait [h], *pullas æque deuita, vt candidas.* Ex quo Hieronymi loco amplissimus quidā Historicus, Clericorū vestes violacei olim coloris extitisse colligit [i]. Qua id ratione concludat, post videbimus. Interim hæc argumenta non obstant, quin fidenter asseuerē Clericorum vestes olim atras fuisse. Non desunt veterum loca, quæ id firment. Profectò nemo inficiari potest, olim perfectiori Christianorum vitæ deditos, & maximè Clericos pallio vsos; & exēpla autoritatésq; suppetunt passim apud scriptores harū rerum quas iam superiùs recensui. At palliū philosophicū & Christianum præsertim nigrum erat, vt è vetere historia patet. Scriptor vetustus vitæ Ss. Galactionis, & Epistæmi, Martyrum, qui sub Decio passi sunt; *eorum*, inquit, [k] *Galaction, qui sunt nigro pallio induti, ipsos dixit esse similes Angelis. nimirum*

g De vita. Contempl.
h Epist. 2.
i Baro. ad annum. 393.
k Apud Sur. 10. 6. cap. 8.

quiſe à mundo ſeparant, & ab his quæ ſunt mundi, & ſeruant virginitatem, & elegerunt habere vitam Christo conſimilem. Seuerus Sulpitius; [a] *Sed vbi Martinum* (tunc Clericum) *in veſte hiſpida, nigro, & pendulo pallio circumtectum vident &c.* Sed & poſt obitum per ſoporem Giſulpho Cenomanenſi apparet, vt Turonenſis refert, *nigris veſtibus, cano capite.* Et ad Baſſulam ipſe Seuerus deſcribens Clericos Monachóſque qui funus B. Martini proſecuti fuerunt, vocat *agmina palliata,* hoc eſt, nigris palliis induta; nigris, inquam: nam albati ad nuptias, atrati ad exequias procedebant, vti ex Varrone [b], aliiſque liquidò patet. Tunica item nigri coloris, vſi veteris Eccleſiæ miniſtri. Vnus Hieronymus id ſatis probauerit. Scribens enim ad Heliodorum, de obitu Nepotiani, vtique Clerici; *quis,* inquit, *hoc crederet, vt Conſulum pronepos, & Furiani germinis decus, inter purpuras Senatorum, furua tunica palliatus incederet?* Idem ad Ruſticum: *Videas nonnullos accinctus renibus, pulla tunica, barba prolixa.* Videtur his verbis philoſophantium habitum depingere, atque adeo & Chriſtianorum, & Eccleſiaſticorum: nam philoſophorum habitum ad Chriſtianos, ac proinde ad ſe preſbyterum tranſiiſſe, gratulatur Tertullianus non vno in loco. Et vt de priſcis Clericis Regularibus dicam, ipſe Auguſtinus, Clericorum Regularium reſtitutor, geſtaſſe tunicam coloris nigri, & ob id à Secundino hæretico notatus legitur, & diſcipulus eius Fulgentius, nigello pallio circumamictus inceſſit. Ea autem quæ obſtare videbantur, diluuntur facilè. Primùm etiam nihil officit; eò quòd ibi Therapeutæ deſcribuntur diſcumbentes. Veſtis autem cœnatoria, alba, vti vel ex hoc B. Hieronymi (vt alios prætercam) dicto liquidò patet. *Fauent tibi* (Iouinianum increpat) [c], *craſſi, nitidi, dealbati:* hoc eſt conuiuiis & popinis dediti. Præterea ij Ægyptij erant, qui ferè albis induebantur, ritu genti peculiari, vt tradit Clemens Alexandrinus [d]. Secundæ ratiunculæ faciunt ſatis, ſi dicamus, natiuum hunc colorem non vnum eſſe, ſed quatuor, teſte Plinio [e], nigrum ſcilicet, album, fuluum, rutilum. Quid ergo prohibet nigris velleribus vſos vel Apoſtolos, vel Apoſtolici æui Clericos? Certè hic color eorum profeſſioni longè decentior: *nam nigra veſtis* (inquit Bernardus) *inſinuat humilitatem mentis.* Quocirca S. Athanaſius; *Indumentum tuum,* inquit, [f] *fuſcum ſit, non tinctum, ſed natiui coloris.* Quo loco obiter notabis fuſcam illam veſtem tribuiſſe preſbiteræ, ad quam ſcribit, vtique coniugi preſbytero concolorem. Iam locus B. Hieronymi damnantis pullam in Clerico veſtem perinde ac candidam, ampliſſimum Scriptorem fefellit, quippe qui non animaduerterit, pullam veſtem Hieronymo, aliiſque, idem ſæpe eſſe ac ſordidam. Voluit igitur neque nimis cultum, neque exquiſitè incultum Nepotianum incedere. Porrò ſordidum appellari pullum, vſitatiſſimum eſt. Calpurnius de popularibus; Ecloga 7.

> *Venimus ad ſedes, vbi pulla ſordida veſte*
> *Inter fœmineas ſpectabat turba cathedras.*

Plinior iunior: [g] *Nonne cùm ſurgis ad agendum, tum magis tibi difficilis? tum commutata non plurima ſed omnia cupis? vtique ſi latior ſcena, & corona diffuſior? nam illos quoque ſordidos pullatoſq. reueremur.* Et Quintilianus, [h] *Collidere*

a Dial. 2. c. 4

b Apud Noniũ in exeq.

c Lib. 2. ſub fin.

d Lib. 2. Pædog. c. 10

e Lib. 8 cap. 48.

f Li. de Meditat.

g Lib. 7.

h Lib. 10.

manus, terræ pedem incutere, femur, pectus, frontem cædere, mirè ad pullatum circulum facit. Ecce, vilem plebeculam, Plinius *sordidam*, Quintilianus *pullatam* nuncupat. Porrò hac puto de caussa Augustinus [a] atras funerum vestes vocat *sordes luctuosas.* Verùm quid est opus plura testimonia congerere? ipse se B. Hieronymus exponit. Perpende mecum eius verba: *Vestes*, inquit, *pullas æquè deuita, vt candidas.* Bene: at quid sequitur? *Ornatus, vt sordes, pari modo fugienda sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Ecce igitur, quas *pullas* dixerat, *sordes* post appellat. Et altera epistola eiusdem Nepotiani epitaphium celebrans, hanc ipsam vocem declarat: *Excepta*, inquit [b], *vili tunica, & operimento pari, quo tecto tantùm corpore frigus excluderet, nihil sibi amplius reseruauit. Cultus ipse, prouinciæ morem sequens, nec mundities, nec sordibus notabilis erat.* Quòd verò Scriptor amplissimus asserit, priscum Clericorum indumentum fuisse castanei vel violacei coloris, oppositum habeo è vetustis illius ætatis priscæ scriptoribus. Nam Clemens Alexandrinus [c], & Tertullianus [d], neque ipsis fœminis, aut effœminatis iuuenibus concedunt fucatos colores, & *tincturæ adulterio* (vt ipsi loquuntur) *insertos*: inter quos recensent *hyacinthinum*, hoc est, violaceum: & sanè quilibet recensebit; quippe qui nullum vellus natiuum habeat, sed ascititium. Addo ex Socrate Historico [e], Clericos olim, atque etiam Episcopos atratos incessisse, non cæruleos. Nam cùm Sisinnius, Nouatianus Episcopus, albas vestes, more, & astu suæ sectæ gestaret, atque huius rei à quodam è domo Arsacii Constantinopolitani Episcopi notaretur, respondit; *Tu priùs dic mihi, vbi sit scriptum, Episcopum debere nigra veste vti?* Vellicans scilicet hoc responso Arsacium, cæterósque Episcopos Catholicos nigris vestibus vtentes. Concludo, si de Apostolis loquamur aliisque Orientalis plagæ, eos vel pulla vti probatum est, vel ex his nonnullos alba veste indutos incessisse concesserim. Nam antiquæ Romæ Apostolorum imagines in Templorum absidibus pictæ albatos Apostolos repræsentare videntur. Idipsum persuadet apparitio Ioannis, & Philippi, Apostolorum, Theodosio Imperatori facta albo palliolo: quod & nouissimè Kisternus in Codice Arabico venerandæ Antiquitatis se legisse refert.

a Lib. 2 de Ser. Domini cap. 2.

b Epist. 3.

c Pæd. li. 2. cap 11.

d De hab. mul. cap 8

e Lib. 6 c 20

Mundities.

Ferè candorem mentis vestis mundities repræsentat. Ideo legimus, sanctos viros non affectasse sordidam vestem, sed mundam gestasse libentiùs. Pelagius is fuit qui vt sub veste Monachi teterrimam hæresim confoueret, illuuie & pædore sordidus incedebat. Hunc irridens B. Hieronymus, *Cauete*, inquit [f], *Clerici: cauete Monachi: viduæ & virgines periclitamini, in sordidas vos & pannosas vulgus aspexerit.* E contra idem B. Pater, licèt Eremum frequenter incoleret, tamen de seipso ait [g]: *Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem?* Et lego apud Godefridum Clareuallensem [h], S. Bernardo Abbati, *In vestibus paupertatem semper placuisse, sordem nunquam: nimirum animi fore indices aiebat, aut negl-*

f Li. 1 contra Pelag.

g Eod. lib.

h Vita Bernard.

gligentis, aut inaniter apud se gloriantis, aut gloriam fore affectantis humanam. Huc proinde facit id quod nostræ indicunt Regulæ; paupere quidem dignam, sed *quæ tamen honestos deceat Clericos*, tunicam nobis induendam. Alia etenim Clericum decet, idest, Sacrorum ministrum, alia Anachoretam. *Congruunt vestes*, ait Clemens [a]) *ætati, personæ, figuris, naturæ, studijs.* Ea igitur sit Clericorum vestis, *quæ* (vt Philo inquit [b]) *nos semper decoris honestatísque admoneat*: hoc est, pulla, talaris, munda, & circunquaque clausa: denique talis, vt qui eam gerit, *possit non aliud æstimari, quàm cernitur* [c]; nempè vt ex ipso indumento hominis ingenium, & virtutis professio significentur: neque soli, qui indumenta vident cæteri, sed ipsemet, qui ea gerit, *reuerentiam habitus sui* (vti Gregorius admonet [d]) *in actu, in locutione, in cogitatione sua semper circunspiciat; vt ea, quæ mundi sunt, perfectè deserat, & quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos moribus prætendat.* Porro in munditie procuranda non decet adeò esse anxios, vt tempus expoliendis vestibus nimium conteratur. Seruetur Senecæ monitum: *Non splendeat toga, nec sordeat quidem*: alioqui scimus, Liuio teste [e], apud ipsos etiam Ethnicos *Minutiam Vestalem, stupri suspicionem dedisse, propter mundiorem iusto cultum.* Simus itaque, vt, Campaniæ nostræ gloria, Paulinus docet [f], *ornatu pudico inornati, & decenter inculti, & honorabiliter despicabiles*; iungendo scilicet cum munditia paupertatem: quod certè facilè assequemur, si in eo indumentorum schemate persistamus, quod nobis Patrum nostrorum frugalitas reliquit; omne genus exoticorum amictuum, qui nouitatem aut vanitatem præferant, detestantes. Vetuit [g] Augustinus *Clerico habitum notabilem*, idest, præter communem formam cæterorum. Vetuit Pachomius [h], Angelo ipso dictante, *in vestimento & habitu aliquid noui præter cæteros caussa decoris inuenire.* Et rationem harum Sanctionum videtur Cassianus [i] afferre: *Quidquid enim inter famulos Dei præsumitur ab vno, vel paucis, nec catholicè per omne corpus fraternitatis tenetur, aut superfluum, aut elatum est, & per hoc noxium est iudicandum.*

a Lib. 3. Pæd. c. 11.
b De fortitud.
c Amb. in ep. 1. Tim. c. 2.
d Hom. 17. in Euang.
e Lib. 8.
f Epist. 7.
g In Reg. ad Cler.
h Reg. nu. 55.
i Inst. l. 1 c. 3

Vilitas.

Noxia autem, & superflua, sancta paupertas incidat, *ea* (inquam) *beata virtus, quæ gaudet vestium vilitate* [k]. Et verò Religiosum virum, & paupertatem humilitatémque pollicitum, quæ demum vestis decet; nisi ea, quæ non pretium, & elegantiam, sed vilitatem & simplicitatem præferat? *Homo*, inquit Clemens Alexandrinus [l], *non alia de caussa opus habet vestimentis, quàm vt tegatur corpus ad maxima frigora, & vehementes æstus propulsandos, ne nos lædat ambientis aeris immoderatio.* Quòd si id cuique hominum dictum est, quanto magis Regulari Clerico Apostolicæ paupertatis imitatori? *In vestitu* (inquit Sapiens [m]) *ne glorieris vnquam.* Cuius dicti rationem videtur reddere is quem sæpe citamus, Clemens: *Oportet*, inquit [n], *vt mihi videtur, id quod tegitur, ex tegumento ostendere se esse eo melius, vt templo imaginem, & corpore animam, & veste corpus.* Iam si

k Tho. Cap. de discipl. claustr.
l Lib. 2. Pæd. c. 10.
m Eccl. 11.
n Loc. iam dicto.

tam anxiè quærat aliquis ad induendum, *non quod vtilius, sed quod subtilius inuenitur; non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat* a: *non denique (iuxta Regulam) quod pauperes deceat, sed quod venustius, imò vanius ostentetur*, is certè leuis animi meritò æstimabitur. Bene igitur habet nostra Constitutio: *Vestitus noster simplex sit.* Simplicitas enim definitur ab eodem Clemente b *habitus, qui tollit superflua.* Huc verò etiam pertinet, ne quid sericum in vestibus habeamus. Facessat hinc Anastasius Hierosolymitanus, splendidis & sericis indumentis (Cyrillo teste c) vestitus. Chrysostomus nobis potiùs audiendus, qui sericam in Clerico vestem, vt & alia pompatica, & superflua, his verbis damnat d: *Dic, quæso, sericisne sacerdos vestitur; Si id facit, ego reprehendam, & non parcam, imò ipsum sacerdotio quoque indignum dico. Quomodo enim admonebit alios, ne superfluis vacent, cùm se ipsum ipse admonere nequeat?* Hieronymus item imitandus, presbyter ille sanctus, & verè regularis, qui de se ipso ita loquitur e: *Numquid me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio?* Vtroque longè vetustior Clemens Stromateus, adeò serici vestimenti mollitiem odiuit, vt ne fœminis quidem voluerit concedere f: *Iubet namque valere Indicos seres, & operosos bombyces, eò quod superflua hæc & splendida mentem minimè constantem arguant.* Ab eodem sensu est sanctio illa Aquisgranensis Concilij, quâ nedum Religiosis viris, sed presbyteris etiam atque Episcopis serica vestis inhibetur. g

Mutationem verò vestimentorum per hyemem æstatémque huic sanctæ paupertati minimè aduersari, meritò existimarunt nostri Ordinis Moderatores. Iam enim dixi, ex sententia Clementis Alexandrini vestem non solùm, ad tegendum vtcunque corpus, sed ad maxima etiam frigora æstúsque propulsandos, esse comparandam. Accedit quòd huiusmodi vestium vicissitudo olim viris Religiosis & paupertatis obseruantissimis, in vsu fuit. Philo de Therapeutis h, *In veste autem*, inquit, *eadem apparet simplicitas ad arcendos calores & frigora: pro pelliceis crassa tunica in hyeme: æstate verò exomis aut interula linea*: ritu scilicet Ægyptiorum, quibus lineus amictus est frequentissimus. Basilius autem Magnus i, vniuersè definit *vestimentorū huius vnum scopum esse debere, vt integumentum tum ad æstatem tum ad hyemem accommodatum carni præbeant.* Basilij sectator Benedictus Abb. cuius regula, B. Gregorio teste est *sermone luculenta, discretione præcipua*, id clariùs sanxit: k *Vestimenta*, ait, *fratribus secundum locorum qualitatem, vbi habitant, vel aërum temperiem, dentur, quia in frigidis regionibus ampliùs indigetur, in calidis verò minùs. Hoc in mediocribus locis sufficere credimus Monachis per singulos cucullam, & tunicam: cucullam in hyeme villosam: in æstate puram, aut venustam.* Trecentis circiter post Benedictum annis, Synodus Clericorum Regularium Aquisgranensis, Ludouico Pio imperante, celebrata est l, eandemque Religiosis viris vestimentorum mutationem concessit, quam Benedictus antè concesserat. Denique adeò ea priscis vsitata, vt mirum visum fuerit Constantio presbytero scriptori vitæ S. Germani Episcopi Antisiodorensis, m *Sancto Præsuli neque hyeme accessisse adiectionem, neque æstate leuamen admissum esse.* Atque hoc ipsum

a Bern. in Apolog. ad Guillel.

b Lib. 3 Pædag. c. 11.

c In vita S. Euthimii.

d Hom. 9. ad Philip.

e Epist. 99. ad Asellam.

f Lib. 2. Pædag. c. 10.

g Apud Cuik.

h De vita Contempl.

i Reg. fus. art. 2. & apud Damas. lib. 2 paral. c. 65.

k Reg. Monach.

l Apud Cuik.

m Cap. 9.

veluti insolitum admiratur Damascenus in Barlaamo. Quocirca ex laudabili horum sanctorum in seipsos austeritate, illud mihi concludere posse videor; etsi qui requirant carpi non posse, qui tamen contemnant, non parum laudari debere. Nostræque sententiæ illud S. Augustini apertè consonat: *Si fieri*, inquit [a], *potest, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur.*

a In Reg. Cler.

Pileus.

Restant nunc breuiora indumenta, ex antiquitate discutienda, pileus scilicet, & cingulus. *Pileo*, vt nostra habet Constitutio, *vtuntur Clerici, in Crucem formato; Laici rotundo, domi; & foris, petaso.* Generatim autem omnes capitis vetustos amictus huc adducere, non est nostri argumenti opus. Si quis harum rerum sit curiosus, videat Bayfium [b], Panciro-lam [c], Pierium [d], Lipsium [e]. Ego verò dicam solummodo, quo opericuli genere vsi sint Ecclesiastici viri, Clerici scilicet, & Monachi. Et hi quidem variè caput amiciebant. Alij cucullo, quem acuminatum describit Nicephorus, loquens de Tabennesiotis [f]: *Capitis*, inquit, *tegmen acuminatum, vt simplices sint, & iniurias non vindicent, puréque & innocenter viuant.* Quod item, vt pueris est, lineum extitisse, idem autor significat, cùm subdit: *Lactantium puerorum instar, quorum capita eiusmodi lineis mitellis operiri solent.* Idem habet B. Hieronymus Heliodoro scribens [g]: *Caput opertum linteo, galeam recusat.* Et verò vetustæ Monachorum Orientalium icones, quæ hodieque Constantinopoli in Monasterio Sulà depictæ videntur, linea habent capitum amicula [h]. Acceperunt ea, nisi fallimur, Monachi veteres, ab Apostolis Ioanne & Iacobo, qui cùm laminam auream, sacerdotis insigne, legamus capite gestasse, verisimile est eiusmodi laminam cidari infixisse. Cidaris autem erat capitium sacerdotum lineum, & inuolucrum quoddam candidum [i]. Cidari verò adnectebatur lamina aurea, proprium sacerdotis gestamen. Lege Benedictum Ariam in Apparatu. Itaque Monachi veteres, ablata lamina, quæ dignitatem præ se ferebat, reliquo lineo capitis amictu, Apostolos imitantes, vti voluerunt. Firmat id quod diximus de Apostolorum cidari linea, expositio quædam insignis de Apostoli Pauli semicinctiis, narrata à Beda presbytero [k], in hæc verba: *Multi nostrûm quid semicinctia significent, ignorant. Verùm Gregorius, qui nunc est Apostolicæ sedis Antistes* (Gregorius scilicet, eius nominis secundus) *cùm esset adhuc Archidiaconus, sciscitanti amico, de Britannia, & hoc inter alia rescripsit, genus esse sudarii, quo Hebræi vtuntur in capite.* Hæc ille. Atque adeò hinc patet probabiliter nos posse asserere, antiquos Monachos ab Apostolis sumpsisse linea capitis velamina. Clericis autem priscis ijs maximè qui de Monachismo ad Clerum assumerentur, frequens erat vsus cucullorum; vti ex historicorum, & veterum iconum autoritate superiùs diximus. Recentioribus verò adeò cuculli odiosi, vt etiam Pontificia sanctione legantur eis ad pœnam inflicti. Nam

b De re vestiar.
c Cap. de fibula.
d Hierogly. lib. 40.
e In Saturnalibus.
f Lib 9. c. 24.
g Epist. 1.
h Vid. Gelasi. Voss. in Iconem Ephræmi.
i Arias in Appar. Vid. Ezech. 44.
k Retract. in Act. c. 19.

Nam Vrbanus II. Canonicum, id est, ex instituto S. Augustini Regularem Clericum, è suo Ordine ad monasticum absque superiorum permissu transeuntem, damnat ad deferendum cucullum [a]. Ceterùm tam Clericos quàm Monachos pileo caput operuisse reperio. Erat autem multiplex, vel hærens, adstrictúsque cuti capitis, &, vti lepidè Tertullianus loquitur [b], *quasi vagina capitis, & operculum verticis*: qualem scilicet videtur gessisse B. Hieronymus presbyter, qui de pileolo sibi à Paulino donato hæc inquit [c]. *Pileolum textura breuem, charitate latissimum, senili capiti confouendo libenter accepi, & munere & muneris autore lætatus.* Et benè inquit *texturâ breuem*: pileoli enim textiles breuiores fere sunt cæteris, & cuti inhærent propiùs. Pilei aliud genus à capite assurgit altiusculè. Huius duæ veluti species. Alij nullam recipiunt complicationem, suntque assimiles illis quibus Hispani lugubres & pullati caput operiunt. Hac forma pileum gestat presbyter prisci æui ad dexteram B. Syluestri Papæ depictus in vetustissima quadam imagine Christi Domini, SS. Apostolorum Petri & Pauli, & aliorum quorundam veterum, quæ Romæ visitur. Ad eandem ferè speciem pilei, vt ita dicam, incomplicabilis, reduci potest ille quem Tertullianus Carthaginensis presbyter ad frontem suorum operũ ad viuum expressum gerit, nisi quòd tres illi globuli, quos in vertice habet, eum ab his de quibus modò loquimur, non parum discriminant. Ijdemque fortasse significabant tres personas sanctissimæ Trinitatis, honoris, & memoriæ ergò, vertice gestatæ à sacerdotibus, sanctissimæ videlicet Trinitatis administris: quemadmodum nos posteri vice trium illarum pillularum, ob Christi memoriam patibulo affixi crucem in pileolis expressam gerimus. Quocirca eam deosculari quisque nostrûm mane debet cùm primùm caput operimus; & vespere cùm nudamus. Certè sanctissimus ille Carolus Borromæus, non nisi cum bireto eiusmodi cruciato, & (quia Cardinalis erat) purpureo, in ipsa etiam ægritudine, extremúmque spiritum trahens, cubare voluit, tantíque crucis memoriam faciebat, vt id νικητὸν σημεῖον, quod Reges Cæsaréſque, vt Augustinus adnotat, fronte gestarunt, vertice & ipse assiduè ferre lætaretur. Porrò id genus quadrati pilei tanti olim fecere Persæ, Lydique dynastæ, vt inde diadema sibi conficere consueuerint. Refert id Dionysius Halicarnasseus [d], & ex eo Vidus Pancirola thes. var. lect. [e]. Sed cùm addit: eo etiam vsum Cyprianum martyrem, atque cùm capite esset truncandus, cidarim eiusmodi dedisse Diacono, memoria sanè lapsus est. Nihil enim de ea re habet aut Pontius, aut Baronius, quem citat; sed tunicam dalmaticámque, non autem cidarim dedisse Diacono legitur. Quamquam enim verisimile est id genus bireti olim etiam Episcopos, & in ijs Cyprianum martyrem gestare fortasse solitos, id tamen ex Cypriani actibus non colligitur. Vtcunque sit, hoc certè habes, pileo tectos æui prisci presbyteros, eóque ad cutem presso, & incomplicabili. Tecti item veteres, complicabili pileo, qui plerunque non textilis. Isque in quaternionem complicatus crucis quandam signat formam. Ex eo arbitror ortum habuisse Clericalem pileum, quo nunc vtimur cruciato, & à capite in angulos quatuor altiùs assurgente.

[a] Cap. Dìnamus. 19, q. 3.

[b] De cultu fœmin. vide & Luciani Dipladem.

[c] Epist. 153.

[d] Lib. 3. Antiq. Rom.

[e] Lib. 1. c. 81

S.

Cœpit enim hic pileus, à pressa illa & cuti prorsus inhærente forma, paulatim assurgere; primum altiusculè, apud Canonicos Regulares; mox apud Seculares Regularésque Clericos, magis ac magis altè, schemate videlicet crucem expressiùs præferente. Itaque non ex mitra Episcopali compressa, vt Agellius noster Præsul ille eruditissimus, existimabat, sed potiùs ex pileolo complicabili, Clericale hoc capitis integumentum (vt arbitror) duxit originem, Vide de hac re Pierium Valerianum in Hieroglyphicis [a], nostræ huic sententiæ nonnihil suffragantem.

a Lib. 40. de Pileo ad fin.

Cingulus.

Tunicam comitatur cingulus, quo distringitur, vt corpori inhærescat. Eius vsus antiquissimus est. Neque enim ambigo, veteris testamenti Patres, Heliam [b], Elisæum, Prophetasque cæteros, & horum postremũ, sed præcipuum Ioannem [c], cingulos gessisse. Eos enim renibus accinctos sacræ litteræ ostendunt. Habeo item in nouo testamento, Christum [d], eiúsque discipulos, Petrum [e] & Paulum [f], zona præcinctos: imò vniuersè dico Orientales tunicatos, cingulo vsos. *Tunica enim* (vt Tertullianus inquit [g]) *debet cingulo corripi.* Quocirca miror, qua ratione pictores plerique recentiores Christum Dominum, eiúsque Apostolos depingant fluentibus tunicis, nec cingulo adstrictis. Sed, vt ille [h] ait;

b 3. Reg. c. 1. c Matth. 3 d Ioann. 13. e Act. 12. f Act. 21. g De Pallio c. 4. h Horat in Arte Poët.

Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audenti semper fuit æqua potestas.

Cùm autem cinguli materies varia sit, fueritque; videamus, an cingulus noster laneus priscam habuerit originem. Et Heliæ quidem pelliceus, siue (vt exponit Clemens Stromateus [i]) è pilis contextus placuit: quem secuti sunt Elisæus, Io. Baptista, Basilius, atque Dorotheus [k], horúmque sectatores. Et de Elisæo quidem, ac Ioanne, patet ex locis superiùs citatis: de Basilio verò & Dorotheo, Basiliano Monacho, habeo descriptum eorum habitum, his verbis: *Vestitus noster is est; colobium, zona pellicea, anabalus, & cucullus.* Alijs autem quibusdam Monachis, zona linea Oresiesis [l]. *Sufficit*, inquit, *nobis habere zonam lineam.* Et Climacus: *Accinge*, inquit, *sicut vir lumbos tuos obedientiæ linteo* [m]. Immò ipse etiam Apostolus Paulus (puto & alij quoque Apostoli) semicinctijs vtique lineis lumbos arctabat, vt ex Actis [n] constat, atque vt ad antiquiora assurgam exempla, Ieremiæ Prophetæ *lumbare* [o] linteum erat, Dei ipsius iussu ab ipso emptum, & per dies aliquot gestatum. Quod & Pachomianis in vsu erat, vt B. Hieronymus his verbis narrat: [p] *Baltheolum vnusquisque habebat lineum.* Nonnullos autem fune præcinctos lego, eos nempe monachos, Paulinus Nolanus describit [q], non baltheo, sed reste succinctos. Quæ materies omnium vilissima, & infimis mancipijs propria, iuxta illud Iobi [r]: *Baltheum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum.* Ideò sanctissimus Pater Franciscus, mundi contemptor, & paupertatis amator eximius, funiceum sibi suisque sodalibus delegit cingulum. Porrò funis igna-

i Lib. 2. Ped. c. 10. k Ser. 1. S. Doroth. l Inst. Mon. m Grad. 4 n Act. 19. 12. o Iere. 13. 1. p Præfat. ad Regul. Pachomii. q Epist. 7. r Cap. 12.

uis militibus in pœnam ignominiosam pro cingulo datus legitur, apud Macedonas [a] Aristotele teste nempe vt qui nullum in bello hostem interfecisset, pro cingulo militari, capistro cinctus foret. Sed palmeum non nemini veterum vsitatum lego. Cuinam? Heliodoro Abbati [b], Sic enim de eo Theodoretus narrat, quòd *cùm aliquando funem contextum ex palmis* (est autem is asperrimus) *sumpsisset, & manibus astrinxisset, eo lumbos succinxit, non apponens extrinsecus, sed ipsi pelli applicans: & tam arctè compressit, vt tota illa pars cui fuerat impositus, circumcirca exulceraretur.* Hæc ille. Sed id ab Heliodoro præter vsum humanum, domando corpori, factum est. Laneus vero noster, vnde; à Christo ipso est. Id certò asserit Ioannes Iprensis [c]; & vniuersè significat Chrysostomus [d], siue quis alius Operis imperfecti autor. Ea profectò cingulorum materies apud Palestinos fuit, à quorum communi more cultúque Christus non recessit [e]. Proinde Marcellæ, quæ Palæstinam incoluit, B. Hieronymus è lana cingulum commendat. *Sit*, inquit [f], *cingulum laneum, & tota simplicitate purissimum, quod possit magis adstringere vestimentum, quàm scindere.*

a Lib. 7. de Republ.
b Philoth: c. 36.
c De vita Christi c. 21.
d In Matt. 3.
e Iprensis ibid. aliq.
f Epist. 23.

E cingulo autem pendeat clauis. Ita B. Gregorium Turonensem imitabitur: *Oblitus* (loquitur de se ipso [g]) *clauem capsæ porrigere, quæ cingulo dependebat.* Quocirca non laudo nostrûm aliquot, non è cingulo pendentem, sed in sacculum, aut alibi inclusam habentes clauem. Esset & de priscorum Clericorum calceamentis hoc loco aliquid notandum: sed cùm eos calceatos incessisse, aut saltem sandalijs vsos clarius sit, quàm vt à me post Iansenium, & Suaresium, eruditissimos viros, ostendi debeat; & alioqui ex Tertulliano, Carthaginis, & Clemente, Alexandriæ presbyteris, id liquidò probari queat, visum est ad lectum properanti, id absque lectoris noxa prætermittere.

g De glo. matt. lib. 1.

II. Lectuli sint lati palmos non ampliùs quatuor.

A vestibus ad lectulos transeo, & vicino quidem flexu: quid enim aliud est lectus quàm nocturnum indumentum; igitur in hoc quoque frugalitas religiosa seruanda est. *Nobis*, (inquit Clemens Alexandrinus [h],) *hoc est Christi gymnasio institutis vt rationi conuenit, simplici cubili & frugali vtendum est, quod habeat id quod nos iuuet, commoderatum, & conueniens: si æstas sit, quod contegat: si sit frigus, quod foueat. Sit autem lectus non affabrè & curiosè factus, pedésque habeat planos, ac lenes. Nimis enim curiosæ & exquisitæ tornaturæ sunt sæpe reptilium semitæ animantium. In primis autem cubilis mollitiem commoderatè & conuenienter virilem esse oportet, & masculam: non est enim opus somnum esse omnimodam corporis solutionem, sed tantùm remissionem: & ideo eum dico esse assumendum non ad otium, & socordiam, sed ad negotiorum & actionum quietem. Ita ergo dormitandum est, vt facilè excitemur. Sint enim*, inquit [i], *vestri lumbi præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, donec reuertatur à nuptijs. Beati serui illi, quos, cùm venerit Dominus, inueniet vigilantes.* Hæc ille grauissimus morum censor. Porrò formam honestissimi ac verè virilis strati perfectè seruauit pijssimus Pater noster, Ioannes Marinonius,

h Lib. 2. Ped. lib. 1.
i Luc. 12.

quem vel ſuper nudos aſſeres, vel ſuper herbaceam culcitram decubuiſſe, ſatis exploratum certúmque eſt. Imitabatur ſanctus ſenex magiſtrum ſuum Caietanum Thienæum, virum Apoſtolici ſpiritus; cui poſtrema ægritudine decumbenti, cùm ſubmittere medicus decreuiſſet laneam culcitrellam, qua ſenio, laboribus, ægritudine, feſſa membra quieſcerent, ad eius ille rei nuncium ſanctè ſubiraſcens; Mihine, inquit, molliorem culcitram? In cinere & cilicio mori debeo, & volo. Atque hæc verba identidem proclamans, in ſuo duro & ſtramentitio lectulo, omni reiecta mollicie, conſtanter hîc obijt, & æternæ illic vitæ initium fecit.

III, Vno vel ad ſummum duobus puluinaribus.

Neque verò plures S. Iſidorus [a] ſuis permiſit Monachis: *Geminuſque*, inquit, *ſit ad caput puluillus*: vt ſcilicet eleuatiore capite quieſcentes, promptiores eſſent ad expergiſcendum. Vnde & reclines cellulæ ad hunc ipſum vſum finémque, apud Pachomium [b] memorantur. Si ijs igitur, qui induti diurnis veſtibus, & ſedentibus magis quàm iacentibus ſimiles, duo tantùm conceſſi puluilli ſunt, multo iuſtiùs ea nobis frugalitas ſeruanda eſt, qui veſtimentis exuti, & toto reclinati corpore decumbimus, ſi non molliſſimè, at ſaltem non prorſus incommodè.

a In Regula.
b In Reg. nu. 50.

IV. In communi Veſtiario reponantur.

Eſſenos idem ſeruaſſe inſtitutum tradit Philo *Omnibus*, inquit [c], *vnum eſt promptuarium, vnde veſtitus*. Et antiquus Monachorum inſtitutor Orſieſis; [d] *Demus*, ait, *veſtes ei cui creditum eſt cellarium, vt deferat ad eum locum vbi veſtimenta pariter omnium reſeruantur*. Hos videtur imitatus Auguſtinus, qui ad Clericos ita loquitur [e]: *Veſtes veſtras in vnum habeatis, ſub vno cuſtode, vel duobus, vel quot ſufficere poſſint ad eas excutiendas, ne tineis lædantur; & ſicut paſcimini ex vno Cellario, ſic induimini ex vno Veſtiario*. Huic verò Præfectus (vt & id obiter adnotemus) Plauto [f] Veſtiſpicus, quaſi inſpector & curator veſtimentorum: priſcis Eccleſiaſticis Vicedominus [g], vel, vt nobis in vſu eſt, Veſtiarius [h], reperitur appellatus.

c Lib. quod probus.
d De inſt. Mon.
e In Reg.
f Trinummo.
g Apud Onuph lib. de vo. Eccl.
h Apud Anaſt. in vita Steph. 3.

V. Capillum & barbam omnes tondeant, ne nutriant, neve radant.

Barbæ comæque aut promittendæ, aut amputandæ, diuerſus apud diuerſos ritus fuit; quem diligenter perſequi, neque mihi otium, neque operæpretium fuerit. Dicam ſolummodo qui priſcorum mox extiterit Clericorum. A Petro incipiam, ſummo illo Clericorum Principe. Eum Beda viſum refert detonſum: *Cui*, [i] inquit, *puerulo beatiſſimi Apoſtolorum Principes dignati ſunt apparere, Petrus detonſus vt Clericus, &c.* Adſtipulatur Nicephorus, tradens [k] Petrum geſſiſſe comam barbámque non admodum promiſſam: *Capilli*, inquit, *& capitis & barba criſpi, & denſi, ſed non admodum prominentes fuere*. Nos itaque, qui capillum & barbam neque nutrimus neque ad cutim radimus, à Petro ſumpſiſſe videmur. At extant & alij priſci Patres, quorum auto-

i Lib. 4 Hiſt. c. 14.
k Lib. 2 c. 37

ritate & exemplo hunc nostrum morem tueamur. Et de coma quidem habetur sanctio Aniceti Papæ, in hæc verba [a]: *Comam Clerici ne nutriant: sed desuper caput in modum sphæra radant.* Et de Cypriano Carthaginensi, ad fidem Christi conuerso, canit Prudentius; [b]

Destua cæsaries compescitur ad breues capillos.

Clericum item priscæ Ecclesiæ videtur describere impius ille Lucianus, cùm ait [c]: *Pallium putre, sine calceis incedens, detonsa coma.* Quo loco, illud, *sine calceis*, ne intelligas excalceatum penitus sed soleatum, vt in re simili ea verba intelligi debere Lipsius doctissimus admonet [d]. Scio equidem olim Monachos prolixam gestasse barbam, maximè in Orientalibus plagis: sic quippe S. Isidorus Pelusiota [e]: *Monachi vitam fratres non complet pallij & barbæ ostentatio.* Sed de Clericis priscis loquor, aióque, barbam eos haud nutrijsse: nam prolixè barbatos Monachos his verbis facetè exagitat Augustinus [f]: *Et hoc quò pertinet quæso, tam apertè contra præcepta Apostoli comari? An ita vacandum est, vt nec tonsores operentur? An quia euangelicas volucres imitari se dicunt, quasi depilari timent, ne volare non possint?* Non nego, quosdam è mundi Philosophis, Christi ministros factos barbam quam Philosophorum more promittere solerent, haud totondisse postea. Sed ij pauci adeò extiterunt, vt de sancto Theotimo quasi insolitum quid Sozomenus scripserit: *Aiunt porrò, quod hic in coma nutrienda perseuerarit, & Philosophiæ studium, vti cœperat, prosecutus, ac tenui victu vsus sit.* Quod & in Iustini ex Philosopho martyris sacra & vera effigie, quæ nuper è Gallia prodijt, quiuis cernere & obseruare poterit. Sat igitur patet, promissam comam Clerico inhibitam. Maior quidem dubitatio est num è prisco ritu barba nobis attondenda sit. Et affirmo: Nam Alexander Papa III [g] seuerè sanxit: *Clerici qui comam nutriunt, & barbam, etiam inuiti tondeantur à suis Archidiaconis.* Et diu ante eum B. Hieronymus [h] censuerat *capillos in tantum demittendos, vt operta sit cutis,* vt videlicet honestus habitus sacerdotum in facie demonstretur: quibus verbis per capillos videtur & barbam comprehendere, vti & Concilium Agathense [i], comæ vocabulo etiam barbam intellexisse, exponunt duo summi Pontifices, Gregorius VII. & Alexander III. verba suorum decretorum è prædicto Concilio desumentes. Tondenda igitur barba est, non autem aut ad cutim radenda, aut è contra longiùs promittenda. Vtrumque in Clerico displicet, & habeo vtriusque extremi vituperatores. Contra rationem, illud in primis est Christi exemplum: Christus etenim aliquo saltem modo barbatus describitur ab Isaia, cùm sub eius persona hæc inquit [k], *Et genas meas vellebant.* Accedunt vetustæ imagines, quæ Christum modicè barbatum præferunt. Clemens item presbyter Alexandrinus vicinus Apostolorum ætati, vniuersè docet, barbam tondendam quidem, non autem radendam: Si quis, ait [l], *barba nonnihil tondeat, ea tamen non est omnino denudanda: est namque turpe spectaculum: barbáque ad cutem tonsus, non videtur procul esse à lauore, & vulsione.* Et post pauca subdit: *Qui in superiori parte labij inter comedendum polluuntur pili, tondendi sunt non nouacula (est enim illiberale) sed forficibus.* Eiusdem sententiæ

a Epist. ad Episc. Gall.
b Peristeph. Hym. 13
c In Philop.
d Ad Tac. lib.
e Epist. 27.
f De Oper. Mon. c. 31
g De vit. & ho. cler.
h In cap. 46 Ezech.
i Cap. 20.
k Isai. c. 50.
l Pæd. lib. 3. c. 40.

esse videtur S. Hilarius Pictauiensis, dum ait [a]: *Barba virilis, ornatus est.* Itaque si ea omnino deradatur, amittet naturæ ornatum humana facies. Posteriore ferè sæculo vixit S. Simeon Stylites, qui, referente Io. Moscho, Menam Diaconum Ecclesiæ Raithensis, forficibus totondit, non nouacula: hoc est [b], medios dissecuit, non autem radicitus abrasit. Vidi ego, & quisque poterat, antequam Gregorianæ Ædis vetustas illas imagines Baronius Cardinalis, vt nouas induceret, obliterasset, in monasterio S. Andreæ, ad cliuum Scauri, effigiem S. Gregorij Magni, non rasa, sed leuiter attonsa barba. Et consentit Ioannes Diaconus scriptor vitæ eius [c], qui designat S. Gregorium, *cum barba subfulua & modica.* S. item Sidonius [d] Apollinaris, Maximum Clericum detonsum quidem describit, non autem rasum. Adalbertus etiam Episcopus, & Martyr, tonsam barbam ferebat, vt ipse de se fatetur, suósque Clericos monuit, vt attonsi, non autem ad cutem abrasi incederent: Id ex his eius verbis [e] elicio: *Tonsæ barbæ comas prodire non prohibeamus.* Quod si quis contendat ad cutim vsque radendas Clericorum barbas, eò quòd Gregorius Papa VII. non tondendi sed radendi verbo vsus sit, cùm scripsit de hac re ad Iacobum Episcopum Caralitanum; sciat, illud eo loco verbum non significare cutaneam rasionem, sed modestam detonsionem? tum quòd alioqui Alexander Gregorio aduersaretur, tum etiam quòd nouum non sit, vt rasio pro tonsione sumatur. Ita enim sumitur (vt aliorum autorum alia mittam loca) in vita S. Lupi, Senonensis Episcopi [f], vbi hæc leguntur: *Cernens verò Rex Clotharius eum afflictum, corpus eius macie confectum, caput intonsum, barbámque minimè rasam, iubet eum honorificè tractari, comámque & barbam tonderi.* Ecce prius illud, *rasam*, exponitur, per, *tonderi.* Huc etiam facit Decretum Concilij Carthaginiensis quarti [g]: *Clericus neque comam nutriat, neque barbam radat.* Sic enim legunt MM. SS. Vaticana, Victoriana, & Gandensia, atque Isidori liber Parisiis impressus, vt testatur Ioannes Sauarus, diligentissimus Sidonij Scholiastes, Notis in epistolam S. Sidonii ad Turnum [h]. Qui inquit, illud, *radat*, erasum fuisse in plerisque sacrorum Canonum codicibus à quodam malè feriato homine, qui vna litura maximas altercationes excitauit. Et ratio quidem, quam Sauarus subiicit, profectò vrget. Nam siue illud Decretum, quod hodie in sacrorum Canonum Codicibus habetur, sumptum est ex Concilio Carthaginiensi, in eo vt diximus, constanter legitur, *neque barbam radat:* siue ex Decretis Aniceti, in iis nulla barbæ mentio est, vt patet ex 23. dist. ca. Clericus. Adde, quòd neque Vsuardus, neque Innocentius III. neque Marianus Scotus inter sanctiones Aniceti, barbæ rasionem numerant. Satis igitur superque probatum est, barbam Clerico non ad cutem radendam: Clerico, inquam, nam de Monachis plerisque alia est ratio; eliciturque è S. Paulino [i], atque ex Elia Cretensi [k], barbam ad cutim rasam ad Monachos pertinere. Sed neque è cõtra, longiùs, Cynici in morem, promittenda est, aut fouenda, vt adolescat. Superflua est ea cura in re superflua atque adeo vbi hominem videris barbæ comæve satagentem suæ, illico dici poteris cum Seneca [l]: *Nihil ab eo speres forte, nihil solidum: non est enim ornamentum virile, concinnitas.* Si huius æui Regulares Clerici recepto vsu Barbam

a [illegible]
b Prat. cap. 1[illegible]8.
c Lib. 4, c. 8[illegible]
d Epist.
e In eius vita ad fin.
f Apud Surium.
g Can. 44.
h Lib. 4. Ep. 24.
i Epist. 7.
k In orat. 19. Nazianz.
l Epist. 115.

alerent, tolerari vel in nostratibus posset barbæ prolixitas. Verùm vt à cæteris omnibus, & à nobis ipsis Clerici aut presbyteri è nostris aliquot exorbitent, nulla est ratione permittendum. Nam nostræ leges, vniuersè, & nullo excepto, iubent, *Capillum & barbam omnes tondeant, ne nutriant, ne veradant.* Decet quippe, *vniusmoris esse habitantes in domo Dei*[a]. Et verò prisci nostri Patres ad vnum omnes barbam totondere. Nemo quidem rasit, sed nemo nutriit. Icones verò Pauli Quarti, & Pauli Consiliarij, cum prolixis barbis, non ab iis expressæ, dum intra claustra stetère; sed postquam ille ad Summum Præsulatum, iste ad Pontificii Cubiculi Præfecturam euectus est.

a Psal. 67.

Iungenda est Clericali comæ, Clericorum insigne, corona. Non ignoro, quod alioqui tritum est, eam à Petro ad coronæ figuram, vertice capitis detonso habuisse originem, vt tradunt Beda[b], Amalarius[c], aliíque multi. At quanam forma eam gestauerint veteres Clerici, latáne circa totum caput, an breuiori circulo in summo vertice, id neque tritum, neque à multis scitum. Nam de S. Cutberto Clerico ita loquitur Beda, ut tempora potiùs quàm verticem tonsuræ coronam circumiuisse significet: *Postquam*, inquit, *seruitutis Christi iugum, tonsuraque Petri formam in modum coronæ spineæ Christi caput cingentis, Domino adiuuante Cutbertus susceperat &c.* Si in modum coronæ spineæ Christi caput cingentis, ille tonsus est, vtique non in summo vertice, sed latè circa tempora videtur tonsus. Huic dubitationi satisfieri potest ex doctrina S. Isidori, qui libro primo de Ecclesiasticis officiis[d] apertè tradit, sua ætate, duas Clericos habuisse tonsuras; alteram in summo vertice, alteram inferiùs circum tempora: illáque, tiaram sacerdotalem, hac verò regium diadema significari; iuxta illud B. Petri dictum[e], *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Posterioribus autem sæculis, lata ista corona Monachis relicta, Clerici illam solummodo in summo vertice tonsuram retinuerunt. Obseruaui prætcrea consueuisse veteres Clericos, adiurare per Clericalem tonsuram, siue Coronam; adeò illam magni fecere prisci Patres. Per eam adiurat Hierònymus Augustinum: *Dominum*, inquit[f], *meum Alipium, & Patrem meum Euodium, vt nomine meo salutes, precor coronam tuam.* Et Augustinus scribens Proculeiano Donatistæ[g]: *Honorant nos*, ait, *vestri: honorant vos nostri. Per coronam nostram nos adiurant vestri, per coronam vestram vos adiurant nostri.* Mitto plura huc congerere de Clericali corona. Adeat lector S. Isidorum li. 1. de diu. off. ca. 4. Amalarium item, Rabanum, Iuonem, cæteros.

b In vita S. Cutberti.
c De Eccl. off. lib. 4 c. 39.
d Cap. 4.
e 1. Pet. 2.
f Epist. 20.
g Epist. 147.

CAPVT III.

De Mensa, atque Ieiuniis.

CIBORVM parsimoniam, & sobrietatem, quod paupertatis proprium est, diligenter seruemus. Ieiunia ab Ecclesia indicta, accuratè custodiamus. Addimus ieiunium Aduentus Domini, & ob præcipuam reuerentiam erga Saluatoris nostri sacratissimam passionem, ieiunium sextæ cuiusque feriæ, nisi festum, pro quo pridie sit ieiunatum, aut festum Titularis Ecclesiæ, S. Stephani, S. Ioannis Euangelistæ, & Circuncisionis Domini in eam incidat. Ieiunamus præterea in Vigilia Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, & sanctissimi Corporis Christi: In vigilia exaltationis S. Crucis, quod ea die nostra Congregatio sumpserit initium: In vigilia Natiuitatis & Purificationis Sanctissimæ Virginis: In secunda & tertia feria ante Cineres: Quarta quaque feria, quia tum Dominus à Iuda proditus esse perhibetur, à carnibus abstinemus, nisi festum fuerit primæ Classis

Primæ communi mensæ omnes studeant interesse nec sine rationabili causa aut sine Superioris licentia ad eam venire quis prætermittat Qui ad primam venire non poterunt, ad alteram statim veniant, ne tertiam cogamur struere. Communis omnium mensa, communis cibus, idem omnibus ferculorum numerus, eadem qualitas. Primæ & secundæ mensæ nullum sit discrimen, nullum personarum.

Communi mensæ nunquam desit sacra lectio, vel ex sacra Scriptura, vel ex SS. Patribus, vel ex autoribus aliis valde probatis: vt anima æquè cœlesti, ac terreno corpus cibo nutriatur. Lectionem omnes auscultent cum silentio. Eius errata corrigere, aut de ea verba facere, præter superiorem audeat nemo.

Culpę, quę in aliis domesticis operibus, vel quibusuis aliis rebus non Ecclesiasticis, commissæ fuerint, hę in principio mensæ, flexis in Refectorio genibus, dicantur Pœnas Prępositus, aut qui Prępositi vices in eo loco gesserit, cuique debitas imponat.

Post prandium, & gratias de more actas, cum silentio, lotis manibus, in chorum abeant, & Nonam dicant. Post cœnam pari ratione abeant in Ecclesiam, Deum pro benefactoribus pręsertim quos in mensa recitatos audierint, oraturi.

Ieiuniorum tempore ad serotinam cœnulam simul accedant: cibum sedentes sumant, spiritualis lectionis cibo reficiantur. Quibus ad primam non est visum venire, ij nonnisi ad secundam, post horæ dimidium à primo signo dato, conueniant, deinde Refectorij fores claudantur. Cibis, qui in communi mensa apponuntur, quisque contentus sit, nec aliquid amplius requirere, aut extra mensam sumere, sine speciali Superioris facultate liceat.

Ad Cap. III. Notæ.

1. ADdimus ieiunium Aduentus Domini. Ieiunium vniuersè Religiosis viris fuisse frequentissimum ex eo clarissimè patet [a], quòd Sulpitius Seuerus Monachos, pallidam turbam antonomasticôs vocet, & ob id [b] Basilius Magnus illorum ieiunium occultari non posse censeat, cùm vultu nimirum ipso, & pallore prodatur. Totum itaque ferè annum ieiunijs, *xerophagijs*, hoc est, vt Tertullianus interpretatur [c], *feris atque aridis escis*, prisci & religiosi transigebant. In hac verò temporum fæce adeò delicati debilésque sumus, vt vel vnius per annum quadragesimæ nos terreat obseruatio? Heu quônam abiit sancta illa alacritas, carmine etiam expressa!

Nos oleris coma, nos siliqua
Fœta legumine multimodo,
Pauerit innocuis epulis.
Absit enim procul illa fames,
Cædibus vt pecudum libeat
Sanguineas lacerare dapes.

O quàm verè Gregorius ille Theologus: *Venter parens malorum omnium est ἀ-χέκακες*; cui optimè concinit Prudentius Clemens, crapulæ prauos effectus enumerans:

Obstrangulatæ mentis ingenium premit:
Progignitur hinc luxus, & turpis gula:
Vini atque somni deneger socordia:
Libido sordens, inuerecundus lepos,
Variæque pestes languidorum sensuum.

Sed hæc aliàs fortasse fusiùs prosequar. Interea laudandum est mihi, & ab antiquitate probandum, nostræ, & religiosarum familiarum penè omnium de Aduentuali ieiunio institutum: Magnopere enim decet, vt non morientis solùm, sed etiam nascentis nostri Redemptoris memoriam stati temporis ieiunio celebremus. Et verò sunt, qui asserant, Gregorium Magnum hoc ieiunium instituisse, sed planè falluntur: habeo enim qui eius obseruationis meminerint, Gregorio antiquiores. Chrysostomus [d]: *Si ingrueret*, inquit, *solemnis Epiphaniæ dies: addo etiam, si tempus Aduentus Domini sacri, nedum Epiphaniæ, aut Quadragesima*, &c. Beatus etiam Hieronymus in suo Lectionario habet, quinque Dominicas Aduentus ante natale Christi Domini. Quòd si quis contendat hæc loca indicare quidem tempus Aduentus, quoad peculiarem celebritatem Officij sacrarum precum, non autem quotidianum eius temporis ieiunium, afferam Concilium Turonense [e], vbi legitur hæc sanctio *De ieiunijs antiqua statuta à Monachis seruentur, vt de Pascha vsque ad Quinquagesimam exceptis Rogationi-*

a Epist. ad Bassul.
b In Asceticis.
c De Resur. carn.
d Hom. 3. ad Ephes.
e Turon. 2. can 13. Tō. 2. Concil.

T

veluti insolitum admiratur Damascenus in Barlaamo. Quocirca ex laudabili horum sanctorum in seipsos austeritate, illud mihi concludere posse videor; etsi qui requirant carpi non posse, qui tamen contemnant, non parum laudari debere. Nostræque sententiæ illud S. Augustini apertè consonat: *Si fieri*, inquit [a], *potest, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur.*

a In Reg. Cler.

Pileus.

Restant nunc breuiora indumenta, ex antiquitate discutienda, pileus scilicet, & cingulus. *Pileo*, vt nostra habet Constitutio, *vtuntur Clerici, in Crucem formato; Laici rotundo, domi; & foris, petaso.* Generatim autem omnes capitis vetustos amictus huc aduehere, non est nostri argumenti opus. Si quis harum rerum sit curiosus, videat Baysium [b], Panzirolam [c], Pierium [d], Lipsium [e]. Ego verò dicam solummodo, quo opericuli genere vsi sint Ecclesiastici viri, Clerici scilicet, & Monachi. Et hi quidem variè caput amiciebant. Alij cucullo, quem acuminatum describit Nicephorus, loquens de Tabennesiotis [f]: *Capitis*, inquit, *tegmen acuminatum, vt simplices fiat, & iniurias non vindicent, pureque & innocenter viuant.* Quod item, vt pueris erat, lineum extitisse, idem autor significat, cùm subdit: *Lactantium puerorum instar, quorum capita eiusmodi lineis mitellis operiri solent.* Idem habet B. Hieronymus Heliodoro scribens [g]: *Caput opertum linteo, galeam recusat.* Et verò vetustæ Monachorum Orientalium icones, quæ hodieque Constantinopoli in Monasterio Sulà depictæ videntur, linea habent capitum amicula [h]. Acceperunt ea, nisi fallimur, Monachi veteres, ab Apostolis Ioanne & Iacobo, qui cùm laminam auream, sacerdotis insigne, leguntur capite gestasse, verisimile est eiusmodi laminam cidari infixisse. Cidaris autem erat capitium sacerdotum lineum, & inuolucrum quoddam candidum [i]. Cidari verò adnectebatur lamina aurea, proprium sacerdotis gestamen. Lege Benedictum Ariam in Apparatu. Itaque Monachi veteres, ablata lamina, quæ dignitatem præ se ferebat, reliquo lineo capitis amictu, Apostolos imitantes, vti voluerunt. Firmat id quod diximus de Apostolorum cidari linea, expositio quædam insignis de Apostoli Pauli semicinctiis, narrata à Beda presbytero [k], in hæc verba: *Multi nostrûm quid semicinctia significent, ignorant. Verùm Gregorius, qui nunc est Apostolicæ sedis Antistes* (Gregorius scilicet, eius nominis secundus) *cùm esset adhuc Archidiaconus, sciscitanti amico, de Britannia, & hoc inter alia rescripsit, genus esse sudarii, quo Hebræi vtuntur in capite.* Hæc ille. Atque adeò hinc patet probabiliter nos posse asserere, antiquos Monachos ab Apostolis sumpsisse linea capitis velamina. Clericis autem priscis ijs maximè qui de Monachismo ad Clerum assumerentur, frequens erat vsus cucullorum; vti ex historicorum, & veterum iconum autoritate superiùs diximus. Recentioribus verò adeò cuculli odiosi, vt etiam Pontificia sanctione legantur eis ad pœnam inflicti. Nam

b De re vestiar.
c Cap. de fibula.
d Hierogly. lib. 40.
e In Saturnalibus.
f Lib 9. c. 24
g Epist. 1.
h Vid. Gelas. Voss. in Iconem Ephræmi
i Arias in Appar. Vid. Ezech. 44.
k Retract. in Act. c. 19.

Nam Vrbanus II. Canonicum, id eſt, ex inſtituto S. Auguſtini Regularem Clericum, è ſuo Ordine ad monaſticum abſque ſuperiorum permiſſu tranſeuntem, damnat ad deferendum cucullum [a]. Ceterùm tam Clericos quàm Monachos pileo caput operiiſſe reperio. Erat autem multiplex, vel hærens, adſtrictúſque cuti capitis, &, vti lepidè Tertullianus loquitur [b], *quaſi vagina capitis, & operculum verticis*: qualem ſcilicet videtur geſſiſſe B. Hieronymus presbyter, qui de pileolo ſibi à Paulino donato hæc inquit [c]. *Pileolum textura breuem, charitate latiſſimum, ſenili capiti confouendo libenter accepi, & munere & muneris autore lætatus.* Et benè inquit *texturâ breuem*: pileoli enim textiles breuiores fere ſunt cæteris, & cuti inhærent propiùs. Pilei aliud genus à capite aſſurgit altiuſculè. Huius duæ veluti ſpecies. Alij nullam recipiunt complicationem, ſuntque aſſimiles illis quibus Hiſpani lugubres & pullati caput operiunt. Hac forma pileum geſtat presbyter priſci æui ad dexteram B. Syluestri Papæ depictus in vetuſtiſſima quadam imagine Chriſti Domini, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & aliorum quorundam veterum, quæ Romæ viſitur. Ad eandem ferè ſpeciem pilei, vt ita dicam, incomplicabilis, reduci poteſt ille quem Tertullianus Carthaginenſis presbyter ad frontem ſuorum operũ ad viuum expreſſum gerit, niſi quòd tres illi globuli, quos in vertice habet, eum ab his de quibus modò loquimur, non parum diſcriminant. Ijdemque fortaſſe ſignificabant tres perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis, honoris, & memoriæ ergò, vertice geſtatæ à ſacerdotibus, ſanctiſſimæ videlicet Trinitatis adminiſtris: quemadmodum nos poſteri vice trium illarum pillularum, ob Chriſti memoriam patibulo affixi crucem in pileolis expreſſam gerimus. Quocirca eam deoſculari quiſque noſtrûm mane debet cùm primùm caput operimus; & veſpere cùm nudamus. Certè ſanctiſſimus ille Carolus Borromæus, non niſi cum bireto eiuſmodi cruciato, & (quia Cardinalis erat) purpureo, in ipſa etiam ægritudine, extremúmque ſpiritum trahens, cubare voluit, tantíque crucis memoriam faciebat, vt id τικητὸν σεμνεῖον, quod Reges Cæſaréſque, vt Auguſtinus adnotat, fronte geſtarunt, vertice & ipſe aſſiduè ferre lætaretur. Porrò id genus quadrati pilei tanti olim fecere Perſæ, Lydique dynaſtæ, vt inde diadema ſibi conficere conſueuerint. Refert id Dionyſius Halicarnaſſeus [d], & ex eo Vidus Pancirola theſ. var. lect. [e]. Sed cùm addit: eo etiam vſum Cyprianum martyrem, atque cùm capite eſſet truncandus, cidarim eiuſmodi dediſſe Diacono, memoria ſanè lapſus eſt. Nihil enim de ea re habet aut Pontius, aut Baronius, quem citat; ſed tunicam dalmaticámque, non autem cidarim dediſſe Diacono legitur. Quamquam enim veriſſimile eſt id genus bireti olim etiam Epiſcopos, & in ijs Cyprianum martyrem geſtare fortaſſe ſolitos, id tamen ex Cypriani actibus non colligitur. Vtcunque ſit, hoc certè habes, pileo tectos æui priſci presbyteros, eóque ad cutem preſſo, & incomplicabili. Tecti item veteres, complicabili pileo, qui plerunque non textilis. Iſque in quaternionem complicatus crucis quandam ſignat formam. Ex eo arbitror ortum habuiſſe Clericalem pileum, quo nunc vtimur cruciato, & à capite in angulos quatuor altiùs aſſurgente.

[a] Cap. Diamnamus. 19. q. 3.

[b] De cultu fœmin vide & Luciani Dipſadem.

[c] Epiſt. 153.

[d] Lib. 3. Antiq. Rom.

[e] Lib. 1. c. 81

S.

Cœpit enim hic pileus, à pressa illa & cuti prorsus inhærente forma, paulatim assurgere; primum altiusculè, apud Canonicos Regulares; mox apud Seculares Regularésque Clericos, magis ac magis altè, schemate videlicet crucem expressiùs præferente. Itaque non ex mitra Episcopali compressa, vt Agellius noster Præsul ille eruditissimus, existimabat, sed potiùs ex pileolo complicabili, Clericale hoc capitis integumentum (vt arbitror) duxit originem, Vide de hac re Pierium Valerianum in Hieroglyphicis [a], nostræ huic sententiæ nonnihil suffragantem.

a Lib. 40 de Pileo ad fin.

Cingulus.

Tunicam comitatur cingulus, quo distringitur, vt corpori inhærescat. Eius vsus antiquissimus est. Neque enim ambigo, veteris testamenti Patres, Heliam [b], Elisæum, Prophetasque cæteros, & horum postremū, sed præcipuum Ioannem [c], cingulos gessisse. Eos enim renibus accinctos sacræ litteræ ostendunt. Habeo item in nouo testamento, Christum [d], eiúsque discipulos, Petrum [e] & Paulum [f], zona præcinctos: imò vniuersè dico Orientales tunicatos, cingulo vsos. *Tunica enim* (vt Tertullianus inquit [g]) *debet cingulo corripi.* Quocirca miror, qua ratione pictores plerique recentiores Christum Dominum, eiúsque Apostolos depingant fluentibus tunicis, nec cingulo adstrictis. Sed, vt ille hait [h];

Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

b 3. Reg. c. 1.
c Matth. 3
d Ioann. 13.
e Act. 12.
f Act. 21.
g De Pallio c 4.
h Horat. in Arte Poët.

Cùm autem cinguli materies varia sit, fueritque; videamus, an cingulus noster laneus priscam habuerit originem. Et Heliæ quidem pelliceus, siue (vt exponit Clemens Stromateus [i]) è pilis contextus placuit: quem secuti sunt Elisæus, Io. Baptista, Basilius, atque Dorotheus [k], horúmque sectatores. Et de Elisæo quidem, ac Ioanne, patet ex locis superiùs citatis: de Basilio verò & Dorotheo, Basiliano Monacho, habeo descriptum eorum habitum, his verbis: *Vestitus noster is est; colobium, zona pellicea, anabolus, & cucullus.* Alijs autem quibusdam Monachis, zona linea Oresiesis [l]. *Sufficit*, inquit, *nobis habere zonam lineam.* Et Climacus: *Accinge*, inquit, *sicut vir lumbos tuos obedientiæ linteo* [m]. Immò ipse etiam Apostolus Paulus (puto & alij quoque Apostoli) semicinctijs vtique lineis lumbos arctabat, vt ex Actis [n] constat, atque vt ad antiquiora assurgam exempla, Ieremiæ Prophetæ *lumbare* [o] linteum erat, Dei ipsius iussu ab ipso emptum, & per dies aliquot gestatum. Quod & Pachomianis in vsu erat, vt B. Hieronymus his verbis narrat: [p] *Baltheolum vnusquisque habebat lineum.* Nonnullos autem fune præcinctos lego, eos nempe monachos, Paulinus Nolanus describit [q], non baltheo, sed reste succinctos. Quæ materies omnium vilissima, & infimis mancipijs propria, iuxta illud Iobi [r]: *Baltheum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum.* Ideò sanctissimus Pater Franciscus, mundi contemptor, & paupertatis amator eximius, funiceum sibi suisque sodalibus delegit cingulum. Porrò funis igna-

i Lib. 2. Ped. c 10.
k Ser 1. S. Doroth.
l Inst. Mon.
m Grad. 4
n Act. 19 12.
o Ierc. 13. 1.
p Præfat. ad Regul. Pachomii.
q Epist. 7.
r Cap. 12.

uis militibus in pœnam ignominiosam pro cingulo datus legitur, apud Macedonas [a] Aristotele teste nempe vt qui nullum in bello hostem interfecisset, pro cingulo militari, capistro cinctus foret. Sed palmeum non nemini veterum vsitatum lego. Cuinam? Heliodoro Abbati [b], Sic enim de eo Theodoretus narrat, quòd *cùm aliquando funem contextum ex palmis* (est autem is asperrimus) *sumpsisset, & manibus astrinxisset, eo lumbos succinxit, non apponens extrinsecus, sed ipsi pelli applicans: & tam arctè compressit, vt tota illa pars cui fuerat impositus, circumcirca exulceraretur.* Hæc ille. Sed id ab Heliodoro præter vsum humanum, domando corpori, factum est. Laneus vero noster, vnde; à Christo ipso est. Id certò asserit Ioannes Iprensis [c]; & vniuersè significat Chrysostomus [d], siue quis alius Operis imperfecti autor. Ea profectò cingulorum materies apud Palestinos fuit, à quorum communi more cultúque Christus non recessit [e]. Proinde Marcellæ, quæ, Palæstinam incoluit, B. Hieronymus è lana cingulum commendat. *Sit*, inquit [f], *cingulum laneum, & tota simplicitate purissimum, quod possit magis adstringere vestimentum, quàm scindere.*

a Lib. 7. de Republ.
b Philoth: c. 36.
c De vita Christi c. 21.
d In Matt. 3.
e Iprensis ibid. aliiq.
f Epist. 23.

E cingulo autem pendeat clauis. Ita B. Gregorium Turonensem imitabitur: *Oblitus* (loquitur de se ipso [g]) *clauem capsæ porrigere, quæ cingulo dependebat.* Quocirca non laudo nostrûm aliquot, non è cingulo pendentem, sed in sacculum, aut alibi inclusam habentes clauem. Esset & de priscorum Clericorum calceamentis hoc loco aliquid notandum: sed cùm eos calceatos incessisse, aut saltem sandalijs vsos clarius sit, quàm vt à me post Iansenium, & Suaresium, eruditissimos viros, ostendi debeat; & alioqui ex Tertulliano, Carthaginis, & Clemente, Alexandriæ presbyteris, id liquidò probari queat, visum est ad lectum properanti, id absque lectoris noxa prætermittere.

g De glo. mart. lib. 1.

II. Lectuli sint lati palmos non ampliùs quatuor.

A vestibus ad lectulos transeo, & vicino quidem flexu: quid enim aliud est lectus quàm nocturnum indumentum; igitur in hoc quoque frugalitas religiosa seruanda est. *Nobis*, (inquit Clemens Alexandrinus [h],) *hoc est Christi gymnasio institutis vt rationi conuenit, simplici cubili & frugali vtendum est, quod habeat id quod nos iuuet, commoderatum, & conueniens: si æstas sit, quod contegat: si sit frigus, quod foueat. Sit autem lectus non affabré & curiosè factus, pedésque habeat planos, ac lenes. Nimis enim curiosæ & exquisitæ tornaturæ sunt sæpe reptilium semitæ animantium. In primis autem cubilis mollitiem commoderatè & conuenienter virilem esse oportet, & masculam: non est enim opus somnum esse omnimodam corporis solutionem, sed tantùm remissionem: & ideo eum dico esse assumendùm non ad otium, & socordiam, sed ad negotiorum & actionum quietem. Ita ergo dormitandum est, vt faciliè excitemur. Sint enim*, inquit [i], *vestri lumbi præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, donec reuertatur à nuptijs. Beati serui illi, quos, cùm venerit Dominus, inueniet vigilantes.* Hæc ille grauissimus morum censor. Porró formam honestissimi ac verè virilis strati perfectè seruauit pijssimus Pater noster, Ioannes Marinonius,

h Lib. 2. Ped. lib. 1.
i Luc. 12.

quem vel ſuper nudos aſſeres, vel ſuper herbaceam culcitram decubuiſſe, ſatis exploratum certúmque eſt. Imitabatur ſanctus ſenex magiſtrum ſuum Caietanum Thienæum, virum Apoſtolici ſpiritus; cui poſtrema ægritudine decumbenti, cùm ſubmittere medicus decreuiſſet laneam culcitrellam, qua ſenio, laboribus, ægritudine, feſſa membra quieſcerent, ad eius ille rei nuncium ſanctè ſubiraſcens; Mihine, inquit, molliorem culcitram? In cinere & cilicio mori debeo, & volo. Atque hæc verba identidem proclamans, in ſuo duro & ſtramentitio lectulo, omni reiecta mollicie, conſtanter hîc obijt, & æternæ illic vitæ initium fecit.

III, Vno vel ad ſummum duobus puluinaribus.

Neque verò plures S. Iſidorus [a] ſuis permiſit Monachis: *Geminuſque*, inquit, *ſit ad caput puluillus*: vt ſcilicet eleuatiore capite quieſcentes, promptiores eſſent ad expergiſcendum. Vnde & reclines cellulæ ad hunc ipſum vſum finémque, apud Pachomium [b] memorantur. Si ijs igitur, qui induti diurnis veſtibus, & ſedentibus magis quàm iacentibus ſimiles, duo tantùm conceſſi puluilli ſunt, multo iuſtiùs ea nobis frugalitas ſeruanda eſt, qui veſtimentis exuti, & toto reclinati corpore decumbimus, ſi non molliſſimè, at ſaltem non prorſus incommodè.

a In Regula.
b In Reg. nu. 50.

IV. In communi Veſtiario reponantur.

Eſſenos idem ſeruaſſe inſtitutum tradit Philo *Omnibus*, inquit [c], *vnum eſt promptuarium, vnde veſtitus.* Et antiquus Monachorum inſtitutor Oreſieſis; [d] *Demus*, ait, *veſtes ei cui creditum eſt cellarium, vt deferat ad eum locum vbi veſtimenta pariter omnium reſeruantur.* Hos videtur imitatus Auguſtinus, qui ad Clericos ita loquitur [e]: *Veſtes veſtras in vnum habeatis, ſub vno cuſtode, vel duobus, vel quot ſufficere poſſint ad eas excutiendas, ne tineis lædantur; & ſicut paſcimini ex vno Cellario, ſic induimini ex vno Veſtiario.* Huic verò Præfectus (vt & id obiter adnotemus) Plauto [f] Veſtiſpicus, quaſi inſpector & curator veſtimentorum: priſcis Eccleſiaſticis Vicedominus [g], vel, vt nobis in vſu eſt, Veſtiarius [h], reperitur appellatus.

c Lib. quod probus.
d De inſt. Mon.
e In Reg.
f Trinummo.
g Apud Onuph lib. de vo. Eccl.
h Apud Anaſt. in vita Steph. 3.

V. Capillum & barbam omnes tondeant, ne nutriant, ne ve radant.

Barbæ comæque aut promittendæ, aut amputandæ, diuerſus apud diuerſos ritus fuit; quem diligenter perſequi, neque mihi otium, neque operæpretium fuerit. Dicam ſolummodo qui priſcorum mox extiterit Clericorum. A Petro incipiam, ſummo illo Clericorum Principe. Eum Beda viſum refert detonſum: *Cui*, [i] inquit, *puerulo beatiſſimi Apoſtolorum Principes dignati ſunt apparere, Petrus detonſus vt Clericus, &c.* Adſtipulatur Nicephorus, tradens [k] Petrum geſſiſſe comam barbámque non admodum promiſſam: *Capilli*, inquit, *& capitis & barbæ criſpi, & denſi, ſed non admodum prominentes fuere.* Nos itaque, qui capillum & barbam neque nutrimus neque ad cutim radimus, à Petro ſumpſiſſe videmur. At extant & alij priſci Patres, quorum auto-

i Lib. 4 Hiſt. c. 14.
k Lib. 2 c. 37

ritate & exemplo hunc nostrum morem tueamur. Et de coma quidem habetur sanctio Aniceti Papæ, in hæc verba [a]: *Comam Clerici ne nutriant: sed desuper caput in modum sphæra radant.* Et de Cypriano Carthaginensi, ad fidem Christi conuerso, canit Prudentius; [b]

Destua cæsaries compescitur ad breues capillos.

Clericum item, priscæ Ecclesiæ videtur describere impius ille Lucianus, cùm ait [c]: *Pallium putre, sine calceis incedens, detonsa coma.* Quo loco, illud, *sine calceis*, ne intelligas excalceatum penitus sed soleatum, vt in re simili ea verba intelligi debere Lipsius doctissimus admonet [d]. Scio equidem olim Monachos prolixam gestasse barbam, maximè in Orientalibus plagis: sic quippe S. Isidorus Pelusiota [e]: *Monachi vitam fratres non complet pallij & barbæ ostentatio.* Sed de Clericis priscis loquor, aióque, barbam eos haud nutrijsse: nam prolixè barbatos Monachos his verbis facetè exagitat Augustinus [f]: *Et hoc quò pertinet quæso, tam apertè contra præcepta Apostoli comari? An ita vacandum est, vt nec tonsores operentur? An quia euangelicas volucres imitari se dicunt, quasi depilari timent, ne volare non possint?* Non nego, quosdam è mundi Philosophis, Christi ministros factos barbam quam Philosophorum more promittere solerent, haud totondisse postea. Sed ij pauci adeò extiterunt, vt de sancto Theotimo quasi insolitum quid Sozomenus scripserit: *Aiunt porrò, quod hic in coma nutrienda perseuerarit, & Philosophiæ studium, vti cœperat, prosecutus, ac tenui victu vsus sit.* Quod & in Iustini ex Philosopho martyris sacra & vera effigie, quæ nuper è Gallia prodijt, quiuis cernere & obseruare poterit. Sat igitur patet, promissam comam Clerico inhibitam. Maior quidem dubitatio est num è prisco ritu barba nobis attondenda sit. Et affirmo: Nam Alexander Papa III [g] seuerè sanxit: *Clerici qui comam nutriunt, & barbam, etiam inuiti tondeantur à suis Archidiaconis.* Et diu ante eum B. Hieronymus [h] censuerat *capillos in tantum demittendos, vt operta sit cutis,* vt videlicet honestus habitus sacerdotum facie demonstretur: quibus verbis per capillos videtur & barbam comprehendere, vti & Concilium Agathense [i], comæ vocabulo etiam barbam intellexisse, exponunt duo summi Pontifices, Gregorius VII. & Alexander III. verba suorum decretorum è prædicto Concilio desumentes. Tondenda igitur barba est, non autem aut ad cutim radenda, aut è contra longiùs promittenda. Vtrumque in Clerico displicet, & habeo vtriusque extremi vituperatores. Contra rationem, illud in primis est Christi exemplum: Christus etenim aliquo saltem modo barbatus describitur ab Isaia, cùm sub eius persona hæc inquit [k], *Et genas meas vellebant.* Accedunt vetustæ imagines, quæ Christum modicè barbatum præferunt. Clemens item presbyter Alexandrinus vicinus Apostolorum ætati, vniuersè docet, barbam tondendam quidem, non autem radendam: *Si quis*, ait [l], *barba nonnihil tondeat, ea tamen non est omnino denudanda: est namque turpe spectaculum: barbáque ad cutem tonsus, non videtur procul esse à lauore, & vulsione.* Et post pauca subdit: *Qui in superiori parte labij inter comedendum polluuntur pili, tondendi sunt non nouacula (est enim illiberale) sed forficibus.* Eiusdem sententiæ

a Epist. ad Episc. Gall.
b Peristeph. Hym. 13
c In Philop.
d Ad Tac. lib.
e Epist. 27.
f De Oper. Mon. c. 31
g De vit. & ho. cler.
h In cap. 46 Ezech.
i Cap. 20.
k Isai. c. 50.
l Ped. lib. 3. c. 40.

esse videtur S. Hilarius Pictauiensis, dum ait [a]: *Barba virilis, ornatus est.* Itaque si ea omnino deradatur, amittet naturæ ornatum humana facies. Posteriore ferè sæculo vixit S. Simeon Stylites, qui, referente Io. Moscho, Menam Diaconum Ecclesiæ Raithensis, forficibus totondit, non nouacula: hoc est [b], medios dissecuit, non autem radicitus abrasit. Vidi ego, & quisque poterat, antequam Gregorianæ Ædis vetustas illas imagines Baronius Cardinalis, vt nouas induceret, obliterasset, in monasterio S. Andreæ, ad cliuum Scauri, effigiem S. Gregorij Magni, non rasa, sed leuiter attonsa barba. Et consentit Ioannes Diaconus scriptor vitæ eius [c], qui designat S. Gregorium, *cum barba subfulua. & modica.* S. item Sidonius [d] Apollinaris, Maximum Clericum detonsum quidem describit, non autem rasum. Adalbertus etiam Episcopus, & Martyr, tonsam barbam ferebat, vt ipse de se fatetur, suósque Clericos monuit, vt attonsi, non autem ad cutem abrasi incederent: Id ex his eius verbis [e] elicio: *Tonsa barba comas prodire non prohibeamus.* Quod si quis contendat ad cutim vsque radendas Clericorum barbas, eò quòd Gregorius Papa VII. non tondendi sed radendi verbo vsus sit, cùm scripsit de hac re ad Iacobum Episcopum Caralitanum; sciat, illud eo loco verbum non significare cutaneam rasionem, sed modestam detonsionem? tum quòd alioqui Alexander Gregorio aduersaretur, tum etiam quòd nouum non sit, vt rasio pro tonsione sumatur. Ita enim sumitur (vt aliorum autorum alia mittam loca) in vita S. Lupi, Senonensis Episcopi [f], vbi hæc leguntur: *Cernens verò Rex Clotharius eum afflictum, corpus eius macie confectum, caput intonsum. barbámque minimè rasam, iubet eum honorificé tractari, comámque & barbam tonderi.* Ecce priùs illud, *rasam*, exponitur, per, *tonderi*. Huc etiam facit Decretum Concilij Carthaginiensis quarti [g]: *Clericus neque comam nutriat, neque barbam radat.* Sic enim legunt MM. SS. Vaticana, Victoriana, & Gandensia, atque Isidori liber Parisiis impressus, vt testatur Ioannes Sauarus, diligentissimus Sidonij Scholiastes, Notis in epistolam S. Sidonii ad Turnum [h]. Qui inquit, illud, *radat*, erasum fuisse in plerisque sacrorum Canonum codicibus à quodam malè feriato homine, qui vna litura maximas altercationes excitauit. Et ratio quidem, quam Sauarus subiicit, profectò vrget. Nam siue illud Decretum, quod hodie in sacrorum Canonum Codicibus habetur, sumptum est ex Concilio Carthaginiensi, in eo vt diximus, constanter legitur; *neque barbam radat*: siue ex Decretis Aniceti, in iis nulla barbæ mentio est, vt patet ex 23. dist. ca. Clericus. Adde, quòd neque Vsuardus, neque Innocentius III. neque Marianus Scotus inter sanctiones Aniceti, barbæ rasionem numerant. Satis igitur superque probatum est, barbam Clerico non ad cutem radendam: Clerico, inquam, nam de Monachis plerisque alia est ratio; eliciturque è S. Paulino [i], atque ex Elia Cretensi [k], barbam ad cutim rasam ad Monachos pertinere. Sed neque è cōtra, longiùs, Cynici in morem, promittenda est, aut fouenda, vt adolescat. Superflua est ea cura in re superflua atque adeo vbi hominem videris barbæ comæve satagentem suæ, illico dici poteris cum Seneca [l]: *Nihil ab eo speres forte, nihil solidum: non est enim ornamentum virile, concinnitas.* Si huius æui Regulares Clerici recepto vsu Barbam

a Trin. [illegible]
b Prat. cap. [illegible]
c Lib. 4. c. [illegible]
d Epist.
e In eius vita ad fin.
f Apud Surium.
g Can. 44.
h Lib. 4. Ep. 24.
i Epist. 7.
k In orat. 19. Nazianz.
l Epist. 115.

alerent, tolerari vel in nostratibus posset barbæ prolixitas. Verùm vt à cæteris omnibus, & à nobis ipsis Clerici aut presbyteri è nostris aliquot exorbitent, nulla est ratione permittendum. Nam nostræ leges, vniuersè,& nullo excepto, iubent, *Capillum & barbam omnes tondeant, ne nutriant, ne ve radant.* Decet quippe, *vnius moris esse habitantes in domo Dei* [a]. Et verò prisci nostri Patres ad vnum omnes barbam totondere. Nemo quidem rasit, sed nemo nutriit. Icones verò Pauli Quarti, & Pauli Consiliarij, cum prolixis barbis, non ab iis expressæ, dum intra claustra stetère; sed postquam ille ad Summum Præsulatum, iste ad Pontificii Cubiculi Præfecturam euectus est.

Iungenda est Clericali comæ, Clericorum insigne, corona. Non ignoro, quod alioqui tritum est, eam à Petro ad coronæ figuram, vertice capitis detonso habuisse originem, vt tradunt Beda [b], Amalarius [c], aliíque multi. At quanam forma eam gestauerint veteres Clerici, latáne circa totum caput, an breuiori circulo in summo vertice, id neque tritum, neque à multis scitum. Nam de S. Cutberto Clerico ita loquitur Beda, ut tempora potiùs quàm verticem tonsuræ coronam circumiuisse significet: *Postquam*, inquit, *seruitutis Christi iugum, tonsuraque Petri formam in modum coronæ spineæ Christi caput cingentis, Domino adiuuante Cutbertus susceperat &c.* Si in modum coronæ spineæ Christi caput cingentis, ille tonsus est, vtique non in summo vertice, sed latè circa tempora videtur tonsus. Huic dubitationi satisfieri potest ex doctrina S. Isidori, qui libro primo de Ecclesiasticis officiis [d] apertè tradit, sua ætate, duas Clericos habuisse tonsuras; alteram in summo vertice, alteram inferiùs circum tempora: illáque, tiaram sacerdotalem, hac verò regium diadema significari; iuxta illud B. Petri dictum [e], *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Posterioribus autem sæculis, lata ista corona Monachis relicta, Clerici illam solummodo in summo vertice tonsuram retinuerunt. Obseruaui præterea consueuisse veteres Clericos, adiurare per Clericalem tonsuram, siue Coronam; adeò illam magni fecere prisci Patres. Per eam adiurat Hieronymus Augustinum: *Dominum*, inquit [f], *meum Alipium, & Patrem meum Euodium, vt nomine meo salutes, precor coronam tuam.* Et Augustinus scribens Proculeiano Donatistæ [g]: *Honorant nos*, ait, *vestri: honorant vos nostri. Per coronam nostram nos adiurant vestri, per coronam vestram vos adiurant nostri.* Mitto plura huc congerere de Clericali corona. Adeat lector S. Isidorum li. 1. de diu. off. ca. 4. Amalarium item, Rabanum, Iuonem, cæteros.

a Psal. 67.
b In vita S. Cutberti.
c De Eccl. off. lib. 4 c. 39.
d Cap. 4.
e 1. Pet. 2.
f Epist. 20.
g Epist. 117.

Ad Cap. III. Notæ.

1. ADdimus ieiunium Aduentus Domini. Ieiunium vniuersè Religiosis viris fuisse frequentissimum ex eo clarissimè patet [a], quòd Sulpitius Seuerus Monachos, pallidam turbam antonomasticôs vocet, & ob id [b] Basilius Magnus illorum ieiunium occultari non posse censeat, cùm vultu nimirum ipso, & pallore prodatur. Totum itaque ferè annum ieiunijs, *xerophagijs*, hoc est, vt Tertullianus interpretatur [c], *feris atque aridis escis*, prisci & religiosi transigebant. In hac verò temporum fæce adeò delicati debilésque sumus, vt vel vnius per annum quadragesimæ nos terreat obseruatio? Heu quònam abiit sancta illa alacritas, carmine etiam expressa!

a Epist. ad Bassul.
b In Asceticis.
c De Resur. carn.

Nos oleris coma, nos siliqua
Fœta legumine multimodo,
Pauerit innocuis epulis.
Absit enim procul illa fames,
Cædibus vt pecudum libeat
Sanguineas lacerare dapes.

O quàm verè Gregorius ille Theologus: *Venter parens malorum omnium est ἀρχέκακος*; cui optimè concinit Prudentius Clemens, crapulæ prauos effectus enumerans:

Obstrangulatæ mentis ingenium premit:
Progignitur hinc luxus, & turpis gula:
Vini atque somni deneger socordia:
Libido sordens, inuerecundus lepos,
Variæque pestes languidorum sensuum.

Sed hæc aliàs fortasse fusiùs prosequar. Interea laudandum est mihi, & ab antiquitate probandum, nostræ, & religiosarum familiarum pœnè omnium de Aduentuali ieiunio institutum: Magnopere enim decet, vt non morientis solùm, sed etiam nascentis nostri Redemptoris memoriam stati temporis ieiunio celebremus. Et verò sunt, qui asserant, Gregorium Magnum hoc ieiunium instituisse sed planè falluntur: habeo enim qui eius obseruationis meminerint, Gregorio antiquiores. Chrysostomus [d]: *Si ingrueret*, inquit, *solemnis Epiphaniæ dies: addo etiam, si tempus Aduentus Domini sacri, nedum Epiphaniæ, aut Quadragesimæ*, &c. Beatus etiam Hieronymus in suo Lectionario habet, quinque Dominicas Aduentus ante natale Christi Domini. Quòd si quis contendat hæc loca indicare quidem tempus Aduentus, quoad peculiarem celebritatem Officij sacrarum precum, non autem quotidianum eius temporis ieiunium, afferam Concilium Turonense [e], vbi legitur hæc sanctio *De ieiunijs antiqua statuta à Monachis seruentur, vt de Pascha vsque ad Quinquagesimam exceptis Rogationi-*

d Hom. 3. ad Ephes.
e Turon 2. can 13. Tō. 2. Concil.

bus, fratribus omni die prandium preparetur. Post Quinquagesimam tota hebdomada exactè ieiunent. Postea vsque ad Kal. Augusti ter in Septimana ieiunent, secunda, quarta, & sexta die. In Augusto quotidie prandium habeant. In Septembri, Octobri, Nouembri, ter in Septimana ieiunent. In Decembri vsque ad Natiuitatem omni die ieiunent. Inter Natalem & Epiphaniam, vsque ad Quadragesimam, excepto triduo, item prandebunt. Post Epiphaniam vsque ad Quadragesimam ter in Septimana ieiunent. En disertè hîc habes quotidianum ieiunium in mense Decembri, idque, vt Concilium inquit, ex antiquo Monachorum ritu. Celebratum autem fuit hoc Concilium diu ante Gregorium Magnum, nempe sub Pelagio Papa I. circa annum DLV. Concilium item Matisconense I. quod coactum est aliquot annis ante Turonense, nempe, vt Saussæyus figit, anno Christi 526. iam ante sanxerat ieiunium Aduentus, ternis saltem per hebdomadam diebus, obseruandum. Quid? Nonne vniuersa olim Græca Ecclesia totos 40. dies ante Christi Natalia ieiunabat? Curopalates, vetus & nobilis scriptor, id tradit, disertéque meminit τῆς τεσσαρακονθημέρου νηστείας περὶ γενεθλίου τοῦ χριστοῦ, adnotante Nadabo Agmonio Scholiaste. Sed has istius ieiunij antiquitates alij diligentiùs exquirant. Mihi satis est probasse nostrum hunc eo mense ieiunandi morem non esse recentem, sed priscis religiosis ad vnum omnibus vsitatum.

II. Ciborum parcimoniam, & sobrietatem exactè seruemus.

Memoranda sunt verba Ioannis Cassiani *Eligendus*, inquit [a], *est cibus non tantùm qui concupiscentiæ flagrantis actus temperet, sed etiam qui ad parandum sit facilis, & quem ad comedendum opportuniorem vilioris pretij compendium præstet; quique sit conuersationi fratrum, vsuique communis.* Hæc de ciborum qualitate Cassianus, & qui de quantitate, sic alibi scribit [b]: *Generalis continentiæ modus est, vt secundùm capacitatem virium, vel corporis, vel ætatis, tantum sibimet cibi vnusquisque concedat, quantum sustentatio carnis, non quantum desiderium saturitatis exposcit.* In potu quoque sobrietas tenenda est: adeò vt sancti Patres, Augustinus, Isidorus, & Isaias poculorum numerum suis sodalibus definierint, quem non liceret excedere. Et Augustinus quidem fratribus secum conuiuantibus numerum poculorum, Possidio teste [c], præfixerat. Isidorus verò [d]; *Ternis*, ait, *poculis fratrum reficienda est sitis.* Et Isaias [e]: *Ad ternum vsque cyathum vinum bibat.* Quod multa esse aqua temperandum, vel Ethnici ipsi nos docent. Palamedes in primis sapiens ille Vates; qui, *Illi*, inquit, *prospere nauigabunt, qui ad vnum cyathum vini, miscebunt tres cyathos aquæ.* Consonat Adagium illud vetus, *Bibe quinque & duo*; hoc est, duas partes vini tempera quinque partibus aquæ. Finio cum egregia illa S. Io. Chrysostomi sententia [f]: *Vilis & tenuis mensa, bona valetudinis est mater.* Valetudinis scilicet animi & corporis. Nam, *Qui abstinens est, adijciet vitam*, inquit Sapiens [g].

a Inst. l. 5. c. 23.
b Coll. 2. c. 21.
c In vita Aug.
d Reg. c. 9.
e Orac. 3.
f Hom. 21. in Io.
g Eccl. 37.

III. Ieiunium quartæ & sextæ feriæ. Vniuersam Chri-

ſti Eccleſiam his diebus à carnibus abſtinuiſſe, patet ex Auguſtino [a], ſcribente ad Caſulanum. Extâtque diu ante Auguſtinum editus Canon Apoſtolorum, in hæc verba à Clemente relatus [b]; *Si quis Epiſcopus, &c. Quartam feriam & Paraſceuen non ieiunauerit, deponitor; præterquam ſi impediatur corporis imbecillitate: Sin Laicus ſit, communione priuator.* Ne quis autem interpretetur hunc Canonem de ſola Quarta feria, & Paraſceue hebdomadæ Sanctæ, eò quòd vox *Paraſceue*, illam ſolummodo diem ſignificare videatur, notandum eſt, conſueuiſſe priſcos Græcos, quamlibet per annum feriam ſextam vocare Paraſceuen: quemadmodum Ordo Romanus ſingulos dies Dominicos appellat dies Paſchæ, vt Collector Liturgicarum antiquitatum acutè obſeruauit. Accedit Epiphanius, qui omnem de hac re dubitationem aufert: teſtatur enim [c], ieiunium quartæ & ſextæ feriæ è traditione Apoſtolica proceſſiſſe. Imò S. Iſidorus à veteri lege hanc obſeruationem deriuat: *Statio*, ait [d], *eſt obſeruatio ſtatutorum dierum, vel temporum; dierum, vt quarta & ſexta feria ieiunium ex veteri lege præceptum, de qua ſtatione in Euangelio dixit ille: Ieiunabis in ſabbato, id eſt, quarta, & ſexta ſabbati.* Hos ſanè dies, totus, vt dixi, Chriſtianus Orbis, præcipuè verò Orientales, ieiunio obſeruabant. Hinc frequens eius ieiunii mentio apud Patres. Ignatius ad Philippenſes; *Poſt Dominicæ paſſionis hebdomadam* (qua tota ieiunabant plerique, nihil ſumentes) *ieiunare quartis & ſextis ferijs ne negligatis.* Clemens Stromateus [e]: *Nouit Chriſtianus ænigmata horum dierum, quarti inquam & ſexti*: & Clementis diſcipulus Origenes [f]: *Habemus Quadrageſimæ dies conſecratos ieiunio, habemus quartam & ſextam ſeptimanæ dies, quibus ſolenniter ieiunamus.* His concinit Epiphanius [g]: *Per totum*, inquit, *annum ieiunium bis ſeruatur in eadem ſancta Catholica Eccleſia, quarta ſcilicet, & proximo ſabbato vſque ad horam nonam.* Ratio autem vtriuſque diei ieiunii, eadem eſt, nimirum Crucis Chriſti memoria, vt præter Epiphanium Apollo Abbas [h], Theophylactus [i], aliique [k] tradunt. Origenes verò præcipuè & luculenter, his verbis [l]: *Pridie quàm pateretur Dominus, conſilium inierunt de capiendo Ieſu: quo factum eſt, vt & quarta in hebdomada ieiunium ſeruemus, eò quòd dies illa Dominicæ Paſſionis fuerit initium.* Ideo S. Maglorius, antiquus Dolenſis Epiſcopus [m], *quarta & ſexta feria prorſus nihil ſumebat: quarta quidem feria, quòd tum impij Iudæi in necem Domini Ieſu conſpirarunt: ſexta autem, quòd eum crucifixerunt.* Addit Pantaleo Diaconus [n], ideo ieiunari quarta feria, quòd ea die Angeli rebelles è cælo fuerint eiecti, B. Michaële pugnante. Hæc ſancti Patres de quartæ & ſextæ feriæ ieiunio. Sed & Sabbati ieiunium Apoſtolicum eſſe liquet ex ipſis Apoſtolorum verbis, quæ ſanctus Epiphanius contra Audoënos recitat. *Quando ipſi Iudæi conuiuantur*, (nempe ſabbatis,) *vos, ieiunantes pro illis, lugete.* Eandem rationem affert Auguſtinus [o]: *Ad hoc*, inquit, *ieiunemus, vt quando illi* (Iudæi) *lætantur, nos pro ipſis gemamus. Lætitia enim ſua admonent dolorem noſtrum, & faciunt nos recordari, quàm miſeri ſint adhuc.* Altera nihilominus ſabbatarij huius ieiunij cauſſa affertur ab eodem Auguſtino [p]: nimirum, quòd ſabbato Petrus, & vnà ſecum omnes, qui tunc Romæ erant, fideles ieiunauerint, pridie ſcilicet quàm Apoſtolorum Princeps cum Simo-

a Epiſt. 86.
b Can. 68.
c In fine Pan.
d Etym. lib. 6. cap. vlt.
e Strom. li. 7.
f Hom 10. in Leuit.
g In Anaceph.
h Apud Pallad. in Lauſ.
i In Mat. 14.
k Clem. lib. 7. c. 24 Augu. li. de Ieiunio & epiſ. 86. Baſil. de Barlaam martyre.
l In Marc. .
m Vit. c. 8.
n In Encomio de S. Mich.
o In Pſ. 98.
p Epiſt. 86.

ne Hæreticorum Primipilo dimicaret. Itaque trium horum dierum ieiunia ex Apostolica institutione proueniunt. Postero autem tempore, quartæ feriæ ieiunio ad religiosos viros ablegato, sextæ tantùm feriæ & sabbati obseruationem Romana Ecclesia retinuit. Et illud quidem satis testatur Beda[a], tradens, sua ætate, quarta feria, cunctos religiosos viros ieiunasse. Cæteris verò Christianis, solius bidui obseruationem, remissa austeritate, remansisse, videlicet ciborum potiùs delectum, quàm ieiunium; liquet ex verbis Gregorii Papæ VII. à Gratiano relatis[b].

a Li. 3. Hist. cap. 5.

b De Consec. dist. 5. c. 31. Quia Dies.

IV. Nisi festum, pro quo pridie sit ieiunatum.

Nam solennes huiusmodi dies etiam prisci à ieiunio exemerunt. Epiphanius[c]: *In quinquaginta diebus Pentecostes, non est ieiunium; nec in die Epiphania, & Aduentus, quando scilicet natus est in carne Dominus, ieiunare licet, etiamsi contingat, vt sit quarta aut prosabbatum.* Ex eo autem quòd S. Ambrosius[d], aliique Patres dicunt, intra quinquaginta dies illos post Pascha non esse ieiunium; nolim aliquis concipiat, nos contra ius fásque ieiunare per id tempus sextis feriis, & quartis abstinere à carnibus. Sensus enim SS. Patrum non est prohibere spontanea ieiunia, sed tantùm eo tempore non indicere cum præcepto. Itaque de hac re dici potest illud Apostoli[e]: *Præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Nec desunt exempla veterum. Nam nonnullos speciali deuotione ieiunasse totos etiam quadraginta dies, qui ab octaua Paschæ ad Pentecostem intercurrunt, expectantes videlicet aduentum Spiritus Sancti, patet ex Amalario Fortunato[f], & ex Isidoro[g], cuius verba, quia dubitationem omnem discutiunt, referre libet; vti ea & Gratianus[h] retulit inter sacros Canones. *Post Pascha*, inquit, *vsque ad Pentecosten, licèt traditio Ecclesiarum abstinentiæ rigorem prandy relaxauerit: tamen si qui Monachorum, vel Clericorum, ieiunare cupiant, non sunt prohibendi: quia Antonius, & Paulus, & ceteri Patres antiqui, etiam ijs diebus leguntur abstinuisse, neque soluisse abstinentiam, nisi in die Dominico.* Imò pœnitentes his diebus ex præcepto ieiunasse probat Collector Liturgicarum antiquitatum[i]: erant enim iis plures Quadragenæ per annum iniunctæ. Hæc itaque nostra consuetudo discreta & laudabilis est, ac multis religiosis Ordinibus communis. Dêque huiusmodi consuetudinibus habes regulam S. Augustini[k], memoratu dignissimam; *Quod neque contra Catholicam Fidem, neque contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuimus, societate seruandum.*

c In fine Panarij.

d Ser. 61.

e 1. Cor. 7.

f Eccl. off. lib. 1. ca. 36.

g Eccl. off. lib. 1. ca. 42.

h Dist. 76. post Pascha.

i Tom. 1. de Pascha.

k Cap. Illa autem Dist. 12.

V. Vigilia Exaltationis Sanctæ Crucis, quòd ea die nostra Congregatio sumpserit initium.

Festum sanctissimæ Crucis; eiúsque adoratio, non aliud est, nisi Iesu Christi Crucifixi festum, & adoratio, vt fusè ex Calixto Papa, & ex Bertrando

Episcopo Aurelianensi declarat Saussеyus: ac proinde nos qui Crucis insignia gerimus, & hanc exaltatæ Crucis festiuitatem solemniùs agimus, ipsius Iesu Christi Cruci pro nobis affixi memoriam celebramus. Refert autem Ioannes Molanus, vir sacrarum antiquitatum peritissimus [a], se hæc verba reperisse in vestuto quodam Martyrologio Cœlestinorum: *Sexto Idus Octobris dedicatio Ordinis Cœlestinorum, vbique locorum præfati Ordinis vno die solenniter celebranda.* Meritò itaque & nos in fastis retulimus sacram hanc nostri Ordinis anniuersariam diem, toto quidem Orbe ob recuperatæ siue exaltatę Crucis memoriam celebrandam, sed nobis speciali cultu venerabilem; quòd ea die quatuor illi Viri Patrès nostri, sacrum hunc Ordinem faustissimè condiderunt, votisque Magno Deo in Æde Apostolorum Principis nuncupatis, Ioannis Chrysostomi, aliorúmque Sanctorum, qui eadem luce triumphatis terris ad cœlos quondam euolauerant, felicibus auspicijs, salutarem Crucem sibi nobisque inuictè ferendam leuauere. Et ieiunium quidem pridie eius solennitatis bene indicitur, eo quòd similiter in plerisque Ecclesijs ieiunari soleat pridie festiuitatis Patroni, siue Tutelaris Sancti.

a Notis ad Martyrol.

VI. Secunda & tertia feria ante Cineres.

Tametsi Quadragesimale ieiunium non à Telesphoro primùm institutum, sed Apostolica iam traditione profectum, nouo ab eo decreto firmatum sit, vt tamen solenne hoc ieiunium ante Pascha à Quinquagesima Clerici inchoarent, & per septem hebdomadas obseruarent, Telesphorus sanxit. Debeo eius hîc verba ponere, vt huiusce instituti antiquitatem & firmitatem agnoscant Nostri, & gaudeant se vetustorum Clericorum vestigia premere. *Cognoscite*, inquit [b], *à nobis, & à cunctis Episcopis in hac sancta & Apostolica Sede congregatis, statutum, vt septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes Clerici, in sortem Domini vocati, à carne ieiunent: quia sicut discreta debet esse vita Clericorum à Laïcorum conuersatione, ita & in ieiunio debet fieri discretio Et sicut hi ampliùs sunt applicati diuinis cultibus, & familiares Domini dicuntur Saluatoris: ita moribus, & conuersatione atque sanctitate debent esse distincti. Has ergo septem hebdomadas omnes Clerici, à carne, & delicijs ieiunent, & Hymnis, & Vigilijs, atque orationibus Domino inhærere die noctuque studeant.* Extat item apud Anastasium Nicænum fragmentum constitutionum Apostolicarum, ex lib. 5 quo statuunt Apostoli quadragesimam ineundam esse à feria II. post quinquagesimam: & id seruant hodiéque Græci: & qui vesanus ipsorum est typhus, Latinis exprobrant, quòd hunc septem hebdomadarum ieiunii numerum decurtarint, vt testatur Filesæus lib. de quadragesima. Porrò iis duobus diebus ieiunio quadragesimali adiectis, id mysterium obseruare erit, quod B. Ambrosius memorat, videlicet sicut post 42. mansiones ad terram promissionis à Iudæis peruentum est; ita nos 42. dierum ieiunijs beatam resurrectionis regionem, Christi resurgentis meritis, consequamur.

b Ad finem Epist. To. 3. Epist. Decret.

VII. Communis omnium mensa, communis cibus.

Austeritatem vitæ singularem, non prodendam esse palàm, sed superiorum concessione occultè assumendam, docet Apollo Abbas probatissimus vitæ religiosæ præceptor, apud Pallad. Hist. Laus. cap. 52. Sic sanctus ille P. N. Ioannes Marinonius, sic alij quique ex nostro Ordine veteres Patres. Si qui verò nunc cæteris diuersi, immo aduersi, sodalibus, à carne ouísque publicè abstineant, ijs sanè inculcanda sunt sanctorum monita, atque exempla, qui eiusmodi abstinentiam insueto tempore locóque seruatam reprehendunt. Nam lego apud Theodoretum in Philotheo [a], damnatum Heliodori, viri alioqui sancti, singulare ieiunium: *Ægrè*, inquit, *ferentibus præsidibus, & cum eo contendentibus, & Ordinis perturbationem rem appellantibus.* Insigne item est illud Goffridi Vindocinensis ante 500. annos ex Abbate Cardinalis, Robertum singularibus ieiunijs notabilem Monachum, his verbis hortantis: *Sic ieiunium seruet, vt ieiunando comedat, & comedendo abstineat*, hoc est, *sic quotidie se gerat, vt ventri & gulæ nullatenus satisfaciat.* Sed fusiùs de hac re agit Basilius Magnus, quærítque in Regulis: *Nunquid in fratrum familia permitti alicui debeat, vt plusquam cæteri ieiunet, vigiléve ex proprio voluntatis ipsius arbitrio?* Cui quæso is ita respondet: *Cùm Dominus dixerit: descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me Patris, quidquid quisque ex propria voluntatis arbitrio facit, id cùm facientis proprium sit, alienum est à cultu pietatis, metuendúmque est, ne de eo quod videtur facere, ipsi dicatur à Domino: Ad te conuersio eius, & tu dominaberis ei.* Et paulò inferiùs subdit: *Si verò sit qui necessariò acriore sibi vel ieiunio, vel vigilia, vel alia quauis re opus esse arbitretur, ijs aperito, quibus credita est communis disciplinæ procuratio, & quod illi statuerint, id obseruato. Siquidem fieri poterit plerúmque vt necessitati ipsius alia ratione consulatur.* Hæc Diuus ille verè Magnus. Hisque consentanea habent multa Dorotheus, Gregorius, Bernardus, Bonauentura, alijque Patres sanctissimi & prudentissimi. Ho[s] adeat qui plura volet, ego hanc notationem cum D. Benedicti sapientissimis verbis finio: *Hoc ipsum, quod vnusquisque offert, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione, & voluntate. Quia quod sine permissione Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi.* E contra aduersus eos, qui his quæ communiter apponuntur, minimè contenti (ægrotos, aut debiles senes excipio) aut plura per ingluuiem, aut delicatiora per quoddam delicatæ gulæ fastidium, aucupari industriè solent, communis mensa, communísque cibatio obijcienda est, tantoperè à sanctis Patribus commendata. S. Ioannes Chrysostomus [b], inter cæteras laudes Monachorum, sua ætate in Syria degentium, hanc recenset: *Vna mensa omnibus, & administrantibus, & his quibus administratur: eadem epulæ, eadem domus, idem viuendi ordo.* Deinde subdit, eam rerum epularúmque communitatem oriri ex paupertatis studio, atque ex charitate: *Cur autem*, inquit, *miraris, si vnus viuendi modus, vna mensa, vnus vestitus omnibus sit, cùm omnia quoque vna sint vniuersis, non dico secundùm substantiam* (id enim similiter omnibus est)

a Cap. 26.

b Hom 57. in Matth.

sed secundùm charitatem? Abest inde meum, & tuum: eiectum inde omnino hoc verbum est, quod multorum causa est bellorum. Hunc ipsum morem significat S. Augustinus [a] religiosam vitam laudans: *Quicquid eis infertur*, ait, *à pijs fratribus, cum sufficientia & charitate viuntur. Nemo sibi vsurpat aliquid, quod alter non habeat: omnes inuicem se diligunt, omnes inuicem se sustinent.*

[a] In Psal. 99.

VIII. Communi mensæ nunquam desit sacra lectio

Venientibus ad refectionem (Regula est S. Macharij, & Paphnutij [b]) *nulli licebit loqui: nec alicuius audiatur sermo nisi diuinus, qui ex pagina profertur.* Idem sanxit Concilium Toletanum [c] Tertium: & apud Gratianum, de Consecratione [d], extant item aliud in hanc rem decretum sacrorum Canonum. Duæ verò eius sancti instituti caussæ rationésque afferuntur à Patribus: altera à Cassiano [e] vt scilicet silentium faciliùs struetur: *Illud autem*, inquit, *vt reficientibus fratribus sacræ lectiones in cœnobijs recitentur, non de typo Ægyptiorum processisse, sed de Cappadocum, nouerimus; quos nulli dubium est non tam spiritualis exercitij caussa, quàm compescendæ superfluæ otiosæque confabulationis gratia, & maximè contentionum, quæ plerumque solent in conuiuijs generari, hoc statuere voluisse: videntes eas aliter apud se cohibere non posse.* Altera caussa est, quam S. Augustinus habet in Regula: *Ne sola nobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant verbum Dei.* Nostra Constitutio Augustinum imitatur, cùm ait: *Vt anima æquè cælesti, ac terreno corpus cibo, nutriatur.* Eandem rationem adducit Eutychianus PP. [f] his verbis: *Recitetur sacra lectio, vt non tantùm corporali cibo, imò verbi cælestis alimento conuiuentes se refectos gratulentur.* Et bene factum: alioqui in huiusmodi comedones, qui ore tantùm, non auribus edunt, quadrabit Varronianum dictum; *Notha voluptate, dum edunt, duntaxat gula gaudet.* Inter eos autem libros, qui legi comedentibus debent, præcipuus sit nostrarum Constitutionum iste liber. Sæpissimè per annum regula Benedictinis legitur ex sanctissimi eorum Patris Benedicti præscripto. Idipsum Dominicani, Franciscani, Augustiniani faciunt: immò in Synodo ipsa, hoc est, in Religiosorum annuo conuentu, regulam legi iussam obseruauit Turrianus [g]. Bene factum, vt crebro inculcetur id quod facilè mente dilabitur.

Lector autem sicubi inter legendum errauerit, à superiore est corrigendus, neque ei vnquam noxia conniuentia parcendum est. *Cùm discumberet S. Antoninus*, (inquit vitæ eius scriptor [h],) *lectorem habuit; in quem cùm hæsitare crederet, ita vtramque aurem surrigebat, vt vel minimùm labentem emendationis statim baculo castigaret.* Hæc ille. Quin etiam iterasse lectorem eadem verba reperio, si quando ea iterum legenda Superior demandasset [i]. *S. Hugo Carthusianus cùm aliquid à Lectore audiret de diuinis vel seueritatibus vel miserationibus insigne, idipsum bis aut ter dicere compellebat.* Quod institutum etiam nostris vsitatum Patribus ferunt, præcipuè sancto illi seniculo, Ioanni Marinonio Veneto, vti nos in vita eius, Deo annuente, dicemus.

Sanctificatur itaque quodammodo sacra lectione pauperum Clericorum

[b] Apud Cuikium.
[c] Can. 7.
[d] Dist. 3 c. in omnibus.
[e] Inst. lib. 4. c. 17.
[f] Apud Pœnitentiale Rom. tit. 5. c. 2.
[g] Lib. 2. de iur. ordin.
[h] Apud Sur. tom. 3.
[i] Guido in vita S Hugonis.

refectio, quin & alijs spiritualibus delicijs condietur. Hæc sunt, Benedictio, Culparum publica confessio, Silentium, Gratiarum actio, Ad Ecclesiam profectio, vt pro benefactoribus oretur. Horum singulorum exempla ab antiquitate petamus, vt noui, qui videntur ritus, à vetustate profecti (vt æquum est) censeantur.

Et de benedictione quidem clara res est, & frequens apud historicos mentio. Extat antiquissimi Aristææ de lxx. Interpretibus commentarius. In eo hæc lego [a]: *Etenim vt à mensis incipiamus, rectè iussit Moses tunc Deum laudari, cùm mensæ accumbimus.* Id ipsum Iessæos, & primos ex Iudæis Christianos, *cum summa grauitate stantes antequam discumberent, decenter sublatis ad cælum oculis, & manibus*, factitasse refert Philo Iudæus, oculatus eorum quæ de his scripsit, testis. Quid? Apostolus Paulus, immò etiam Christus ipse ante cibi sumptionem orasse leguntur. De Paulo Lucas ait [b]: *Et cùm lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens: Quartadecima die hodie expectantes, ieiuni permanetis, nihil accipientes; Et cùm hæc dixisset, sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium, & cùm fregisset, cœpit manducare.* De Christo autem Euangelistæ non semel id referunt. Porro vtilitatem quæ ex benedictione orationéque ante cibi sumptionem facta, proficiscitur, Chrysostomus [c] exponit, docens, eam, cùm ad Dæmones abigendos, tum etiam ad nos ipsos in sobrietate continendos valde prodesse. Tertiam huius sancti instituti rationem adijcit S. Basilius Magnus [d], Gregorio Theologo scribens, vt scilicet non solùm pro his caducis escis laudetur Deus, sed etiam pro ijs quæ in posterum nobis in cælis repositæ sunt, spiritualibus escis sanctisque delicijs.

a To. 7. Biblio. SS. Pat. Col. 27.

b Act. 27.

c De fid. Anno.

d Epist. 1.

Benedictione iam peracta, si quid fuerit à quoquam culpæ fatendum publicè, tunc potissimùm fatendum est. Neque enim alter priscis ad noxas propalandas pœnásque irrogandas aptior visus est locus, quàm is quem Refectorium dicimus. Ideo Conuentus Aquisgranensis [e] sub Ludouico Pio decreuit, *vt si quis negligenter quippiam fecerit, vel aliud quid excesserit, in Refectorio mox à Priore veniam petat.* Quem ritum veteres Religiosos passim obseruasse, è sacris scriptoribus liquidò patet. Cuiusmodi illud est quod Syluester II. in vita S. Adalberti martyris refert: is enim auctor est illius Historiæ, vt in M.S. Cód. Capuano reperi:) *Solebat*, inquit, *obedientiam facienti multoties fragile vas frangi: & cùm pro peccato negligentiæ veniam Adalbertus petebat, Angelus superbiæ humilitatem eius ægrè ferens, vt pro nimia frequentia verecundiam ingereret, mala voluntate, testudinem* (id est, vas testaceum,) *frangere adiuuit. Sed quia non cessauit obedientia, nec generauit fastidium maior tristitia, seruo suo Deus solatium dedit in graui ruina, quia tunc illæsa testudo apparuit, & postea, puto, nunquam aliam fregit.* Denique habemus domesticum exemplum pijssimi P.N. Io. Veneti, quem ferunt adeò acutè culpam in suis gestis agnouisse, vbi culpa plerumque nulla inerat vt cùm frequentissimus esset, in se, palam, conuescentibus sodalibus, accusando, neque ab hac consuetudine posset amoueri, vix tandem sibi persuaderi passus sit, (ne tædium ingereret) vt culpas non in conclaui, sed in sacrario coram aliquot Patribus fateretur.

e Apud Cri- K um.

Silentium.

Silentium. *In mensa* (inquit Aristæas) *nihil quidem ad confabulandum concessit, quod diuini numinis memoriam abijceret.* Hæc ille antiquissimus, cui alterum addam testem, non adeò quidem vetustum, sed qui de viris religiosis peculiariter loquitur. Is est Io. Cassianus, qui inter instituta Renuntiantium, (vt ipse vocat,) præcipuam silentij in sumendo cibo obseruationem recenset. *Apud Ægyptios,* ait, [a] *& maximè Tabennesiotas, tantum silentium in conuiuijs exhibetur, vt cùm in vnum tanta numerositas fratrum refectionis obtentu consederit, nullus ne mutire quidem audeat, præter eum qui suæ Decaniæ præest.* Omitto alia, quæ addere possem exempla: nec enim opus. Illud tamen, quod huc pertinet, adnotatum velim, quòd neque Præpositus ipse, si quid inter comedendum contigerit, quod poscere aut iubere debeat, voce vtatur, sed signo tantùm, plausúque manus. Itaque factum suo æuo Cassianus refert: [b] *Decanus*, inquit, *si quid mensæ superinferri, vel auferri necessarium esse prouiderit, sonitu potius quàm voce significat.* Idem statuisse videtur S. Pachomius, [c] *iubens, eum, qui præest, primum omnium in mensa manum extendere.* Quod intellige, cùm ad mappulam (vt nos facimus) resoluendam, tum ad quippiam extenta manu significandum. Quocirca tabulæ digito percussæ sonitu, vice nutus, aut vocis vtebantur, qui sibi sine cunctatione præstò habebant parituros. Itaque Cicero [d] digitorum percussionem dixit, pro eo quod facilè & nullo negotio obtinetur, vt doctissimus Adrianus Turnebus notat [e], Gratiarum actio refectionem immediatè consequitur. De ea hæc habet Moyses in Deúteronomio: [f] *Cùm comederis, & biberis, & satiatus fueris, memor esto Domini Dei tui.* Quem locum videtur egregiè explanare Chrysostomus: [g] *Absurdum*, inquiens, *fuerit, si cùm famuli nostri, si quando partem aliquam eorum quæ apposita nobis sunt, acceperint, nobis gratias agant, benéque nobis precantes abeant; nos cùm tot tantisque fruamur bonis, ne hoc quidem honoris Deo persoluamus, præsertim cùm hinc multam simus assecuturi securitatem. Vbi enim precatio, & gratiarum actio, eò Sancti Spiritus aduenit gratia, abiguntur Dæmones, & omnis aduersaria potestas diffugit, ac discedit.* Seruauit autem hunc ritum Christus ipse, vti Concilium Nannetense paulò post citandum obseruauit. Nam post cœnam illam postremam, & magnam ab eo cum Apostolis pridie quàm pateretur, sacratissimè celebratam surgens, stánsque, vnà cum eis hymnum cecinit, gratias agens, vt Matthæus refert [h]. Hinc etiam obiter elicere potes, Christum ipsum, & Apostolos eius, tametsi alioqui in prædicatione Euangelij occupatissimos, prolixè psallere consueuisse. Recitat quoque Chrysostomus [i] formulam gratiarum actionis, qua Monachi Orientales vtebantur. Sed quid dico Monachi? omnibus Christianis vsitatissimum fuisse, meritóque obseruatum, vt tam ante quàm post cibum hymni precésque adhiberentur, tradit Clemens Alexandrinus in doctissimis suis Stromatum libris, [k] ostendens Ethnicis, quænam Christianis viris viuendi norma esset. Denique ipse, alijque veteres scriptores [l] tam crebrò memorant hunc ritum, vt superfluus sim, plura si velim addere.

Hæc autem ferè omnia quæ singillatim ex antiquitate protulimus Con-

a Inst. lib. 4. c. 17.
b Eod. loco.
c Reg. nu. 11.
d Offic. l. 3.
e Aduers. l. 29. c. 30.
f Cap. 8.
g Hom. 10. in Gen.
h Matth. 26.
i Hom. 55. ad pop.
k Strom l. 1.
l Basil. ep. 1. ad Lug. Euseb. lib. 9. de præp. Euág. c. 1. Chrys. Hom. 10 in Gen.

a Can. 54. cilium Nannetense [a] breui & graui decreto complexum est: *Quando*, inquit, *presbyteri ad conuiuium conueniunt, prior eorum aliquis versum ante mensam incipiat: cibum autem potúmque per vices benedicant, tum secundùm ordinem sedeant, alter alteri honorem prabentes. Ex eorum Clericis, aliquis de Scriptura sancta aliquid legat. Post refectionem, Hymnum, Domini exemplo, dicant, sique talibus in locis contineant, vt ne ministerium vituperetur.* Hæc prisca illa Synodus.

Oblitus autem penè fueram adnotasse quòd fragmina panis, cista olim, vt nos facimus, ad finem comestionis, veteres collegerint. Mitto vulgatum Marci & Ioannis locum, de Christo mandante; *Colligite fragmenta, ne pereant*: Meminit Io. Cassianus [b], amanuensis sportæ, quam Græco vocabulo *procherium* vocat, in hunc vsum fabrefactæ. Ex ea paxamacia promebant; ínque eam, quæ supererant, recondebant in Abbatis Pauli cœnobio, Syri Ascetæ. Lege collationis xix. cap. iv.

b Coll. 19. c. 4.

IX. Cum silentio, lotis manibus.

Neque hoc præterierunt veteres. Pachomius enim in sua verè Angelica Regula ita scribit [c]: *Si egressus fueris à cibo, ne loquaris in redeundo, donec ad locum tuum perueneris.* Et prudenter id cautum ob loquacitatem, quæ eo potissimùm tempore ingruit.

c Reg. nu 14

X. Pro benefactoribus, quos in mensa recitatos, &c.

Hunc grati animi morem primi nostro sæculo Patres nostri in vsum saluberrimè reuocarunt; nam antiquitus Eleemosynas publicè legi solitas additis largitorum nominibus tradit in Ezechielem scribens B. Hieronymus [d]: *Publicè*, inquit, *Diaconus in Ecclesijs recitat offerentium nomina: tantùm offert illa, tantum ille pollicitus est.* Quod igitur olim in templo fiebat per Diaconum, hoc nos in conclaui facimus per lectorem, non vt ij, qui largiti fuerint, *placeant sibi ad plausum populi*, (quod B. Hieronymus eodem loco deplorat,) sed vt id nobis incitamentum sit ad diuinam eis misericordiam & gratiam implorandum. Idcirco statim post refectionem ad Ecclesiam vnà pergimus, ibique gratitudinis ergò orationes fundimus, vel priuatas si (vt in diebus ieiuniorum) Nona iam recitata fuerit; vel in alijs diebus publicas, Nonam scilicet à prandio persoluendo.

d Lib. 6.

Probat verò Chrysostomus id institutum laudandi Deum post sumptum cibum, exemplo Annæ, Samuëlis Prophetæ matris. Libet hîc ponere eius verba, quæ verè aurea sunt ab aureo ore [e]: *Surrexit*, inquit, *Anna, postquam illi comederant, & biberant in Silo, & constitit in conspectu Domini. Quod omnes faciunt tempus relaxationis, illa fecit tempus deprecationis, post conuiuium accurrens ad supplicationem: fontes lacrymarum emisit, mentémque pre se tulit sobriam, & vigilantem: ac post epulas adeò intentè orauit, vt donum acciperet supra naturam, solueretque sterilitatem, ac naturæ imbecillitatem corrigeret. Hoc igitur à fœmina lucri consecuti sumus, vt sciamus & post conuiuium orare. Quisquis enim ad hoc praparatus fuerit, nunquam in ebrietatem, aut vinolentiam incidet, nunquam edacitate distendetur: sed quoniam expecta-*

e De sd. Anna.

tionem deprecationis habet pro fræno impositam animo, conueniente mensura attinget ex omnibus quæ fuerint apposita, multáque benedictione tum animam tum corpus implebit. Si cupimus itaque, vt nobis vel non petentibus eleemosynæ pro victu cultúque satis copiosè erogentur; grati simus Deo, grati Dei ministris hominibus, qui se nobis munificos ostendunt. *Ne igitur* (subdit Chrysostomus) *tantum negligamus lucrum: siquidem conuiuium, quod à precatione cœptum in precationem desinit, nunquam deficiet, sed quouis fonte vberius nobis omnia afferet bona.*

XI. Aut extra mensam aliquid sumere. Ea fortassis de caussa sancitum legimus apud Pachomianos fratres [a], *vt nullus in cella sua eponat aliquid ad vescendum, præter ea quæ à dispensatore acceperit.* Certè Cassianus testatur [b], tanti fecisse veteres Patres vitium furtiuæ comestionis, *vt si quem eius noxæ ream reperissent, non increpatione solummodo, qua leuiora errata plecterentur, sed vel plagis emendarent, vel expulsione purgarent.* Id intelligit iuxta dictam Pachomij sanctionem, nempe, si quis furtiuè, & inscio Prælato præter ea quæ à Superiore, vel eius licentia à dispensatore acceperit, habere, aut etiam comedere ausus fuerit. Quocirca hoc ipsum velut proprij peculij crimen etiam à S. Isidoro graui pœna multatum legimus. *Nullum*, inquit [c], *esus furtiua contaminatio polluat, aut impudens vel priuatus extra communem mensam appetitus. Excommunicationis enim sententiæ subiacebit quisquis vel occultè vel extra communem mensam aliquid degustauerit.* Excommunicatio autem non adeò rigidè, vt sacri Canones accipiunt, hoc loco sumenda est, sed vti Benedictus alijque nonnulli Asceticì scriptores frequenter vsurpant; nempe pro ignominiosa segregatione à consortio fratrum per aliquot dies. Notandum insuper est, non solùm cibum extra communem refectionem, sed etiam vini potum furtiuum prohibuisse priscos Patres. *Vinum*, inquit B. Dorotheus [d], *extra symbolam ne bibas.* Has verò seueras leges, hoc loco adducere volui, non vt Clericis Regularibus graue onus superimponerem, sed vt sciant nostri, atque exteri, nostros ritus moresque veterum exemplo atque autoritate solidè niti: tantóque diligentiùs nobis curandum, vt hæc leuiora seruemus, quanto veteres illos multo difficiliora atque duriora subiisse cernimus. His profectò exemplis, monitisque promouebatur religiosissimus P. N. Thomas Golduelius Asaphensis Episcopus pro Fide Catholica ex Anglia extorris; cui licèt Episcopalis dignitas, & longæua senectus aliquid supra cæteros, inter quos degebat, Clericos videretur posse concedere, eum tamen adeò odisse tradunt occultam priuatámque cibi sumptionem, vt proinde nihil aut pomorum, aut bellariorum, aut huiuscemodi, quæ gulæ ipsæ irritamenta vocabat, in cellula sua vnquam seruare voluerit.

In domo autem Laicorum sæcularium nobis comedere non licet, nisi peregrè profectis. Quam laudabilem & verè religiosam consuetudinem, B. etiam Benedictus suis Monachis seruandam indixit. *Fratres*, inquit [e], *qui pro quouis responso proficiscuntur, & ea die sperant reuerti ad Monasterium, non præsumant foris manducare, etiamsi à quouis rogentur, nisi fortè eis*

a Reg. n. 43.

b Inst. l. 4. c. 16.

c Reg. c. 9.

d Serm. 10.

e Reg. c. 51.

ab Abbate præcipiatur. Quod si aliter fecerint, excommunicentur. Pulchrè huc facit S. Hieronymi dictum: [a] *Facilè contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, non recusat. Nunquam igitur petentes, rarò accipiamus rogati.* Sanctus item Ambrosius: [b] *Prudenter*, ait, *factis conuenire Ecclesiasticis, & maximè ministrorum officijs, arbitror, declinare extraneorum conuiuia, vel vt ipsi hospitales sint peregrinantibus, vel vt ea cautione nullus sit opprobrio locus. Conuiuia quippe extraneorum occupationes habent, tum etiam epulandi produnt cupiditatem. Subrepunt etiam fabulæ frequenter de sæculo: ac voluptatibus claudere aures non potes; prohibere, imputatur superbiæ. Subrepunt etiam præter voluntatem pocula. Melius est tuæ domi te semel excuses, quàm alienæ frequenter: & vt ipse sobrius surgas, tamen ex aliena insolentia condemnari non debet præsentia tua.* Hæc grauissimus ille Præsul & Christiani officij Censor eximius.

a Epist. 2 ad Nepot.
b Lib. 1. Off. c. 20.

CAPVT IV.

De curandis Infirmis.

MAGNOPERE curandum est vt cùm in morbum quis nostrum incidet, ei necessaria ministrentur accuratè, ne consanguineorum beneuolentiam, aut domus suæ commoda desiderare posse videatur. Qui febri, vel graui alio quouis morbo laborant, eis in cellam deferatur cibus. Lecti latiores cum duabus culcitris, & pluribus puluinaribus, concedi poterunt. Præpositus virum sedulum & cùm cæteris virtutibus, tum charitate, & patientia præditum, ægrotis curandis præficiat. Is det operam vt medicorum mandata, & omnia quæ fuerint factu necessaria, conficiantur tempore. Præpositus, & cęteri (si modò fieri poterit) quotidie, aut saltem alternis diebus ægrotos visitent, eosque ad patientiam diuinarúmque rerum desiderium cohortentur. Multi autem ne commorentur simul in eorum cellulis: res friuolas ne tractent; submissa voce loquantur: nec sermonem ęquo longiùs producant.

Senum, & qui imbecilli sunt corporis valetudine, ratio habeatur. Si Pręposito visum fuerit, ieiunandi eos lege soluat: illisque, si necessitas postulare videatur, fratrem Laicum ministrare iubeat. Si pro sua quis tuenda valetudine loci aut cæli mutatione indigere arbitretur, ad orationem primùm confugiat, rem deinde totam P. Generali nôtam faciat: Demum quę ille decreuerit, tanquam omnium optima, summa animi quiete & tranquillitate recipiat, neque ampliùs vrgeat, aut requirat.

Communis medicus pro infirmis omnibus curandis à Superiore deligatur, neque alius à quoquam sine eius licentia adhibeatur.

Ad Cap. IV. Notæ.

I. **MAgnopere curandum est vt cùm in morbum quis Nostrûm incidet, ei necessaria ministrentur accuratè.** Rigidissimis etiam Monachis moris fuit, in ægrotos omnia charitatis & lenitatis officia depromere. Testis huius rei locuples est Pachomius, monastici rigoris aliòqui obseruantissimus Magister, & cultor. Is enim cùm de ægrotis sermonem habet, è rigidissimo euadit placidissimus: adeò (Apostolo teste) *Charitas benigna est. Si quis*, inquit, [a] *ægrotauerit, & habuerit necessitatem, siue desiderium comedendi liquamen de piscibus, vel aliquid eorum quæ comedere non consueuerunt, non manducabit cum fratribus cæteris, sed separabitur, & dabitur ei à ministris ad omnem abundantiam, vt in nullo frater languidus contristetur.* Et B. Hieronymus de eorundem institutis agens [b] egregium Pachomianæ charitati testimonium præbet: *Ægrotantes*, ait, *miris sustentantur obsequijs, & ad omnem copiam præparatis cibis.* Pulchrè id ipsum exequitur, laudatque Cassiodorus, [c] qui cùm dixisset agriculturæ studia terrenos fructus producere, subiecit: *Hæc tamen cùm peregrinis atque ægrotis præparantur, fiunt cælestia, quamuis videantur esse terrena. Quale est enim, languentes aut dulcibus pomis reficere, aut columbarum fœtibus enutrire, aut piscibus alere, aut mellis suauitate mulcere? Nam cùm vel aquam frigidam in nomine suo Dominus pauperi præcipiat offerri, quanto gratius erit diuersis egentibus escas suauissimas dare, pro quibus in die iudicij fructum multiplicata possitis mercede recipere?* Porrò Patres nostri in hac præsertim virtute præstantissimi extitêre, eorúmque eximiam in curandis sodalibus solertiam, laborum tolerantiam, humanitatem, à Principibus quoque viris, magnis laudibus celebratam scio. Et verò quidnam hominum est sub cælo apud quos meliùs collocari beneficium queat, quàm apud charissimos fratres, miserè ægrotantes, quos vna eadémque Religio, hoc est, eadem pijssima Mater, Magno Parenti Christo genuit, aluit, sanctísque laboribus exercuit?

[a] Reg. num. 23.

[b] Præfat. ad Regu. S. Pachomij.

[c] De diu. lec. c. 28.

II. **Præpositus virum sedulum ægrotis curandis præficiat.** Idipsum habet Augustini, hoc est, Clericorum Ordinis institutoris, Religiosa sanctio: [d] *Ægrotantium*, inquit, *cura siue post ægritudinem reficiendorum, siue aliqua imbecillitate, etiam sine febribus ægrotantium, vni alicui debet iniungi, vt ipse de cellario petat, quod cuique opus esse perspexerit.* Mirum certè se in hoc munere præbuit (vt alios prætercam) Matthæus noster Bencius, vir ille omni virtutum genere ornatissimus;

[d] Reg. c. 8.

Valetudinario præfuit complures annos: ad cæteras Ordinis dignitates propemodum præcepto eum cogi oportuit; adeò omne quod sublime videri posset, auersabatur: Ægrorum verò curam lubens suscepit, indefessus habuit; scilicet vt illic suam ille sedulitatem, charitatem prudentiam, factósque ad humanitatem mores, cum in itorum eximio fructu exercendi daretur occasio Itaque vidissēs hominem non muitere solùm, aut verbo tenus solari grauiter ægrotantes sed præesse diligenter, imò adesse & aduigilare assiduè sua illa comitate alleuare mœrentium animos lenire languores, dolores minuere decumbentium, in his, quæ fieri potuissent, occurrere desiderijs singulorum: si quid verò à quoquam cupitum, quod vel ratio, vel nostri Ordinis leges vetuissent, excusare se adeò sincerè & humaniter, vt facilè indicari non posset, quid ægroto optabilius vt aut vtcunque præstari, quod poposcisset, aut tàm bellè benignéque negari Omnino cuncta ille sapientissimè prouidere, exequi verò strenuè & diligenter. Sed ad præclaras eius virtutes, quas Tyronum magister, Visitator Præpositus ostendit, hæc ipsa quæ modò narrauimus, quantula sunt? Finio igitur; neque enim hic locus. Beatam illam animam nunc cælum habet, nos miseros, qui talem amisimus, illi similem non admodum facilè reperturi.

III. Qui eos ad patientiam. Alia est ratio cohortandi ad patientiam ægrotantes sæculares: alia, Dei seruos. Illi enim, vt plurimùm non adeo sublimibus affectibus capiuntur, vt hi, qui heroicè assueti desiderijs, ardua virtutum capessere, si verè religiosi sunt, profectò debent. Itaque cum his agendum est, vt, quod alicubi D. Paulus *nobilissimum* vocat, Christo Domino se similes euadere, cruciatibus gaudeant: Itaque vt Vates ille canit a;

a Prud. Cathemer 10.

> *Mors ipsa beatior in te est,*
> *Quòd per cruciamina lethi*
> *Via panditur ardua iustis,*
> *Et ad astra doloribus itur.*

Eximius verò in ægrotis ad tolerantiam exhortandis fuit è nostris B. Ioannes Marinonius: cuius quidem suauissima verba non Nostrates solummodo, sed aliarum etiam religionum languentes diutino morbo sodales, mira cum voluptate fructúque auscultabant. In his Carthusianus quidam, Marinonij audiendi desiderio captus ipsum obnixè rogari fecit, ad se vt accedere ne grauaretur. Adit ille ægrotum, ad Diui Martini iacentem, atque dulci illo suo alloquio, & feruida charitate adeò solatus est, adeóque ad tolerantiam animauit, vt eius rei etiam ad posteros fama manauerit.

IV. Multi autem ne commorentur simul in eorum cellulis. Et Sozomenus de Nitriæ Monachis loquens ait: *Ad morbo præpeditum visendum; curandúmque, non omnes statim eunt, sed varijs temporibus singuli quicquid habent ad morbum leuandum accommodatum*

secum deferunt. Bene id cautum. Licèt namque scriptum sit [a]: *Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis*: Ea tamen non est censenda aut vocanda visitatio; quam multorum turbant garritus, nugæ, clamores. Ideò S. Pachomius, Angelo sanciente, scripsit [b]: *Ægrotantem absque concessu Maioris nemo visitet.* Ne videlicet molesta conflueret turba, & tædio afficerent languentem, qui debuissent esse solatio.

a Eccles. c. 7

b Reg. n. 24.

V. Senum. Qui dicendi sint senes, & qua demum ætate leuandi sint laboribus, pro vario nationum ritu, varia potest esse opinatio. Palæstini olim quinquagenarium hominem senem propemodum existimasse visi sunt, ex lege scilicet illa de Leuitis [c]: *A viginti quinque annis, & suprà ingredientur, vt ministrent in tabernaculo fœderis; cùmque quinquagesimum annum ætatis impleuerint, seruire cessabunt, eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, vt custodiant quæ sibi fuerint commendata: opera autem ipsa non faciant*: Hoc est, à quinquagesimo anno non laborabunt oneribus portandis Ad eundem modum Romani quinquagenari s militibus missionem dabant, vti habetur ex Liuio lib. 40. iique emeriti senes vocabantur, & veterani. Pythagoras verò apud Laertium humanam vitam partitus est in quatuor ætates, nempe in ver pueritiæ annorum viginti; æstatem adolescentiæ, annorum totidem; autumnum iuuentutis, seu virilitatis annorum totidem, & hyemem senectutis, viginti item annorum. Senes igitur ab eo dicti sunt à sexagesimo vsque ad octogesimum annum. Quod & Ecclesia Christiana aspexisse videtur, cùm sanxit à 21. anno ad senectutem vsque, hoc est (vt multi, iique doctissimi Theologi definiunt) vsque ad sexagesimum annum exactum, ieiunia esse seruanda Eundem igitur religiosis laboribus præfigi terminum æquum est. Quocirca hanc nostris senibus iustam remissionem nostræ hæ constitutiones indulgent. Ad hoc ipsum firmandum spectant Augustini verba [d], quæ superiùs retuli. Iussit etenim Sanctissimus Præsul, non eorum solummodo qui febri, affixi lectulis, vexarentur; sed etiam qui alia quapiam imbecillitate laborarent, curam esse habendam Et Concilium Veneticum [e] huc etiam facit, statuens vt *probatis senibus post emeritos labores, ac etiam propter infirmitatis necessitatem, asperior ab Abbatibus regula remittatur.* Idcirco S. Theodosius Cœnobiarcha instituisse legitur [f] separata cubicula ob valetudinarios senes, & Monachos laboribus debilitatos, appellasséque Græco vocabulo Γεροντοκομεῖον. Idipsum fecisse S. Ioannem Abbatem Synaitam videre est apud S Gregorium Papam, epistola ad eum scripta [g]; quippe qui ad fouendos senes dono mittit benignissimus Pontifex lænas, hoc est, stragula, quindecim. Et vniuersè dico senes eximendos esse à ieiunio, aliisque religiosæ vitæ laboribus, iisque, si opus habeant, administrum è Laicis aliquem assignandum, & antiquitus factum lego in vita S. Ioannis Silentiarij. *Iustum autem esse putaui* (Ioannes inquit [h]) *dum sum adhuc robusto corpore, ministrare, & seruire. vt quando ero imbecillus, minimè condemner si mihi ministrent alij.* Aequa videlicet ratione, vt qui antea se arctè coluisset, senex postmodum liberaliter officioséque tractaretur. Quocirca huius-

c Numer 8.

d Cap. 5.

e Can. 7.

f In eius vita.

g Li. 12. ep. 16.

h Vita cap. 7.

modi emeritæ virtutis viri, etiamsi velint laboribus insistere, exhortandi sunt, vt sibi senio laboréque fractis iam tandem parcant. Exhortare (inquit Climacus [a]) *ex charitate senes, scientia, & actione claros, qui corpora sua in exercitatione contriuerunt, modicum sibi quietis indulgere.* Profectò exhortari non solùm, sed propemodum præcepto adigere opus fuit strenuum illum & veteranum Christi militem, Andream nostrum Auellinum, qui licèt ferè nonagenarius esset, vix tamen à communibus nostri instituti operis arctóque cultu segregem se aliquando fieri passus est. Æmulabatur, opinor, ardens illud B. Bernardi pro Christo patiendi studium: de eo enim Gulielmus Abbas [b] hæc refert: *Videres, ait, hominem imbecillum, & languidum conari & aggredi quæcumque vellet, minùs considerare quid posset, sollicitum pro omnibus, circa seipsum negligentem omnibus in omnibus alijs obedientissimum, sed de se ipso vix aliquando, seu charitati, seu potestati obedientem: semper enim sua, nulla reputans, maiora moliebatur.* O da mihi tales senes, *& ego cibabo eos, si vis etiam auro & poto balsamo*; vti de Sanctissimo Martyre Timotheo is ipse S. Bernardus aliquando [c]. Hæc de senibus atque imbecillis, nunc ad ipsos redeo ægrotantes; quorum si quis graui morbo decumbat, iuuandus erit adsistente sibi diu noctúque è nostris aliquo; vt factum legimus, Gregorio Magno narrante, [d] dum Gregorius Monachus grauissimè ægrotaret: ei etenim Iustus frater administrauit. Prorsus id omne exposcit sollicita charitas, & mutua in languentes beneficentia, atque pietas, tantopere à Christo Domino commendata.

[a] Gradu. 26.

[b] Lib. 1. vitæ eius.

[c] Ser. 30 in Cant.

[d] Dial. lib. 4.

VI. Et qui imbecilla sunt valetudine. De imbecillis leniter benignéque tractandis, iis videlicet qui cùm verè imbecilles sint, debile nihilominus & delicatulum corpus, laboribus, vigiliis, & ieiuniis, quæ religiosa indicit regula, non cessant magis magisque frange e: recitabo prudentissima Diui Diadochi verba, ex eius libro de Perfectione desumpta: [e] *Vt corpus, inquit, multo cibo onustum, languidam & segnem efficit mentem, sic nimia continentia victus debilitatum facit, vt ea pars animæ, quæ in contemplatione versatur, in mœstitia sit, & in fastidio sermonis. Oportet igitur ad motiones corporis cibos etiam accommodare, vt dum corpus valet, quantùm conueniat, castigetur; dum verò non valet, moderatè leniatur. Nec enim infirmo corpore esse debet, qui certat, sed ita firmo, vt sustinendo certamini par esse possit: vt anima etiam laboribus corporis conuenienter præparari queat.* Hæc Diadochus. Nec verò quispiam his verbis abutatur, & debilitatis ac discretionis mentito nomine sibi nimiopere parcat, & stomachum cibis oneret, hoc est, animi simul, & corporis debilitatem, & noxium torporem creet, subiicit paulò post idem Diuus: *Sicut terra, si moderatè sit irrigata, semen sparsum, quod excipit, cum multa fertilitate effundit, multis verò imbribus madefacta, spinas tantùm & tribulos fert: sic terra cordis, si moderato vtatur victu, semina sibi innata atque insita pura edit, & illa quæ sunt à Spiritu sancto seminata, cum multa viriditate & vbertate fructuum profert: sin verò cibo, potúque madeat, ex omnibus cogitationibus suis spinas & tribulos procreat.* Hæc ille prudentissimè. Denique locus iste exigit vt & de pueris ieiunio eximendis

[e] Cap. 45.

eximendis aliquid in medium afferamus. Porrò de hac re satis erunt verba B. Hieronymi, viri alioqui sibi aliisque rigidam abstinentiam indicentis: is itaque ad Lætam scribens, hæc ait: *Corpora, quæ crescunt, vt puerorum; adolescentium, ob natum caloris copiam, copiosiore cibo alimentóque indigent: quo si destituantur, illa tabescere atque marcescere necesse est; è contra autem cauendum quoque est, ne iidem immoderato cibo potúque ingurgitentur atque obruantur: vnde maxima in illorum corpora vitia ægritudinesque promanant.* Audiatur igitur effatum Hippocratis [a]: *Nec satietas, nec fames, nec aliud quidpiam bonum est, quod naturæ modum excedit.*

a Aphor. 4.

VII. Si pro sua quis tuenda valetudine loci aut cæli mutatione indigere arbitretur. Duo hoc mihi loco dicenda sunt: Alterum Præpositis vt officij meminisse velint: ægrotis alterum, vt se pauperes Clericos tum maximè existiment, cùm aduersa laborant valetudine. Et Præpositos quidem non ego, sed Augustinus docet, quamnam methodum adhibere debeant ad ægros dignoscendos curandósque [b]. *Primùm, vt si patens est ægritudo, etiamsi recuset æger, exequatur consilia medicorum Si autem velit aliquid medicamenti aut leuamenti sibi præberi, & fortè non expedit, suæ cupiditati non obediatur: aliquando enim etiamsi noceat, prodesse creditur quod delectat. Si verò latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur.* Hæc ille magnus doctor prudentissimè. Qui verò intelligi debeant famuli Dei, quibus vult S. Augustinus vt sine dubitatione credatur, hoc opus, hic labor est. Si vocabulum Præpositus attendat, omnes sunt famuli Dei; si rem ipsam vereor, non adeò omnes. Hæc itaque ancipitia quis explanabit nobis? Humbertus explanabit; ille, inquam, qui vniuersum Prædicatorum Ordinem, à B. Dominico quintus, cum laude rexit. Is igitur ea Augustini verba declarans [c] docet, *famulum Dei, de quo sanctus ille præsul loquitur, eum præsumi, qui diem noctémque in Dei obsequio impendere anhelat; qui in suis regulis humiliter & deuote se exercet; qui libenter sui Prælati voluntatem, non suam implet; qui bonum communitatis, non priuatum, quærit; qui proximum verbo & exemplo pascit: tali famulo Dei* (concludit Humbertus) *dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur* Verum enimuero quamuis iuxta hanc germanam Humberti interpretationem, vti iure suo Præpositus possit; nihilominus subditi, etiam non adeò perfecti, languores verine sint an ficti, acutiùs perscrutari, internúmque cuiusque sensum anxiè rimari, charitatem non rarò lædit, ægritudinémque si non adsit, inducit. Itaque ab eiusmodi subtili quæstione Præpositus (si me audit) abstinebit: præterquàm cùm viderit, è cuiuspiam semper meliùs atque meliùs, nunquam bene se habentis perpetuis medicationibus, Religiosam Ordinis obseruationem pessum ire, & ea illum arte laboribus sanctísque virtutum studijs facillimè se subducere. Nunc ad ipsos veros ægrotos me conuerto, quos non meis verbis, sed sapientissimi Regum Salomonis, compellabo [d]: *Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum* (hoc est) *ne curam tui, desperando de recuperanda sanitate, deponas: sed ora Dominum, & ipse curabit te. His nimirum verbis hor-*

b Reg. c. 8.

c Cap. 125.

d Eccl. 38. ex Commentario Iansenij.

tatur ægrotos, ne ante omnia arripiant medicorum remedia: sed vt in primis precibus ad Deum confugiant, declarando se illi maximè fidere, illúmque primum esse autorem recipiendæ sanitatis, qui vt verè solus sanitatem confert, ita ex animo precantes exaudit, si saluti eorum expedire conuenerit. Hoc ipsum autem est quod ait nostra Constitutio: *Ad orationem primum confugiat, rem deinde totam Patri Generali notam faciat, demum quæ ille decreuerit, tanquam omnium optima, summa animi quiete & tranquillitate recipiat, neque ampliùs vrgeat, aut requirat.* Petiisti loci cælique mutationem, quam necessariam putabas tuæ valetudini: Quî scis, si quam vtilem putaueras, exauditus à Superiore, perniciosam aut corpori, aut animæ, aut fortè vtrique experireris? Quisquis domi tuæ fueris, pauperem te nunc in domo Dei esse memento: paupertatem enim professus es: Suam quisque sortem metiatur: diuites grandi pecunia salutem sibi quærant: pauperes etiam in ægritudine, imò verò tunc maximè, quòd tunc propiores cælo sint, paupertatem, cuius regnum cœlorum est, seruent. Alioqui (dicam cum Bernardo [a]) *valde dissonum à paupertate erit, in totis fluuijs, hortis, cellariisque reperiri vix posse quod comedas, aut vt ab altero Orbe petantur pharmaca, quæ tibi sub tegmine & nomine necessitatis, siue discretionis, carnis prudentia suggerit adhibenda.*

[a] Serm 30. in Cant.

Claudat hanc Notationem Marinonij nostri memorabile factum. Cui suprema valetudine decumbenti, cùm ab Albertino Villano Collateralis Consilij Triumuiro Perdix opiparè apparata dono missa esset eam intuitu vir beatus; Egone, inquit, senex misellus & peccator, tam pretiosè comedam? Atque eam illico ad quendam virum in Nosocomio Insanabilium miserrimè ægrotantem asportari iussit.

Addam aliquid hoc loco de Conualescentibus. Hos Augustinus vocat *post ægritudinem reficiendos*: déque his ita scriptum decretúmque reliquit [b]: *Sanè quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere, ne grauentur; ita & post ægritudinem sic tractandi sunt, vt citiùs recreentur, etiamsi de humillima sæculi paupertate venerint, tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo Sed cùm vires pristinas reparauerint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei tanto ampliùs decet, quanto minùs indigent; nec cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos necessitas leuarat infirmos. Illos sanè existimet ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores: melius est enim minùs egere, quàm plus habere.* Hæc sanctus ille Pastor, vt solet, prudentissimè. Cuius quidem sententiæ affine illud est effatum vetusti Iuris XII. Tab. *Sanatis idem ius esto, quod fortibus. Ad labores igitur sanati redire ne perendinent, qui fortes robustósque iugiter exercent.*

[b] Reg. cap. 8.

CAPVT V.

De recipiendis & instituendis Nouitijs.

AD diuinum cultum, & totius Religionis progressum, plurimùm interest, vt iis tantùm, qui à Spiritu Sancto ducuntur, & spectatæ vitæ sunt, quique vsui Religioni esse possunt pateat aditus. Quare priusquam quis recipiatur, precationi se totum tradere Patres iubeant. Probetur deinde eius spiritus, & accuratè ac diligenter examinetur de Fide Catholica, de vita, de moribus, de fama, de eruditione, de ætate, sitne ex legitimo matrimonio natus, & vtrùm in aliam Congregationem, vel etiam an alibi in nostram dederit operam vt adscisceretur, aut sit aliquando adscitus: habeatne sorores collocandas, an parentes egentes, aut infirmos; sitne ære alieno grauatus: & si qua horum sunt similia. Quòd si diligentissimè & per plures hebdomadas examinatus, nihil impedimento fuerit, quominus idoneus videatur, qui admittatur, de consensu maioris partis Vocalium loci, modò ne Prępositus dissentiat, recipi poterit. Quòd si fortè in aliqua domo non adsit nisi Prępositus, atque alter tantùm Vocalis, si in recipiendis Nouitiis, aut habitu induendis, aut ad professionem admittendis, Vocalis ille cum Pręposito non consentiat, res tota deferatur ad P. Generalem.

Qui de heresi vnquam suspectus aut delatus fuerit: qui in alia religione professionem fecerit, nullo pacto recipiatur. Qui alius Ordinis habitu tantùm fuerit indutus, si P. Generali cum Consultoribus videbitur, poterit recipi. Qui in nostram semel admissus, postea recesserit: Qui à Patribus cuiuspiam Domus repulsam passus, ad aliam se contulerit: Qui ex legitimo matrimonio non sit, nulla ratione nisi ex consensu P. Generalis recipiatur. Quòd si quis eiusmodi ex rei ignorantia receptus sit, is ne induatur habitu, neve ad professionem admittatur, nisi Prępositi Generalis facultate impetrata. Si quis in aliquam ex nostris Domibus, vt admittatur, postulauerit, ne recipiatur absque illius Domus Patrum licentia, in quam priùs, vt ingrederetur, petierat: nisi fortè in eam Ciuitatem ita se contulerit, ibique fuerit commoratus, vt domicilium mutasse censeatur.

Vbi primùm quis receptus fuerit, tradatur à Pręposito, instituendus, Nouitiorum Magistro, cuius electio à Pręposito maioréque parte Vocalium. (modò ne Prępositus dissentiat) singulis fiat annis; idémque per plures, si videbitur, annos refici poterit. Deligatur autem ex Sacerdotibus, qui præcipua vitæ integritate, morùmque grauitate, sit pręditus; qui prudentia & discretione polleat; qui mansuetudine & seueritate, pro rerum & personarum qualitate, vti optimè nouerit; Qui nostrę Congregationis communes labores libenter & assiduè cum aliis subeat; qui rebus diuinis & Ecclesiasticis non mediocriter sit eruditus; qui mandata Dei, atque consilia, perfectionisque viam verbo & exemplo alios edocere valeat. Is pro facultate sibi à Pręposito concessa diligenter & sollicitè informet Nouitios sibi commissos, Deum ex animo

amare, mundi huius voluptates & illecebras contemnere, paupertatem & humilitatem in rebus omnibus colere; Obedientiam prompto & alacri animo amplecti: puritati, & vitæ innocentiæ magnopere studere: bis saltem in die conscientiam examinare, ter in hebdomada confiteri, diebus Dominicis vnà conuenire, ac coram Magistro culpas suas dicere. Hortetur etiam eos, tentationes, atque adeo cogitationes singulas Magistro suo quàm citissimè, & sua sponte, detegere: tempus in rebus inutilibus non conterere: vanas sæculi occupationes deuitare, silentium opportunis locis ac temporibus seruare; orationis feruorem & assiduitatem diligere; rebus diuinis magnopere delectari, atque cetera Religionis nostræ instituta diligentissimè tueri.

Postquam in nostram Congregationem quis admissus fuerit, per aliquot dies sub habitu sæculari, vitæ nostræ rationem contempletur. Tum si perseuerandi spem exhibuerit, Clericali habitu indutus pro hospite habeatur. Si pro Clerico est admissus, per menses quatuor: si pro Laico, per annum pro hospite reputetur. Hospites, si in sacris sint, ante susceptum habitum ne ministrent in suo ordine. Si sint Sacerdotes, perraro, & non nisi diebus festis, de Præpositi licentia, Sacrum faciant. Si sæpius fieri necessitas loci, aut alia ratio postulare videatur, Præpositi Generalis facultas erit impetranda. Nouitij ad nullum Ordinem promoueantur, sed sola Clericali tonsura, si eam non habeant, initiandi sunt. Si quis Nouitius sit Sacerdos, nulla ratione Confessionibus audiendis exponatur. Ante professionem, nisi aliter P. Generali certa de caussa videatur, nemini nec Philosophiæ, nec Theologiæ lectionibus interesse facultas sit; sed diuino cultui, Ecclesiasticis cæremonijs, sui-ipsius abnegationi, atque deuotis & ad pietatem accommodatis legendis libris vacent.

Professi cum Nouitijs ne versentur, neque vllo pacto colloquantur, ne illi quidem qui vt ingrederentur, operam dederunt, aut eorum confessiones audierunt.

Qui ad functiones Ecclesiasticas inhabilis, aut Religioni oneri futurus esse existimatur, is nulla charitatis aut misericordiæ specie ad professionem admittatur.

Laici scribere, aut legere ne discant, sed cum simplicitate, domesticis operibus vacent; quæ ita temporibus distribuant, vt ad communem orationem cum alijs veniant, Missæ intersint quotidie. Pro Matutino Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam quindecies, pro quaque Hora ter dicant.

Ad Cap. V. Notæ.

I. QVare priusquam quis recipiatur, precationi se totum tradere Patres iubeant. Probetur deinde eius spiritus, &c. Quàm duro examine probarentur olim ij qui claustrum ingredi deposcerent, tradit Cassianus eleganter hoc modo a: *Igitur ambiens quis in Cœnobij recipi disciplinam, non antè prorsus admittitur, quàm diebus decem vel eò amplius pro foribus excubans indicium perseuerantiæ, ac desiderij sui, pariterque humilitatis ac patientientiæ demonstrauerit. Cùmque omnium prætereuntium fratrum genibus prouolutus, & ab vniuersis de industria refutatus, atque despectus, tamquam qui non religionis sed necessitatis obtentu monasterium optet intrare; iniurijs quoque & exprobrationibus multis affectus, experimentum dederit constantiæ suæ, qualisque futurus sit in tentationibus, opprobriorum tolerantia declarauerit.* Seuerus item Sul-

a Li. 4. Inst. cap. 3.

pitius [a] narrat exactam eiusmodi probationem, his verbis: *Precipua* ait, *ibi virtus, & prima, Obedientia est: neque aliter adueniens ad Monasterium Abbatis suscipitur, quàm qui tentatus prius fuerit, & probatus, nullum vnquam recusaturus quantumlibet arduum, ac difficile indignúmque toleratu Abbatis imperium.* Addit his verbis duo, eáque admiranda probatæ obedientiæ ac patientiæ exempla, quæ lubens omitto. Mihi interim, omnibúsque nostris esto compertissimum, necessarium esse, si non adeò durum, saltem diligens aliquod & diuturnum experimentum, eorum omnium qui Religionis portum expetunt: videlicet, *vt in sublimia perfectionis fastigia, talia initiorum fundamenta consurgant* inquit Cassianus [b]; alioquin frustra speretur, posse tam arduum longúmque iter conficere eum qui in ipsis viæ initijs cespitauerit.

a Dial.1 c.11

b Li. 14.c.2.

11. Qui in aliena religione professionem fecerit, nullo pacto recipiatur. Si qui autem è nostris domibus ante professionem dimissi, aut post professionem profugi fuerint, ne turbetur quis; *Sunt enim in Monasterijs quidam sicuti in corpore mali humores: quando euomuntur, tunc releuatur corpus: sic mali quando exeunt, tunc Monasterium releuatur, & dicit, quando eos euomit, atque eijcit corpus: Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me? Non de carne mea precisi sunt; sed pectus mihi premebant, cùm inessent.* Hæc ex Augustino desumpta sunt, paucis verbis immutatis. Ratio, quam S. Thomas [c] affert, cur transitus de vna religione ad aliam non sit laudabilis, concludit etiam, ne vnquam vel rarissimè, recipiantur huiusmodi transitum flagitantes. Ea autem est, quæ sequitur, de lib. S. Thomæ huc exscripta, his ipsis verbis: *Transire de religione in religionem, nisi propter magnam vtilitatem, vel necessitatem, non est laudabile: tum, quia ex hoc plerunque scandalizantur illi qui relinquuntur; tum etiam, quia facilius aliquis proficit in religione, quam consueuit incolere, quam in illa, quam non consueuit, cæteris paribus. Vnde in Collationibus Patrum* [d], *Abbas Nestorius dicit: Vnicuique vtile est, secundùm propositum quod elegit, vt summo studio ac diligentia ad operis arrepti perfectionem peruenire festinet, & nequaquam à sua, quam elegit semel, professione discedat.* Et postea subdit dicti rationem [e]: *Impossibile namque est vnum & eundem hominem simul vniuersis fulciri virtutibus: quas si quis voluerit pariter attentare, in id incidere eum necesse est, vt dum omnem sequitur, nullam integrè consequatur. Diuersa enim Religiones preeminent secundùm diuersa virtutum opera.* Hæc S. ille Doctor. Sed quia ij qui migrant de vno Ordine ad alium, plerunque nituntur autoritati eiusdem S. Thomæ [f], docentis, ea quæ suprà dixit, non obstare, *quin laude digni sint ij qui zelo perfectionis siue obseruatioris Religionis, transeunt de vna Religione ad aliam*; aduertere hos ego cupio, ne fallacis boni specie illecti, spe sua (vt sæpissimè accidit) miserè defraudentur. Nam *qui sic intrat* (inquit Augustinus) *quasi securitatem sperans, neminem quem toleret, habiturus, nescit quid interiùs agatur, nescit quomodo vento intrante, etiam naues in portu collidantur.* Ne-

c 2.2 q.189. a.8.

d Coll.8.c.5

e Cap. 6.

f Eod. art.8

ſcit denique myſticum hoc religionis lilium, dum in his terris eſt, ſine ſpinis non eſſe. Vigeat, vireat, floreat; ſpinas tamen habet, hoc eſt, religioſus quiſque Ordo humani aliquid patitur; quippe qui ex hominibus non ex Angelis conflatus eſt. Itaque fruſtra in hac vita quæri ſtatum aliquem nullis malis admixtum, perfectè quietum: Nam lilium quidem eſt, ſed (vt ſapientiſſimus Regum cecinit) inter ſpinas. Id enim ijs ſignificaſſe verbis (miſſa literali expoſitione, quam eruditè profert Michaël Gliſlerius noſter, libri Canticorum explanator inſignis) declarat S. Auguſtinus in Pſalmum nonum ſupra nonageſimum, ſcribens: Omnino iſtiuſmodi homines, primum locum, cui inſederant, deſerentes, vt meliorem inueniant, rariſſimè ducúntur vel bono vel prudenti conſilio. Et ideo optimè ſanxit noſtra religio *vt nullo pacto recipiantur.*

III. Deligatur autem Nouitiorum magiſter, ex Sacerdotibus is qui præcipua vitæ integritate.

Nouitiorum magiſtrum, hoc eſt, Tyronum in Chriſti militia ductorem, atque inſtructorem, omni virtutum genere debere eſſe conſpicuum notius eſt quàm vt antiquiorum exemplo autoritatéque à me probari oporteat. Vnum nihilominus exploratiſſimum Io. Caſſiani dictum [a] hoc loco ponam, dignum ſanè quod ab omnibus abſque hæſitatione credatur; *Non poſſe ſcilicet alios vtiliter inſtitui ab eo qui virtutum laborioſa certamina re ipſa non fuerit expertus. Harum enim rerum ratio*, inquit ille, *nequaquam poteſt otioſa meditatione doctrináque verborum vel tradi, vel intelligi, vel memoria contineri: totum namque in ſola experientia vſúque conſiſtit. Et quemadmodum tradi niſi ab experto non queunt, ita nec percipi quidem, vel intelligi, niſi ab eo qui ea pari ſtudio ac ſudore apprehendere elaborauerit, poſſunt.* His ſimilia habet S. Baſilius, ſermone de rerum abdicatione. Ipſum audi: *In omnibus deinceps*, inquit, *delecta tibi vitæ ſtudijs certiſſimum ducem ſequaris, eiuſmodi videlicet, qui certum iter ad Deum volentibus pergere, ſciat commonſtrare, qui ornatus ſit virtutibus, cuius vniuerſa totius vitæ actiones teſtimonio ſint, charitatem in eo erga Deum ineſſe, qui diuinarum literarum ſcientiam habeat, virum integrum, ab auaritia abhorrentem, minimè libenter gerendis ſe negotijs admiſcentem, quietum, amantem Deum, egentium ſtudioſum, minimè iracundum, memorémque iniuriarum, natura propenſum ad eos docendos qui ad ipſum accedant: quem gloria inanis non inflet, ſuperbia non extollat, adulatia non frangat; ſeuerum atque conſtantem, cui denique Deo nihil ſit potius.* Hæc requirit magnus ille Baſilius in vitæ ſpiritualis Magiſtro.

a Epiſt. ad Caſtorem.

IV. Qui prudentia & diſcretione polleat.

Bene eſt: modò eiuſmodi ſit prædictus prudentia & diſcretione, quæ religioſos decet, & ad religionis inſtituta omnia, ea etiam quæ minima videntur, ſeruanda, apta ſit; non autem falſa illa, & mundi legibus affinis. Non hîc mea, ſed D. Bernardi proferre verba poſſim, falſæ huiuſmodi diſcretionis damna ingentia, & innumera, quæ clauſtris religioſis infert, vberrimè de-

plorantis: sed quia eadem multò magis ad Præpositos, quàm ad Magistros Nouitiorum spectant, ideo illuc vsque sunt differenda.

V. Informet Nouitios sibi commissos, obedientiam prompto & alacri animo amplecti.

Id quoque idem Cassianus inquit his verbis [a]: *Cuius*, Institutoris, *hæc erit sollicitudo, & eruditio principalis, per quam iunior introductus ascendere consequenter etiam culmina religionis summa prævaleat, vt doceat eum primitus suas vincere voluntates: quem studiosè in his & diligenter exercens, hæc illi semper imperare curabit, quæ senserit animo eius esse contraria.* Plura in hanc rem addit Cassianus, quæ consultò, ne longiores simus, omittimus. Non tamen præteribo Christi sententiam hoc primum omnium deposcentis à discipulo suo; *Vt abneget semetipsum*, (hoc est, vt in eum locum Patres exponunt,) vt per obedientiam animus, spiritualis Deo victima offeratur. Meritò igitur exclamat magnus ille Climacus [b]: *Beatus qui voluntatem suam ad finem vsque mortificauit, suique ipsius curam omnem atque diligentiam spirituali magistro permisit: nam ad Crucifixi dexteram constituetur.*

a Inst. l. 4. c. 8.

b Gradu 4.

VI. Tentationes suas, atque adeò cogitationes Magistro suo quàm citissimè, & sua sponte detegere.

Id plurimùm conducere ad spiritualis vitæ fundamenta firmè iacienda, meritò existimarunt Tabennenses Patres. *Instituuntur* (narrat de iis Cassianus [c]) *nullas penitus cogitationes prurientes in corde perniciosa confusione celare, sed confestim vt exortæ fuerint, eas suo patefacere seniori, nec super earum iudicio quidquam suæ discretioni committere, sed illud credere malum esse vel bonum, quod discusserit ac pronuntiauerit senioris examen. Itaque fit, vt in nullo circumuenire iuuenem callidus inimicus, velut inexpertum ignarúmque, præualeat, nec vlla fraude decipere, quem peruidet non sua, sed senioris discretione muniri: & suggestiones suas, vel ignita iacula quæcunque in cor eius iniecerit, vt seniorem celet, non posse suaderi.* Ad hunc modum egregiè Cassianus, siue apud Cassianum vetusti Patres, de cogitationum cita manifestatione disputarunt. E contra autem *Generale* dicunt. *& euidens indicium est diabolicæ cogitationis, si eam seniori confundimur aperire.* Et in quàm magno tum periculo versemur, Serapion Abbas [d] ex Salomonis verbis [e] ostendit: *Si momorderit*, inquit, *serpens, non in sibilo, non est abundantia incantatori, idest, si per confusionem suggestio seu cogitatio diabolica, incantatori quidpiam spirituali sollicitet, Magister, cui carminibus scripturarum mederi protinus vulneris, & extrahere de corde conuenit noxia venena serpentis, si patefacta non fuerint, succurrere periclitanti perituróve non poterit.*

c Lib. 4. c. 9.

d Coll. 2. c. 11.

e Eccl. 10. secundū 70.

VII. Bis saltem in die conscientiam examinare.

Huiusmodi examinis vtilitatem satis, vt arbitror, superiùs explicauimus. Nouitiis verò cùm non semel tantùm, sed sæpius die cogitationes inspice-

re, & componere expediat; vt id libentiùs diligentiúsque exequantur; recitabo hoc loco insigne exemplum à Climaco allatum, Monachi cuiusdam, ad cuius latus cùm Climacus appensum breuem libellum conspiceret, didicit eum quotidie cogitationes suas in eo notare consueuisse. *Nam optimus* (subiicit idem autor [a]) *ille Trapezita est, qui quotidie vespere lucrum ac detrimentum omnino computat. Quod scire manifestiùs non potest nisi horis singulis in tabulis omnia denotet. Nam cùm calculi singulis horis ponantur, totius diei ratio postmodum clariùs agnoscitur* Hæc habet Climacus. Si itaque illi in horas singulas tam exactè in seipsos inquirebant, quidni, bis saltem die, nostri Ordinis Tyrones puluerem mundanarum cogitationum è corde diligenter excutiant?

a Gradu 4.

VIII. Per aliquot dies suo habitu sæculari vitæ nostræ rationem contempletur De hac re sic lego in vita S. Ioannis Calybitæ dixisse Acœmetas Patres: *Nobis autem mos est, vt qui monasticam vitam amplecti velit quadraginta dies apud Monasterium versetur: & cùm exercitationis nostræ regulam considerauerit, ita tondeatur.* Quid simile habes in Regula Pachomij [b], & apud Io. Climacum [c]. Non enim induebant religioso habitu quemquam, nisi postquam sua veste indutus, & sui ipse experimentum dedisset, & Regularis vitæ rationem probè edidicisset. Subitariæ quippe illæ & præproperæ vestium religiosarum in obuium ferè quemque iniectiones, hinc leuitatem arguunt, inde fœdæ pœnitudini viam sternunt.

b Num. 26.
c Gradu 4.

Eiúsque vestes, donec professionem emittat, in communi Vestiario reponantur. More scilicet Thebaidis & Ægypti Monachorum, de quibus Cassianus ita scribit [d], *Illa verò quæ* (Monachus) *deposuit vestimenta Oeconomo consignata tandiu reseruantur, donec profectus, & tentationis eius & tolerantiæ virtutem diuersis tentationibus ac probationibus euidenter agnoscant.* Subditque, eiusmodi vestimenta veluti veteris hominis exuuias, egenis olim erogari solitas. Vide etiam Pachomium de hac re sancientem [e].

d Inst. lib. 4. c. 6.
e Reg. nu. 26.

IX. Professi cum Nouitiis ne versentur, neque vllo pacto colloquantur S. Hieronymi ad Nepotianum Regularem Clericum scribentis [f] sententia est, Clericis omnibus memoranda: *Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris* Vitandæ igitur sunt adolescentulorum consuetudines. Olim quippe nedum familiaritatem, sed omne etiam breuissimi colloquij genus cum Nouitijs fuisse prohibitum liquidò patet, cùm ex Cassiano [g], Pachomio [h], Isidoro [i], Isaia Abbate [k], tum præsertim ex S. Bernardo [l], hæc dicente: *Fortè erit inter vos, qui tacitus respondeat, quod ego consilium dabo fratri, cui nec vnum quidem dicere verbum fas est, absque licentia?* Quàm verò duriter eius legis transgressores puniti fuerint, tradunt iam dicti Patres; quos qui volet, adeat, Nemo

f Epist. 2.
g Inst. lib. 2. c. 15.
h Reg. n. 90.
i In Reg. Mon.
k Orat. 3.
l Serm. 3. de Aduentu.

Nobis consilium non est de iudicijs pœnísque hîc agere. Illud tamen reticere non debeo:

Nouitios cum exquisito delectu ad religionis habitum siue professionem admittendos. Alioqui magnam perniciem Religioso Ordini comparabit is qui absque discrimine omne hominum genus, plerumque indoctos, ineptos, ceruicosos, membris captos, luxatósque, perfectionem vitæ spiritualis non seriò conquirentes, addo & tenellos pueros, in religionis caulam incautus pastor induxerit; nihil minùs satagens curánsque, quàm id quod curare debuisset maximè, nimirum domus Dei decorem, atque animarum lucra, per idoneos operarios administrari. Non sic Carafa noster, grauissimus ille nostri primùm Ordinis, mox vniuersi Christi gregis Pastor, quem tradunt, nouitium auidiùs manducantem illico expulisse: quòd *in Religionis Congregationibus* (vt Climacus autor est [a]) *gulæ illecebra ruinam omnem, & negligentiam atque contemptum, operetur.* Antiqui item Patres quàm duros difficilésque se præbuerint in recipiendis ad cœnobia nouitijs, iam suprà narrauimus. Detrimentum autem iacturámque incredibilem, quæ ijs aut promiscuè receptis, aut negligenter probatis, Religioni infertur, nulla vnquam oratio narrauerit. Audi interim Franciscum Riberam Soc. Iesu Theologum, eruditione & vitæ probitate insignem.

a Gradu 4.

„ Multum, inquit [b], ad incolumitatem omnium Religionum pertinet, „ præsertímque earum, quæ non suam modò, sed omnium etiam salutem „ propositam habent, vt pauci in eas admittantur, iíque eiusmodi sint vt „ certis argumentis constet vocari à Deo ad illam Religionem. Certis, „ inquam, & diuturnis: non enim facilè omni spiritui & omni vocationi „ credendum est, sed probandi sunt spiritus an ex Deo sint. Nam sæpè ex „ Deo non esse, qui maximè videntur, exitus indicauit. Indicauit etiam „ longi temporis vsus, nullam esse certiorem ac præsentiorem Religionibus pestem, quàm multitudinem. Nam quæ dicuntur pestes,& sunt, ambitiones, auaritiæ, voluptates, contentiones, & æmulationes, ex multitudine oriuntur. Ac si quis putat, in magna hominum multitudine, mortificationem, & humilitatem, & pacem, concordiámque animorum conseruari posse diu, id putat, quod neque in hunc diem vsque „ factum est, neque vnquam fiet. *Quid est*, inquit Salomon [c], *quod fuit? ipsum quod futurum est.* Pauci qui perfecti essent, aut qui ex animo ad „ perfectionem properarent, omni tempore inuenti sunt: multi qui diu, „ nullo. Senex est iam mundus: non mutabit mores, opinor. Quod pretiosum est, rarum fuit semper: & *stultorum* [d] *infinitus est numerus:* & post „ pauca, idem Ribera hæc subiicit:

b In Oseæ c. 2.

c Eccl. 1.

d Eccl 1.

„ In ijs autem, qui lumen Ecclesiarum, & exemplar sanctitatis, & quasi „ stellæ lucentes in cælo esse debent, nullos esse oportebat, (saltem post „ tempus probationi præstitutum ad ineptos foras mittendos,) qui non „ essent iam perfecti, aut perfectionis sinceri veríque sectatores. Quorsum enim probationis tempora constituti in Religionibus Deus voluit, „ nisi vt illi excluderentur, qui tales non essent? At nunc earum modera-

„ tores, nulla de re magis sollicitι esse videntur, quàm de sua quisque Re-„ligione augenda, & propaganda, déque nouis domibus extruendis: „nec quotidiana malorum experientia vnquam admonentur. Hæc ille sapientissimè, & verissimè.

Laicos autem, qui Clericis administrent, non adeo diligenter & seuerè, antequam recipiantur, explorare oportebit. Sat erit ætatem inspicere. quæ laboribus sit idonea: voluntatem item, vt spem exhibeant vitæ, & constantis in Dei obsequia propositi At ij postea quam recepti fuerint, difficiliùs fortasse educabuntur, quàm Clerici, ideóque opus habebunt oculatissimo institutore, qui horum ingenia pernoscat, probet, & timore etiam pœnæ coerceat. Duo item meminerit ab huiusmodi operarijs abigere; desidiam, & literas discendi studium: illam excutiet, si nunquam eos otio torpescere sinat; curétque vt semper inueniat eos Diabolus occupatos: (in qua tamen re ne sit nimis durus assiduúsque exactor, & Pachomianæ sententiæ recordetur [a]: *Ne plus operis fatres facere compellantur; sed moderatus labor omnes ad laborandum prouocet*) Literarium verò studium facilè & sua spontè deserent, si libri auferantur, iisque persuadeatur, vt simplicitate potiùs, vitæque innocentia, quàm eruditione, Deo placere enitantur. Legendus erit Thomas à Kempis, in vita B. Florentij, Antistius in vita B. Aloysij Bertrandi, qui de hac re prudentissimè loquuntur. Præterire autem non debeo verba ipsa Cassiodori, qui licèt de rusticis Monasteriorum famulis loquatur, eadem tamen ad domesticos nostros ministros spectare videntur [b]: *Ipsos*, inquit, *qui ad nostrum ministerium pertinent, bonis moribus erudite, quos adiectarum pensionum pondere ne grauetis: scriptum est enim; Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Illud verò, quod familiare rusticis esse comprobatur, furtum nesciant, & viuant innoxio proposito, & simpliiitate felici.* Hæc sanè prudenter: nam vt sapiens ille Philippus solitarius asserit [c], *Alium Deus noster per scientiam, alium per simplicitatem saluat.*

Et quia de operarijs Laicis nunc sermo est, fortasse locus iste requirit, vt de eorum loco dicam aliquid è prisco ritu. Video enim alicubi hos in Odeum (Chorum vulgo vocant) introductos, prauo certè exemplo, & nouitio more. Velim igitur eos numquam in choro degere; atque adeò inhiberi, ne cum Clericis Presbyterísque preces suas, ne mente quidem persoluant. Sit eorum orationis locus Ecclesia, longè extra cancellos presbyteriúmque. Ita seruarunt vetusti Patres ad vnum omnes tam seuerè & constanter, vt neque ipsos Reges Augustósque Cæsares aut intra sacrarium, aut intra Presbyterij cancellos consistere permiserint: vt de Theodosio seniore narrant historici. Nec mihi dicas, huiusmodi operarios, veluti religiosos homines, posse in hac re priuilegio aliquo gaudere. Nam Dionysius Areopagita [d], Monachos, qui sua ætate erant vt plurimùm Laici, extra cancellos statuit, longè à sacerdotibus Clericísque, ea videlicet ratione, ne Ecclesiasticæ militiæ acies, perturbato ordine, inuicem miscerentur, sed suo quæque loco consisteret.

a Reg. nu. 100.

b Li. 1. Diuin. lect.

c Li. 3. Dioptræ c 37.

d Eccl. Hier. c. 7.

CAPVT VI.

De Studijs, & Scholasticis.

NECESSE est, Clericos, vtpote verbi Dei sacrorumque ministros, omni quidem bonarum literarum genere, præcipuè verò Theologiæ eruditione esse conspicuos, ne diuina mysteria per imperitos cum ordinis dedecore exerceantur.

Clerici dum sunt Nouitii, post spiritualium rerum occupationes, humanioribus literis, si necesse habeant, diligenter studeant. Ante professionem scientiis ne vacent, nisi à P. Generali obtenta licentia

Nemo ad Logicam vel Philosophiam audiendam admittatur, nisi qui Latinam linguam calleat. A Logica ad Philosophiam, à Philosophia ad Theologiam ne transeant, nisi qui à Præposito, & Vocalibus, suoque magistro inuenti sint idonei Vt schola sit frequentior, designentur certæ domus ad quas ex aliis, studiorum causa demigretur. Tres deputentur anni, quibus Logicę & Philosophię operam nauare possint. Theologię non plures quinque, non pauciores quatuor. Per id totum tempus lectiones à Magistro assiduè audiant, illasque postea repetant, ac dubitationes de ea in orbem quotidie proponant.

Singulis hebdomadis habeantur disputationes; in quibus vnus conclusiones propositas defendat; vnus & alter argumenta contraria obiiciat. Disputationibus & repetitionibus huiusmodi intersint quandoque Prępositus, & Vocales, quo animum Scholasticis addant. Ne legendis aliarum scientiarum libris distrahantur, dentur singulis à Pręposito & Magistro, libri, quos solos possint legere. Diebus non festiuis detur scholasticis professis, si videbitur, alternis vicibus remissio, ne cum aliis in Choro pro diuino Officio recitando conueniant. Si qua de causa Magistrum diutiùs abesse contigerit, mutuis, quas ille pręfinierit, lectionibus se exerceant, ac solitam vacationem habeant. Aduertant Præpositi, ne concessum scholasticis studendi tempus, rebus inutilibus, aut otio absumant, neve cùm alii ad matutinas preces persoluendas surrexerint, illi in cellulis dormiant: sed primum omnium est curandum, ne qui studiis fuerint destinati, orationis assiduitatem, & animi modestiam negligant. Verùm ita eruditionem cum pietatis ardore coniungant, vt alterum alteri emolumento esse possit. Expleto statim studiorum curriculo, aut si magistri actu ampliùs non legant, teneantur rursus Horis omnibus Canonicis, vnà cum aliis interesse.

Ad Cap. VI. Notæ.

1. NEcesse est, Clericos, vtpotè verbi Dei, Sacrorúmque ministros, omni quidem literarum bonarum genere, &c. Puto hæc fuit ratio qua antiquitus bonæ artes in monasterijs edocerentur. De qua re Concilia & Patres non rarò meminerunt [a]. Debeo autem, cæteris, ne longior sim, omissis, referre hoc loco Concilij Toletani Quarti grauissima verba: Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populo susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas frequenter admonet Paulus Apostolus, dicens ad Timotheum: *Intende lectioni, & exhortationi.* Igitur Sacerdotes Scripturas sanctas & Canones meditentur, vt omne opus eorum in prædicatione Diuina, & doctrina, consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quàm operum disciplina. Hæc Toletani Patres, & meritò: nam cùm verum sit quod S. Thomas [b] ait, *Clericum habere officium docendi, & pascendi populum:* cúmque iuxta illud Euangelicum, Nemo literas scire possit, nisi antè didicerit; liquidò sequitur, oportere Clericos literis nauare operam, eo tamen modo, vt secundùm sanctam illam & sapientissimam Beati Francisci admonitionem [c], *Spiritum non extinguant.* Porrò si Monachis illis Pachomianis legimus [d] iniunctum, vt *omnino nullus esset in monasterio, qui non edisceret literas, & de scripturis aliquid teneret:* quanto magis id sanciri & seruari debet in domicilijs, Collegijsque Clericorum? vt videlicet nòn solùm discant legere, & scribere, (id enim Pachomius per illud, *literas*, significat,) sed etiam humanioribus studijs, Philosophiæ insuper, Theologiæ, & linguarum cognitioni seriò incumbant. Profectò legimus in vita S. Fulgentij Regularis Clerici, & eruditissimi Episcopi, *beatum virum valde dilexisse scholasticos adolescentes.* Narrat enim vitæ eius scriptor [e], *Laborantes fratres, & opera carnalia indefessis viribus exercentes, lectionis autem studium non habentes, minùs diligebat, nec honore maximo dignos iudicabat. In quo autem fuit scientia spiritalis affectus, etiamsi virtute corporis destitutus, laborare manibus nunquam posset, peculiariter habebatur dilectus, & gratus.* Hæc vetustus ille scriptor de Præsule illo virtutibus fulgentissimo. Quæ certè nullo modo pertinent ad eos scholasticos, qui à literarum studio, nihil spiritalis affectus, quem potissimùm Fulgentius ab ijs requirit, plurimùm verò loquacitatis, superbiæ, & diuini cultus negligentiæ, ingenti quidem Christianorum damno, nec minore sui ipsorum exitio referunt. Deplorat hæc mala Io. Climacus, his verbis [f]: *Vidi plerumque teneros pueros simplicitate ac decore mirabiles, sapientia & eruditionis, atque vtilitatis*

a Gangr. Can 9. Cabil. c. 3. Nannet. c 9. Euseb. l. 5. c 10. Euch epist. ad Salon. Greg. Turo. l. 1. de Mirac. & in vita S. Patrocli. Burch l. 1. c. 156. C. omnis ætas 12. q. 1.
b Lib. 9. impug relig. c 3.
c Apud Bonau. in eius vita.
d Reg. nu. c. 8.
e Cap. 25.
f Gradu 4.

acquirendæ gratia, ad magiſtros proficiſci, nihilque inde eruditionis conſequi, niſi tantum faſtum & nequitiam, ex reliquorum contubernio. Et recentior quidem Climaco Bernardus eiuſmodi præpoſterum literarum ſtudium relicto maiori bono, quod cultus Dei eſt, & ad res ſpirituales affectio, his verbis exagitat[a]: *Videas quempiam tam vehementer affectare ſcientiam, vt laborem non reportet, tantummodò vt poſſit aliquibus doctior reputari. Sic ædificant Babel, ſic concupiſcunt quod non expedit, quod expedit, amittentes.* Quocirca idem D. Bernardus bonum inſtituens ſcholaſticum, duos illi oſtendit rectos, in quos intendat, duos item prauos, quos caueat fines[b]: *Non ignoro, inquit, quantum Eccleſiæ profuerint, & proſint literati ſui, ſiue ad repellendos eos qui ex aduerſo ſunt, ſiue ad ſimplices inſtruendos. Denique legi, Quia tu repuliſti ſcientiam, repellam & ego te, vt non fungaris mihi ſacerdotio. Legi, Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Sed & ſcio vbi legerim: Scientia inflat, charitas autem ædificat.* Et paulò poſt ſubdit: *Sunt qui ſcire volunt tantùm eo fine vt ſciant, & turpis curioſitas eſt; & ſunt, qui ſcire volunt, vt ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt: qui profectò non euadent ſubſannantem ſatyricum, & ei qui eiuſmodi eſt, decantantem:*

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Et ſunt item qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam vendant, verbi cauſa, pro pecunia, pro honoribus; & turpis quæſtus eſt: Sed ſunt quoque qui ſcire volunt, vt ædificent, & charitas eſt; Et item, qui ſcire volunt, vt ædificentur, & prudentia eſt. Horum omnium ſoli vltimi duo non inueniuntur in abuſione ſcientiæ: quippe qui ad hoc volunt intelligere, vt bene faciant. Denique intellectus bonus omnibus facientibus eum. Hæc D. Bernardus. Inuigilent igitur & Confeſſarij & Præpoſiti, ac diſcutiant examinéntque diligenter, num cum literarum ſcientia ſpiritualem affectum coniungant ſcholaſtici, an verò è contra, ſua ipſorum culpa, ſpiritum literis ſuffocent, atque extinguant. Vtque id diſcernere probè poſſint, ea tepidi ac diſſoluti animi indicia, quæ idem Bernardus[c] ſignatè oſtendit, apud ipſum legant. Sed quænam clariora diſſolutæ mentis indicia, quàm facetijs, garritibus, luſibus totas conſumere horas, diuini autem officij penſum, liturgiæ miniſterium, mentalis orationis ſtata tempora, & illibenter adire, & oculis vagis, artubus incompoſitis exigere quàm citiſſimè? ſacris item vigilijs ieiunijſque ſeſe per ſummam ignauiam varijs artibus eximere? Horum ergo quidpiam ſi in ſcholaſtico Præpoſiti deprehenderint, oportet vt ſtudi s literarum amotum primùm blandè moneant, deinde, ſi opus erit, etiam ſeuerè caſtigent: Ex eo quippe morbo niſi maturè occurratur, mala innumera prodeunt, & vniuerſo Religioſo Ordini certum paratur exitium.

[a] Serm. 3. de Aſcenſ.

[b] Serm. 3. in Cant.

[c] Serm. 6. de Aſcenſ. Serm. 63 in Cantic.

11. Ne legendis aliarum ſcientiarum libris diſtrahantur. Non parua ſanè eſt corrumpendæ iuuentutis cauſa, illa vaga librorum quorumcumque lectio. Incidunt enim ſæpe ſcholaſtici in Poetarum libellos, quorum allecti verſiculis, grauiora ſtudia deſerunt, & in his miſeri conſeneſcunt, tunc ſe re-

rum selectarum ditissimos fore opinantes, cùm suas scidas aduersariáque repleuerint flosculis poëtarum, quibus postmodum suas conciones inspergant, hoc est, vanos spiritus lasciuósque & ipsi primùm hauriant, & auditoribus deinceps de superiore loco propinent. Id certè vitium Religiosis maximè viris euitandum sedulò monet disertus ille Arias Montanus, ad Apollinarium scribens. Illum adeat virtutis cupidus adolescens, dediscátque eiusmodi puerilia deinceps persequi,

Et componere nenias,
Et tempus studijs perdere inanibus.

111. Detur Scholasticis si videbitur alternis vicibus à Choro exemptio. Tametsi huiúsmodi exemptionis exemplum rarò, aut fortè nullibi (quod legerim) clarè extet; Sulpitius tamen Seuerus, quid simile significat, cùm scribit [a], In Monasterio S. Martini *minorem ætatem deputatam fuisse scriptorio operi, maiores orationi vacasse*, vt superiùs dictum est. Id ipsum, vt existimo, permouit S. Dominicum, vt breuiùs Canonicarum precum officium suis sodalibus institueret: nempè vt humanis diuinísque scientiis perdiscendis, & populis instruendis, tempus aliquod superesset à psalmodia Diuinóque cultu.

[a] Vita S. Mart. c. 7.

Ad finem huius sexti Capitis obiter firmabo, facere nos ex veterum autoritate erudiendo scilicet non publicè exteros, sed priuatim nostrates solummodo Clericos. Puriùs se religiosi instituti decus candorémque seruaturos nostri Patres censuerunt, si exterorum scholasticorum turbam submouissent, more videlicet vetustæ Isidorianæ sanctionis [b]. *Schola in Monasterio non habeatur; nisi eorum qui oblati sunt* Oblati, inquit, idest, diuino seruitio sub veste religiosa iuuenes destinati. Scimus alios aliter facere; & per nos faciant, licet. Suus porrò cuique Ordini laudabilis mos ritúsve constanter est retinendus. Alioqui si in aliorum Ordinum mores institutáque immigrare velimus; proculdubio eueniet id quod Cassianus [c] acutè præuidit, *Vt dum omnem sequimur institutionem, nullam integrè consequamur.* Hic etiam locus me admonet, vt de illis etiam, qui paruipendunt suæ Religionis statum, aliena instituta semper extollunt; assiduéque in ore habent, alibi vigere disciplinam, atque obseruantiam regulæ. Et verò, quòd ii alios aliosque ament, laudentque Ordines, bene quidem faciunt: at quòd propriam domum inuisam habeant, & domesticos malignè carpant, id profectò quid aliud est, quàm paratos fastidire cibos, &, vt Tantalus ille Poëticus, aliena captare fugientia poma? Horum profectò falsas opinationes vates ille Pelignus his versiculis depinxisse videtur:

[b] Reg. c. 5.

[c] Collat. 8. c. 6.

Fertilior seges est alienis semper in aruis,
Vicinúmque pecus grandius vber habet.

Itaque & infelicem ipsi vitam degunt, & magnam sodalibus molestiam inferunt, dum semper mœsti, semper amarulenti, neque suas ipsi seruant regulas, neque migrant ad alienas.

CAPVT VII.

De Silentio.

SILENTII, quod est custos Religionis, semper habenda est ratio. seruabitur verò præcipue à prima nocte, Salutationis Angelicæ signo dato, vsque ad Solis ortum; quo quidem tempore aut in cellulis, aut in Ecclesia, orationi, vel studijs quietè & placidè vacandum est. In æstate, à prandio, signo dato, in cellulam se quisque recipiat: atque, donec meridiana meditatio absoluta fuerit, silentium & quietem seruent. Hoc toto silentij tempore confabulationes, atque adeo colloquia & congressus omnes deuitent.

In Choro, in Ecclesia, in Sacrario, in communi mensa, in locis communibus, dum ad focum noctu, aut silentij tempore adsident, dum ad communes labores conueniunt, aut nihil omnino, aut sola verba necessaria submissa voce loquantur, aut interim lectionem spiritualem audiant.

In cellam alterius nemo intret, ne Lectoris quidem, neque concionatoris, sine speciali Superioris licentia Cum Secularibus nemo præter Confessarios, Superioris iussu, loquatur. Si quid inter viam quis fuerit rogatus, aut res ita nata fuerit, vt Superior adiri non possit, quàm paucissimis se expediat: deinde rem omnem Præposito renuntiet. Cum mulieribus, ne Confessarij quidem, qui mulierum confessionibus non sunt assignati, loquantur sine licentia; neve quis sine ipsa externum quempiam in cellam ducat. Vespere fores obserentur; Claues ad Præpositum deferantur, & apud eum maneant totam noctem.

Ad Cap. VII. Notæ.

1. SIlentij quod est custos religionis, &c Quamquam sacri silentij laudes apud sanctos nostros Scriptores legere est propemodum innumeros, vnus tamen mihi sat erit Climacus, è cuius schola gradu XI. tum silentij vtilitates, tum etiam loquacitatis damna velut aceruatim collecta producam. *Taciturnitas*, inquit, *ignis diuini amoris conseruatio est, cogitationum diligens inspectio, specula hostium, carcer luctus, lacrymarum amica, memoria mortis operatrix, suppliciorum putor, iudicij indagatrix, sagax mœroris subministratrix, inimica fiducia, quietis coniunx, ambitiosa doctrinæ aduersatrix, scientiæ adiectio, speculationis opifex, secretus in Deum profectus, occultus ascensus: qui peccata cognoscit, continet linguam suam: qui lo-*

quax est, nondum se ipsum, vt oportet agnouit: studiosus silentij appropiat Deo: ipsique iugiter in abdito cordis assistens illustratur ab eo. Hæc de silentio Climacus, qui paulò antè de loquacitate sic scripserat: *Loquacitas est inanis gloriæ sedes, per quam se ipsum indicare, atque in publicum producere solita est. Loquacitas, ignorantiæ est certum argumentum, detractionis ianua, scurrilitatis dux, mendacij opifex, compunctionis desolatio, acediæ euocatrix, somni præcursor, fixaque cogitationis dissipatio, custodiæ exterminatio.* Vide igitur, lector, quam meritò silentium Patres custodem Religionis appellauerint, eiúsque aduersus lubricum loquacitatis vitium semper habendam esse rationem.

11. Seruabitur verò præcipuè, &c. Ferè ex omnibus, quæ huc vsque tractauimus, nihil (vt opinor) minùs silendum est, quàm vt silentium in loco accuratè seruetur. Lubrica enim est mortalium lingua, eíque dulcedo illa sermonis blanditur, vt animi sensus prodat, & verba misceat, vel tunc maximè cùm minimùm cum alijs, plurimum secum loqui oportet. Frænanda igitur subinde est cupiditas fabulandi, vt animus in silentium fixus, soli sibi & Deo vacet. Atque adeò bene factum, vt *à prima nocte, Salutationis Angelicæ signo dato, vsque manè sileatur.* Et Sanctus quidem Benedictus eadem penè spatia silentio præscribit. Tametsi enim sanciat [a], *Post Completorium nemo loquatur*: idem tamen est, ac si dixisset, *ab occasu solis.* Ea enim hora, &, vt Basilius loquitur [b], *primis se iam intendentibus noctis tenebris*, Completoriæ preces continenter post Vespertinas recitabantur. Loca autem, quibus silendum est, sunt; Odeum Templum, Sacrarium, Conclaue, Loca, quæ dicunt communia, Focus, Operarum cubicula, siue Opificinæ. Ibo per singula.

a In Reg. c. 42.
b Reg. fus. disp. c. 37.

Odeum siue Chorus. Vnus mihi Cassianus [c] sat erit, vt eo loco silendum asseram; *Cùm igitur*, inquit, *prædictas solennitates, quas illi Synaxes vocant, celebraturi conueniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, vt cùm in vnum tam numerosa fratrum multitudo conueniat, præter illum, qui consurgens Psalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adesse credatur, ac præcipuè cùm consummatur oratio; in qua non sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta dissutis malis & biantibus trahitur, nulli gemitus, nulla suspiria, etiam adstantes impeditura, promuntur, nulla vox præter sacerdotis precem concludentis auditur.* Veteri exemplo recens addo è nostratibus documentum. Christophorus Refrigerius, pijssimus Presbyter, quem viginti octo ab hinc annis domus nostra Quirinalis amisit [d], adeò orationi & psalmodiæ intendebat obtutum animi, vt si quem inter psallendum, præcipuè verò dum postrema orationis clausula à Sacerdote pronuntiaretur, vidisset Breuiarij chartas euoluere, vel audisset excreare, protinus digito ad os admoto, signóve alio silentium illi indiceret. Porrò nobis satis validum esse poterat linguæ retinaculum, cernere senem illum venerabilem, tam constanter in Deum Diuináque defixum. Cæterùm quàm seuerè punierint veteres Patres, sacri silentij in loco orationis

c Inst. l. 2. cap. 10.
d Episcopus Tufus. Hist. c. 51.

orationis violatores, narrat Climacus his verbis [a]: *Ad orationem plerumque stantibus nobis, animaduertit Pater sanctus, quosdam inuicem colloquentes, quos ante fores Ecclesiæ statuens, iussit vt per septem dies cunctis intrantibus & exeuntibus prosternerentur.*

a Gradu 4.

Templum. Aristæas de veteri Templo ita scripsit [b]: *Silentium verò tantum inest, vt cùm septingenti ferè ministrorum continuò adsint, & offerentium libamina multitudo ingens, nec vnum quidem hominem in loco versari putes: summa namque veneratione cuncta, & magna Dei pietate perficiuntur.* Hæc ille. Et nonne maiore silentii religione domus Dei vera, præ illa veteri longè augustior, veneranda est?

b Opusc. de lxx Interp.

Sacrarium. Concilium Bracarense; *Thesaurarius*, inquit [c], *siue Æditũus, ne permittat ministris, ne Beneficiarijs quidem, tam elata in sacrario voce loqui, vt foris audiatur, nec vaniloquio, aut nugis se ibidem recreare; quin è vestigio pœnam his iniungat, & castiget.* Vide etiam de hac re Nauarrum exactissimè disserentem.

c Apud Nau. de silent.

Conclaue siue Refectorium. De silentio hîc seruando, iam superiùs dicta à nobis sunt satis multa, quæ nunc repetere non est operæ.

Loca communia Fusam aliquando orationem vel in ipsis cloacis, apud Climacum lego [d]. Vaniloquio ibi vacasse aliquos, non lego. Illud prius vix aut ne vix quidem imitandum, nisi alibi quis esse nequeat [e]: nam & Monachus ille apud Climacum, locum orationi idoneum non inueniebat. Istud verò non permittendum, quippe quod honestati ac religioso pudori minimè conuenit.

d Grad. 15. ad fin.
e Lege Chrysost. Hom. 17. in var. Mat. loc.

Focus. Paulus Quartus, sanctissimus Pontifex, eò loco vel maximè seruandm silentium aiebat, quòd Petrus ad focum cum ancilla loquendo Christum negasset; Verè, & sapienter dictum; atque à Nostris potissimùm obseruandum.

Operarum cubicula. S. Pachomius; *Quando*, ait, *farinam conspergunt aqua, & massam subigunt, nemo alteri loquitur, & quando tabulis ad furnum deportant panes, simile silentium habent: Tantùm de Psalmis aut de Scripturis aliquid meditabuntur, donec opus impleant. Si quid necessarium fuerit, non loquantur, sed signum dent his qui possunt afferre quæ necessaria sunt.* Porro circa illud quod de meditatione sacræ Scripturæ Pachomius inquit, obseruabis, bene apud nos institutum, vt inter operandum, lectionem è probo & sacro aliquo codice auscultemus, nempe vt faciliùs subeat rerum diuinarum cogitatio. Ad silentii etiam rationem spectat, ne quis Officinas operariorum ingredi audeat absque licentia; præterquam iij qui eiusmodi Officinis operisque sunt præfecti. Quocirca meritò sanxit Basilius Magnus [g]: *Si quis importunè venit in culinam, aut in cellariam, exceptis designatis, aut his qui disciplinæ boni ordinis curam gerunt, careat benedictione.*

f Reg. nu. 65.

g Animad. 43.

Et Pachomius, Basilio pænè æqualis: *Ad officinas*, inquit [a], *diuersarum artium soli pergant Præpositi, vt accipiant quod necessarium est.*

a Reg. nu. 60.

Diximus igitur quibus locis horisque silentium è prisco ritu seruetur: libet & loquendi nunc modum rationémque adiicere, quam diuinus ille Ambrosius grauissimè præscripsit: *Iugum*, inquit [b], *sit verbis tuis, & statera* [c]: *hoc est, humilitas, atque mensura, vt lingua tua menti subdita sit, restringatur habenæ vinculis, frenos habeat suos, quibus reuocari possit, ad mensuram sermones proferat, libra examinatos iustitiæ, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus.*

b Off. l. 1. c. 3.
c Eccl. 28.

II. In cellam alterius nemo intret. Prudentissimè id constitutum, & pænè necessario, idque è prisco more: nam lego, Angelum scribenti Pachomio ita dictasse [d]: *Ad alterius cellam intrare nullus audebit.* Quæ verba significant, etiam antiquitus cellulas fuisse singulis singulas. De qua re nos superiùs nonnulla diximus.

d Reg. nu. 61.

III. Cum Sæcularibus nemo præter Confessarios, Superioris iniussu, loquatur. Videlicet, vt hac ratione exteriorum amicitiæ consuetudinésque vitentur, ne de mundi puluere & nos fœdè conspergamur. Quam labem B. Gregorij memoranda verba disertè describunt: *Nos*, inquit, *turbis popularibus admixti, dum frequenter otiosa, nonnunquam verò (quod est grauius) etiam noxia loquimur; os nostrum omnipotenti Deo tanto longinquum fit, quanto huic mundo proximum. Multum quippe deorsum ducimur, dum locutione continua sæcularibus admiscemur*: Et paulò post: *Valde enim difficile est, vt lingua sæcularium mentem non inquinet, quam tangit, quia dum plerumque eis ad quædam loquenda condescendimus, paulisper assueti, hanc ipsam locutionem, quæ nobis indigna est, etiam delectabiliter tenemus, vt ex eâ iam redire non libeat, ad quam velut ex condescensione deducti venimus inuiti: sicque fit, vt ab otiosis ad noxia, à leuioribus ad grauiora verba veniamus, & os nostrum ab omnipotenti Domino tanto minùs exaudiatur in prece, quanto ampliùs inquinatur stulta locutione.* Hactenus sanctissimus Gregorius. Id verò periculum vt cauerent prisci Religiosorum Præfecti, subditis suis non nisi necessarios & raros è claustris exitus concedebant, & viciſſim vetabant, Monasteriorum adyta ingredi, sæcularibus. Quocirca lego in vita Beati Hosuini Abbatis Aquincinetensis. *Nulli laicorum in claustrum ingredi licitum erat, ne cum sæcularibus ingrederetur sæcularitas.* Hinc etiam illæ Sanctiones Aquensium Patrum [e], *vt nullus plebeius, vel Clericus sæcularis, in Monasterio recipiatur ad habitandum, nisi voluerit fieri Monachus.* Alloqui verò eos absque licentia, nulla est veterum Patrum Regula, quæ intromittat. Vide Benedicti & Basilij Sanctiones.

e Conc. Aquen. apud Cuik.

CAPVT VIII.

De recipiendis Hoſpitio.

CVM noſtrum aliquis de alia regione aut ciuitate ad noſtram peregrè aduenerit, omnem in eum humanitatis & beneuolentiæ ſignificationem conemur oſtendere. Ante altare ſanctiſſimi Sacramenti primùm ducatur: Cùm ibi pauliſper oratum fuerit, omnes in eius amplexum, & pacis oſculum, ex animo accedant: ad cellam deinde ducant: itineris veſtes detrahant: quæ ei neceſſaria ſunt, tradant: pedes lauent, lautiore cibo recreent: tum per biduum, ad cibos communes, alios adiungant. Caueant tamen, ne charitatis ſpecie deſtruant Religionis obſeruantias; ne ſilentium horis locisque congruentibus violent; ne de abſentibus detrahant; ne poſt primùm diem in cellam ipſius ingrediantur. Is verò poſt biduum cibis communibus ſit contentus; in Chorum cum aliis conueniat, & ſeruet Religionis obſeruantias reliquas.

Itidem ſi quis ierit peregrè, poſt recitatum ante altare maius Clericorum Itinerarium, deducatur ad ianuam domus, & pacis oſculo dato cum béneuolentia dimittatur.

Sæculares domum ne facilè, nec ſine vehementi cauſſa, & per paucos dies, hoſpitio recipiantur, nam ex eo religionis diſciplina detrimentum capere ſolet: at recipi poterunt Eccleſiaſtici, & Religioſi viri, præſertim ſi reſtricto viuant inſtituto. Præpoſitus, ſacerdotem modeſtia & grauitate præditum deligat, qui eos comitetur, & neceſſaria eis per miniſtrum idoneum ſuppeditanda curet: cæteros cum illis verſari ne ſine cauſa permittat.

Ad Cap. VIII. Notæ.

1. CVm Noſtrûm aliquis de alia regione aut Ciuitate ad noſtram peregrè aduenerit. Quid nobis confecto iam itinere faciendum ſit, docuit egregia admonitione Angelus Raphaël: Nempe ante omnia, (quod hoc loco noſtra Conſtitutio dicit) Eccleſiam eſſe adeundam, Deúmque colendum: *Vbi introieris*, inquit [a], *domum tuam, ſtatin adora Dominum Deum tuum, & gratias age ipſi.* Quocirca vetus & probus alicubi mos, vt aliquam Vr-

[a] Tob. 11.

bem ingressi Principes, ad templum statim deducantur. Pacatus in Panegyrico, *Magnas*, ait [a], *Vrbes ingressi, primùm sacras ades, & dicata summo Numini delubra visimus, tum fora, atque gymnasia.* Quod & Religiosis sodalibus suis S. Benedictus edixit in hæc verba [b]: *Suscepti hospites ad orationem deducantur.* Quis enim alter libentiùs & citiùs visendus est, quàm Pater ille cœlestis, qui sospitator seruulorum suorum, & (si dici possit) filiorum, tot eos periculis eruit, atque reduxit domum incolumes?

a Paneg. ad Theodos.
b In Reg.

II. Lautiore cibo recreent. Intellige, si de longinqua regione aduenerit hospes, &, vt hic dicitur, *peregrè*. Nam si de proximo loco, communis ei mensa apparanda est, nullo præterea cibo addito. Ita & S. Basilius præscribit [c]: *Accessit, inquit, ad nos hospes aliquis? si frater est, & idem nobiscum institutum habet, is domesticam suam mensam agnoscat: quippe cùm quæ domi reliquerit, ea inuenturus sit apud nos. At defatigatus ex itinere? Eatenus cum eo copiosiùs liberaliùsque agatur, quatenus ad recreandam eius lassitudinem sit satis.* Conuentus item Aquensis [d], *in refectorio hospitibus omnem humanitatem manducandi exhibendam decreuit.*

c Reg. fus. 20.
d Apud Cuik.

III. Caueant tamen ne Charitatis specie destruant Religionis obseruantias; ne silentium violent. Procliue enim est, dum peregrè aduenientem aliquem suscipimus, elata voce, & longiore confabulatione, silentium frangere, aliásque Regulares obseruationes obliuisci. Ideo prudenter monet sanctus Ephræmus Diaconus [e], *in hospitalitate vitandam esse Religiosæ obseruantiæ dissolutionem, atque contemptum.* Alioqui quadrat in hospites id quod Lucas de Atheniensibus tradit [f] *Athenienses autem omnes, & aduenæ hospites ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui.* Quod & sanctus Thomas Aquinas pulchrè carpit, illud Apostoli [g]; *Prurientes auribus*, explicans: *Pruritum, inquit, dicitur habere in pedibus, qui non vult quiescere; in auribus verò, qui semper audire vult noua, inaudata, curiosa, & quandoque noxia: sicut Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui.*

e To. 2. Admon. ad fratres.
f Act. 17.
g In 2. Tim. 4.

IV. Neve de absentibus detrahant. Maius vtique id malum silentij violatione est. Quocirca cùm è prophanarum rerum narratione facile deuenire sit ad detrahendum de homine quopiam, id flagitium sanctus Pachomius præcauens, iussit [h], *vt si quis ambulauerit in via, vel nauigauerit, aut operatus fuerit foris; non loquatur in Monasterio, quæ ibi geri viderit.* Porrò detractionis vitio carentes, quàm sint Deo chari, declarat sanctus Anastasius Synaita [i]. Ipsum lege. Habetur autem in vitis Patrum, ad murmurationis ac

h Reg. nu. 49.
i Orat. de sacra Synaxi ad fin.

detractionis exitiabile vitium quosdam etiam ex ipsis deueniſſe a: *Dicebat enim quidam ſenum: Quando congregabamur initio adinuicem, & loquebamur aliquid quod vtile eſſet animabus noſtris, efficiebamus ſeorſum, & ſeorſum, & aſcendebamus in cælum: nunc autem congregamur, & in obtrectationibus occupamur, & vnum & alterum trahimus in profundum* O verè igitur felices, tum ſenem illum, de quo Caſſianus b, & verba ſeniorum; tum etiam diebus noſtris, B. Andream Auellinum, quibus ad ſpirituales ſermones vigilare intentè, ad detractiones autem, ſiue ad maledicta, ſomno ſtatim corripi cælitus datum fuit. Verum enim vero, cùm de nemine prorſus detrahendum ſit, ijs profectò quos Deus *impoſuit ſuper capita noſtra*, cum maximo ſui & audientium damno quippiam obtrectabitur. Si igitur quid de ijs dicendum ſit pro publico bono, ſunt ſtatuta annuæ Viſitationis tempora, ſunt comitia generalia, ſunt legitimæ perſonæ, apud quas quiſque ſuam de his exonerare ſcientiam & conſcientiam poteſt. Apud alios verò, quo bono in Prælatos maledicta iaciantur? *Valde prauidendum eſt* (inquit B. Gregorius c) *ſubditis, ne Præpoſitorum ſuorum vitam temere reprehendere audeant, ſi quid eos fortaſſe agere reprehenſibiliter vident, ne vnde mala redarguunt, inde per elationis impulſum in profundiora mergantur. Admonendi ſunt etiam, ne cùm culpas Præpoſitorum ſuorum conſiderant, contra eos audaciores fiant: Sed ſic eorum praua apud ſemetipſos conſiderent, vt diuino timore conſtricti ferre ſub eis iugum reuerentia non recuſent* Hæc, & alia in hanc rem multa, bonus & magnus ille Paſtor. Ego verò finio cum vetuſtis Notis d: D. C N. N. B. D. *De cæſare nemo non benè dicat* Idque non modò de ſummo Prælato, ſed de Magiſtratu quolibet dictum eſto.

a De verb. ſen. c.105.

b Li.5.c.11.

c Reg. li.12. cp 32.

d Apud Vvarnefr. ex Probo de Not. Rom.

CAPVT IX.

De domo egredientibus.

CVM erit egrediendum domo, impetrata licentia cum assignato sibi comite, petita, flexo in terram genu, benedictione, breui oratione facta, & monito Ostiario, quisque egrediatur ambo modestiam & morum grauitatem præ se ferentes, vnà semper incedant. Cùm domum redierint, rursus orent, & benedictionem pari modo petant. Quòd si quis ex Laicis ad negotia familiaria obeunda missus fuerit, cætera, vt Clerici, seruet; solus tamen (si ita Præposito visum fuerit) egredi poterit.

Ad quæcunque negotia gerenda quis exeat, ea priùs suo Superiori nota faciat: quod si quid in via noui inciderit, cùm primùm domum redierit, rem omnem suo Superiori aperiat. Absente Præposito nemini domo egrediendi facultas fiat, nisi priùs licentiam à Præposito obtinuerit. Quòd si necessitas aliqua fuerit, egrediatur quidem de licentia eius qui Præpositi locum tenet, res tamen tota Præposito domum redeunti nota fiat. Nulli ex Nostris liceat in aliam Ciuitatem regionémque proficisci, absque Præpositi Generalis facultate. Si necessitas vrgeat, de Præpositi & Vocalium, & (si Visitationis sit tempus) de Visitatorum licentia, ire poterit. Tum res ad P. Generalem deferatur. Licentiam Superioris manu subscriptam & obsignatam secum deferat, & ad Superiorem eius domus in quam deuenerit, statim legendam tradat. Quod si quis absque sui Præpositi commendatitiis literis venerit, pro admissa culpa puniatur grauiter. Cùm quis ab alia Ciuitate ad aliam mittitur, ne permittatur vt solus sit in itinere, sed comes aliquis ex Nostris ei adiungatur, aut saltem viro aliquo sæculari probatæ vitæ bene comitatus rectà iter faciat; nec deflectat de via.

Ad Cap. IX. Notæ.

1. CVm assignato sibi comite. Mos iste, vt Religiosi non sine socio procederent, manasse videtur ab exemplo Christi Domini, discipulos, non solos, sed binos mittentis [a]. Sic ad parandam cœnam [b], & ad visendum sepulchrum [c] & ad Samariæ Ciuitatem [d] Petrus, & Ioannes, hoc est, duo simul, abierunt. Et probè ad institutum. Est enim socio socius, testis morum, custos, adiutor. Quocirca pulchrè S. Thomas Aquinas, Religiosum, qui solus procederet, vocabat Diabolum solitarium, vt habetur in Dominicano Chronico [e]. Firmatur autem ista

a Luc. 10.
b Luc 22.
c Io. 20.
d Act. 8.
e Lib. 3. c. 37.

consuetudo authoritate Pachomij [a], Basilij [b], Dorothei [c], atque Augustini; cuius solius, vtpote Regularium Clericorum Patris, nobis verba hîc recitasse satis erit. Sanxit igitur in sua Regula : *Quando proceditis, simul ambulate. Cùm perueneritis, quò itis, simul state. In incessu, statu, abitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.* Comes autem sit, non ab eo qui exire voluerit, electus, sed à Præposito assignatus; subdit enim idem S. Augustinus: *Ille qui habet aliquò eundi necessitatem, cùm quibus Præpositus iusserit, ire debet.*

a Reg. nu. 34
b Serm. 1 de Inst. Mon.
c Sermo 10.

11. Petita flexo in terram genu benedictione.

Eam munimen esse abeunti, redeunti, ostendit Propheta Dauid, cùm inquit [d]: *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum* Hoc Psalmi centesimi vigesimi versiculo tutatus est sanctum & vetustum hunc ritum B. Eustachius Columbani discipulus, in Concilio Matisconensi, aduersus Agrestium quendam, eiusdem ritus damnatorem, vt scribit Ionas Scotus in vita Eustachij. Tanti autem fecêre veteres hunc morem, vt S. Basilius dicat : *Si quis egreditur è Monasterio non accepta benedictione, aut non dimissus à Patre & Præfecto Monasterij, sit excommunicatus.* Eundem ritum priscis fuisse passim in vsu habetur ex Gregorio Magno lib. 2. Dialogorum; ex S. Dorotheo, Sermone nono; ex Climaco, Gradu quarto aliisque.

d Psal. 120.

Libet ad finem huius capitis, opportunè (nisi fallimur) adnotare aliquid de vsu Rhedæ, atque Lecticæ : de qua re Chrysostomus ad primam Corinthiorum epistolam ita scriptum reliquit [e], pedibus potiùs quàm vehiculo inambulantes laudans : *Nam si modestior*, ait, *factus, humi ingrediare, ipsa te humilitas vehiculo suo gestatum, in cœlum euehet pernicibus pennis.* Itaque Rhedæ vsum cum modestia humilitatéque, non semper conuenire, clarè innuit Chrysostomus. Quid dixisset ad Religiosos, & paupertatem humilitatémque professos? Neque verò quod scripto admonuit, facto ipse non est executus. Etenim nobilissimus iuuenis, & clarissimo exercituum Ductore Secundo, natus, cùm Athenis ageret, atque ad celebrem insignium virorum concionem à Prætore inuitatus esset, vehiculum ad se adducendum ab eo missum, modestè repulit inane illud itineris adiumentum; solúsque viam ingressus est suis ipse pedibus. Qua eius moderatione maiorem sibi apud omnes gratiam conciliauit, vt narrat Georgius Patriarcha Alexandrinus, in vita Chrysostomi. E contrà ij qui fastu quodam, absque necessitate, vehiculis vtentur, non effugient Marcellini historici criminationem, in Clericos plærosque sui æui ita obloquentis [f]: *Securi sunt, vt ditentur oblationibus matronarum, procedúntque vehiculis insidentes circumspectè vestiti.*

e Hom. 40.
f Lib. 27.

CAPVT X.

De honesta remissione animi.

SANCTORVM Patrum autoritate, & exemplis, ac quotidiana experientia docemur, ad regularem disciplinam tuendam non obesse, sed prodesse plurimum, si permittatur quandoque nostris, vt ab assiduis literarum studiis, ab arctis Religionis obseruantiis, iucundis interdum (honestis tamen) & cùm virtute coniunctis remissionibus animum recreent. Præpositi igitur domorum permittant hyeme, vt à prandio per horam adloquantur. Tum signo dato ad sua se quisque opera recipiat; In ęstate post cœnam colloquendi licentiam permittant: Salutationis Angelicæ signo facto, silentium seruetur. Semel in hebdomada concedant Scholasticis, vt ęstatis tempore summo manè extra Ciuitatem animi causa deambulent, & ad prandium se domum recipiant. Hyeme paulò post prandium exeant; ante Solis occasum domi sint: cęteris fratribus hoc idem alternis hebdomadis concedatur. Cùm plures iuniores, animi causa foras mittuntur, eòs Sacerdos aliquis morum grauitate præditus comitetur.

Semel in menses singulos: bis mensibus proximis ante Aduentus & Quadragesimæ ieiunium, facultas fiat, vt ab hora prandii vsque ad principium noctis, in æstate, vel vsque ad peractam cœnam, in hyeme, domi animum recreent. Quòd si visum fuerit, post meridianam horam in æstate, hyeme verò post preces Vespertinas incipere, bis in menses singulos id concedi poterit. Hoc tempus, pręter id quod insumendum est pro diuino Officio, horis consuetis in Choro recitando, (cui etiam Scholastici alioquin immunes intersint,) honestis oblectationibus, mutuis colloquiis, spiritualibus vocum, non autem instrumentorum, cantilenis, inter se iucunde traducant. Extra refectorium simul vescantur. Et posteaquam in mensę principio aliquantulum lectum fuerit, sinat Superior silentium solui. Semel, aut iterum, in anno, pro ea animi remissione, quæ domi concedi solet, permitti poterit, vt extra domum in amici alicuius suburbana villa cibum sumant, ac totum diem maneant, absque tamen Secularium præsentia. Aliàs nulli liceat, neque domi, neque foris ciborum aliquid absque Superioris sui speciali licentia sumere. Neque item iis indulgentiæ diebus, neque aliquo vnquam tempore audeat quis in hortis nostris pomum aut fructum aliquem decerpere, aut comedere. Cæterùm, siue foris, siue domi se Nostri recreent, ita iis rebus oblectentur, vt Religiosos, Deoque dicatos, se esse meminerint. Morum grauitatem seruent, atque modestiam; ne vociferentur, scurrilia verba ne proferant; dicacitate, & manuum licentia, prorsus abstineant. Denique ita spirituales exercitationes tantisper intermittant, vt non dissoluatur animus, sed alacrior & vegetior euadat, promptiorque ad labores sacrarumque rerum studium.

Ad

Ad Cap. X. Notæ.

1. **IVcundis interdum, honestis tamen, & cum virtute coniunctis remissionibus animũ recreent.**

Scitum profectò est illud Gregorij sancti Pontificis, & verè Magni [a]: *Plerumque virtus, dum indiscretè tenetur, amittitur; dum discretè intermittitur, plus tenetur.* In quam sententiam Ethnicorum & Christianorum Sapientissimi quique conuenêre; atque vno veluti ore concludunt; Quòd etsi contentioni quies è diametro aduersetur, accidit tamen, vt illa maiorem in modum contentionem iuuet, si laboris durities remissione leniatur. Atque vt de plurimis aliqua pro instituto opere hîc proferam testimonia: Primùm, vetus & vera Sententia est; *Habet sæpissimè nimis festina & laboriosa concursatio tarditatem:* Et vulgare hoc verbum videtur Seneca Pater clariùs expressisse, inquiens [b]; *Continuatione pertinacis studij tristitiam adduci; hanc verò feria atque hilaritate discuti, excitarique otio vigorem.* Quocirca *omnem nostram vitam in remissionem & studium esse diuisam*, notauit Chæroneus Plutarchus [c], *naturámque non vigiliam modò, sed & somnum homini concessisse.* Naturam itaque magistram, ingenia hominum imitentur, indulgeántque animo, ac subinde dent ei otium, quod alimenti ac vicium vices subeat. *Maior quippe erit* (vt ille ait [d]) *post otia virtus.* Otia autem cùm dico, aut commendo, ne tu desidiam & fœdam ignauiam velim intelligas: sed à tumultuosis negotijs, animíque anxietatibus tranquillitatem vitiantibus, quietem; vti, Xenophonte teste [e], Socrates ille sapientissimus intelligebat: neque ea vox vt honestam quietem significet, impropriè mihi aut alijs vsurpata: *Nam alterum esse otium, quo virtus euanescit; alterum esse otium, quo recreatur.* Valerius Maximus mihi est autor. Et ista quidem è scriptoribus Ethnicis satis in hanc rem erunt. Ijs autem Christiani mirè consentiunt: adeò verum est quod nostra inquit constitutio, *Sanctorum Patrum autoritate & exemplis eiusmodi ingenuam remissionem animi comprobari.* Ioannes Apostolus, primus occurrit; cuius, si Cassiano [f] (vt par est) credimus, memorabilis sententia extitit, *non oportere arcum assiduè tensum habere, sed expedire, interdum parua & breui laxatione animum oblectare, vt postmodum ad virtutem labores vegetior exsurgat.* Nam, vt idem Cassianus, hoc est, prudentissimus vitæ spiritalis Magister, inquit [g]; *Nisi mentis directio, atque censura quibusdam mollita fuerit vicissitudinum laxamentis, aut in teporem spiritus, aut certè in perniciosam corporis valetudinem collapsuram* Neque verò mihi laudabitur is qui serius rigidúsque inter ludicra singulariter perstiterit. Ipse quippe me docuit Cassianus [h]; *huiusmodi remissionis atque humanitatis intercapedinem à perfectis etiam viris*

a Lib. 35. Moral. c. 10.

b Prolo. ad Decla.

c Lib. de lib. educ.

d Statius 4. silu.

e In Symposio.

f Coll. 22. c. 21.

g Coll. 24. c. 20.

h Coll. 24. c. 20.

non solùm tolerandam patienter, sed etiam gratanter amplectendam. Subijcítque dicti rationem: *Primùm, quòd prouocat nos auidiùs solitudinis desiderare secreta: cursúmque nostrum dum interpellare creditur, infatigabilem ingémque conseruat. Deinde quòd ex charitatis iucunditate maiora nobis confert lucra cum corporis laxamento, quàm illa sunt, quæ per abstinentiæ fatigationem fuerant acquirenda.* His consentit Ambrosius, seuerus alioqui morum censor; *Quod prolixè,* inquit [a], *facere vis, aliquando ne feceris:* adijcítque, *agricolas imitandos, qui nec vno semine agrum suum semper conserunt, & quandoque etiam, vt feracior euadat, sinunt quiescere.* Hæc aliáque illi multa de laxamenti remissionísque necessitate atque vtilitate dixerunt. Sed quid ego superuacanea & perniciosa suasione nitor illuc mortales trahere, quò ipsi sponte sua non eunt, aut currunt modò, sed præcipites proruunt? Ad otium, quietem, hilaritates, voluptates Natura ipsa, & praua eius comes cupiditas, aurigantur. Producam igitur exempla veterum, vt in ea quam adeò laudarunt, animi remissione, quomodo ipsi se gesserint, videamus. In primis si tempus quæras, prisci olim, aut post septem hebdomadas elapsas (vt Philo refert [b]) cœnas conuentúsque suos instaurabant; aut sanè non certa statáque die, sed fortuita, hoc est, si quando hospites sodales peregrè venientes excipere contigisset, laxabantur in conuiuia, vt ex Ephræmo [c], Nazianzeno [d], Hieronymo [e], Cassiano [f], patet. Et quæ illa conuiuia? bella scilicet, & lauta. Olera, poma, legumina, hoc est, vt ille ait [g], *terrestris cœna.* Neque ego nunc loquor aut de Hilarionis sodalibus refectis vua & collatitijs frustis [h], aut de Gallo, & Posthumiano [i] ab Eremita Afro ad graminis fasciculum, & dimidiatum hordeaceum panem inuitatis; sed profero præstantissimos præsules, totóque Orbe celeberrimos, Gregorium Theologum, Basilium Magnum. Ille igitur Theologus quanto apparatu Magnum istum conuiuio exceperit, audite ex Gregorio ipso ad Amphilochium Episcopum scribente: *Dignare olera nobis & plurima & optima mittere, vel certè quantum poteris. Habebimus enim apud nos Magnum Basilium, quem caue ne quemadmodum saturum philosophantem expertus es, ita etiam esurientem & indignabundum experiaris.* Postrema hæc verba dicit, quòd iam apud Amphilochium Iconij Episcopum, Basilius Magnus oleribus item exceptus saturatúsque fuisset. Tales itaque viri, taliter conuiuabantur, & his lautitijs acerbas vitæ curas edulcabant. Quid hîc dicam, aut cupiam? Si nequaquam libeat adeò parcam animi remissionem imitari, libeat vel in lautiore cœna obseruare duo: Primum sit, illud Tertullianicum [k], *Edatur quantùm satis est, vt esuriem auferat; bibatur quantùm pudicis est vtile; ita saturemur, vt qui meminerimus etiam per noctem adorandum nobis Deum esse:* hoc est, matutinis precibus, atque Hymnis. Alioqui eueniet (quod Cassianus liberè protestatur [l]) *vt mens nimietate voracitatis oppressa emittere ad Deum preces leues puràsque non possit.* Alterum, quod Minutius Felix, priscus & Christianus Autor sanctè admonet [m], vt scilicet *hilaritatem grauitate temperemus:* siue, vt alius Orator & Philosophus ait [n]; *Cùm animum iucunditati damus, meminerimus verecundiæ*

a Lib. 3 de Virgin.
b De vita Contempl.
c Admon. ad fratres tom. 2.
d Epist ad. Amphiloc.
e Epist. ad Eustoch.
f Coll. 24. c. 10.
g Plautus Trinummo
h Hier. in vita Hilar.
i Seuer. dial. 1.
k Apol. c. 37
l Coll. 2. c. 21.
m In Octauio.
n Cic. 1. off.

atque decoris. Porrò audiui ego non ſemel à Patribus noſtris, nullo alio tempore diſcerni poſſe euidentiùs modeſtos Religioſos ab immodeſtis, atque remiſſioni dicato die. Quocirca ſe quiſque gerere debere, perinde ac deceat Religionis & Modeſtiæ candidatos. Alioqui dico, & cum Salomone prædico [a], *faſcinatio nugacitatis obſcurabit bona*; ſentiéntque non exiguo ſuo, & Regularis Ordinis malo, ij qui ſeſe ludicris immoderatiùs dederint, veluti faſcino quodam noxiæ voluptatis ſpiritum hebeſcere, mentémque nugis iocíſque obnubilari: adeò vt quando repugnare colligeréque animum volent, vix vllo poterunt modo. Neque equidem hæc dico, quòd neſciam ſanctos aliquot viros extitiſſe ſermone lepidos, & innoxiè facetos. Lego enim [b], (vt antiquiores prætercam,) Thomam Morum, ſanctum illum, & ſtrenuum Chriſti Martyrem, *gratiſsima quadam feſtiuitate ſic omnia temperaſſe, vt nihil vnquam viſum ſit lepidius*: ſed lego etiam *fuiſſe eius ſales nequaquam mordaces, ſed candidos, mellitos, blandos, & quiduis potiùs quàm amarulentos; iocarique ſolitum, ſed vbique citra dentem; ridere, ſed citra contumeliam.* Imò verò iocos riſúſque quàm parcè vſurpauerit, idem ipſe oſtendit, qui docuit [c], *quòd quemadmodum ineptum & abſurdum eſſet conuiuium, in quo cibi parum, condimentorum magna varietas & copia apponeretur: ſic omnino peſsimè profectò illa vita inſtituitur, quæ fructuoſi laboris parum, aut nihil abſumeret, iocis autem & inani otio tota vacaret.* Itaque nec iſtius inclyti Martyris, nec alius cuiuſpiam probi, & Religioſi viri, exempla ſequuntur ij qui non iucunditate, quæ Græcis εὐτραπελία dicitur, ſed ſcurrilitate, & ſcenica mimeſi delectantur, mores geſtáque aliorum per deridiculum traducentes: nec blandè morſiunculis ludunt, vt feſtiui catelli ſolent; ſed exertis dentibus admordent; vt moloſſi. Igitur indecora & fœda hæc noſtri Ordinis Leges prohibent hiſce verbis: *Morum grauitatem ſeruent, atque modeſtiam: ne vociferentur: ſcurrilia verba ne proferant: dicacitate, & manuum licentia prorſus abſtineant.* Et verò hæc ipſa diu antea & vetita & ſeuerè punita reperio, priſco ſcilicet eo Canone [d]: *Si quis Clericus, aut Monachus, verba ſcurrilia loquitur, acerrimè corripiatur.* Et meritò: nam hiſce veluti ſcopulis religioſum pudorem periclitari, præclarè admonet Ambroſius: *Habet ſanè*, inquit [e], *ſuos ſcopulos verecundia, non quos ipſa inuehit, ſed quos ſæpe incurrit, ſi in intemperantium incidamus conſortia, qui ſub ſpe iucunditatis, venenum infundunt bonis. Hi ſi aſſidui ſunt, & maximè in conuiuio, ludo, ac ioco, eneruant grauitatem illam virilem. Caueamus itaque, nè dum relaxare animum volumus, ſoluamus omnem harmoniam, quaſi concentum quendam bonorum operum. Vſus enim citò inflectit naturam.* Quid igitur faciemus inter tot diſcrimina malè blandientium voluptatum? Ad æternam illam Veritatem confugiendum eſt, vt nos à leuitate morum ad grauitatem moderationémque traducat, inſtruátque quid ſuo quemque tempore condeceat. Finiam igitur cum voto pariter, & venuſto carmine Chriſtiani Poëtæ [f];

a Sap. 4.
b Cap. 2. vitæ Mori.
c Nat. c. 13.
d To. 2 Concil. ex Cod. lib. b lib. 2. c. 30.
e Off lib. 1. c. 20.
f Prud. Cathem. 3.

Fercula noſtra Deum ſapiant,

Christus & influat in pateras,
Seria, ludicra, verba, iocos.

11. Hoc tempus spiritualibus vocum cantilenis inter se iucundè traducant. Idem prorsus consuluit S. Augustinus, de musica scribens: *Volo*, ait [a], *tandem tibi parcas: (labor est in chartis:) & apertum ire per auras animum permittas. Nam sapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam.* Et sanè nihil efficaciùs dulciúsque animum curis pressum alleuat, & ad Deum facit exsurgere, quàm vox canora, sacrúmque carmen bene modulatum, vt & Chrysostomus sentit de Dauidicis Hymnis loquens [b]: Sacrum, inquam, carmen; nam prophanum lasciuúmque quàm malè ori illi conueniat, quod Christo consecratum est, vt nemo non videt, sic vtinam nemo non vitet.

[a] lib.2.c.14.

[b] In Psal.41.

Partis secundæ finis.

SYNOPSEOS VETERVM RELIGIGIOSORVM RITVVM, NOTIS AD CONSTITVTIONES Clericorum Regg. comprehensæ.

PARS TERTIA.

CAPVT I.

Quinam ex Patribus Capitulo Generali debeant interesse.

AD Regularem obseruantiam tuendam, & ad totius Religionis progressum, plurimùm conferunt Generalia Capitula, modò ritè & ordine habeantur. Igitur Præpositi omnes veniant ad Capitulum Generale. Quod si eorum aliquis fuerit impeditus, suo loco mittere poterit, quem voluerit, ex Vocalibus in sua ipsius Domo assignatis. Veniant etiam Visitatores. Singuli etiam Vocales à Patribus suæ cuiusque domus electi. In qua Domo plures sunt Vocales, ijs liberum sit, quem volent, eligere. Vbi vnus est Vocalis, is ne accedat. Electioni Vocalis nec Præpositus, nec Visitator se immisceat. Vocalis electio hoc tempore & modo fiat. Secunda die Nouembris, si, triennio, vt fit, Capitulum erit celebrandum; vel statim ac Consultores propter P. Generalis obitum, vel eius muneris abdicationem, vel quauis alia ratione Capitulum Generale per literas indixerint, Præpositus cuiusque domus vocabit omnes Vocales in sua ipsius domo præsentes, & assignatos,

illisque tempus electionis adesse notum faciet: in nulla pręterea se re immisceat. Vocales inter se absque Præposito electionem faciant, quam si per quinque dies præter primum non perfecerint, nemo electus, aut ampliùs eligendus intelligatur.

Patres Consultores pro Vocali eligendo priùs cum cæteris S. Syluestri Patribus Vocalibus conueniant, & vnà cum illis actiuam & passiuam habeant ac more cęterorum suam electionem faciant. Si Vocalis electus ex Consultorum fuerit numero, nulla pręterea fiat electio, sin secus, rursus Consultores inter se alium ex suo ipsorum numero eligere poterunt. Ad Vocalem in singulis domibus eligendum conueniant Vocales cæteri, ac nemo se excuset.

Nulla electio in Congregatione nostra per Procuratorem fiat. Excipimus Præpositum, qui ad Capitulum suo nomine mittere aliquem poterit ex Vocalibus in sua ipsius Domo assignatis, vt paulo antè dictum est. In nulla vnquam electione possit quis accedere ad se ipsum, augendo numerum, & electionem perficiendo, nisi priùs omnes, & singuli Electores id fieri consentiant. Nemo alba schedula in aliqua electione vti possit. Quę si fortè reperiatur aliquando à Scrutatoribus, si quidem maior numerus in aliquem consenserit, bona erit eius electio: sin secus, rursus ad aures Scrutatorum singuli suffragium voce proferant.

Qui aliquem nominare nolit, de Electorum moueatur numero, & ad reliquos electio pertineat. Cùm primùm in singulis domibus Vocalis electio facta fuerit, cæteris publicetur fratribus, tum aliis Domibus per literas significetur.

Si Vocalis, aut Consultor electus postea moriatur, aut graui morbo legitimoue impedimento detineatur, alius in eius locum eligatur ab eisdem Electoribus, eodem seruato ordine, & temporis spatio.

A Dominica in Septuagesima, si Paschali tempore Capitulum celebretur, vel statim atque Vocales singuli per domos fuerint electi, si alio quouis tempore, propter P. Generalis mortem, aut eius muneris abdicationem, habeatur; vsque dum Capitulum fit, quisque Nostrum scribere possit cuilibet ex Patribus, qui Capitulo sunt interfuturi, ac suis Præpositis literas non ostendere: ij verò respondere etiam possint inscio Præposito. Idem de Visitatoribus, dum munus suum exequuntur, ac etiam per mensem postquam Visitationem absoluerint.

Ad Ciuitatem, in qua Capitulum Generale habetur, ne veniant Patres, aut Prædicatores, quibus iure Capitulo interesse non competit, nisi eidem Ciuitati sint assignati, & non ampliùs quinquaginta passuum millibus distent.

ANTONII CARACCIOLI

CLERICI REG.

AD TERTIAM PARTEM SYNOPSEOS VET. RELIG. RIT.

PRÆFATIVNCVLA.

RARIOR in hanc Tertiam Partem ſcribendarum mihi Notationum labor occurret. Eius rei cauſſa eſt, non poſſe omnino aptari in hæc tempora, priſci temporis in moderando Religioſo Ordine, Præfectura modum, aut legem. Varia fuit regendarum Sodalitatum methodus, eſt eritque per omne æuum. Quæ ſuperiùs obſeruata ſunt, & ab antiquitate producta, animo hærent propiùs; ad eius quippe mores habitúſque attinent magis. Proinde nil mirum, ſi rebus iјs minor variatio, quandoquidem ab æuiterna humana mente, leges ritúſque eius, firmitatem quandam mutuantur, penè dixerim æuiternam. At verò externa hæc Magiſtratuum decora vocabula, & temporariæ poteſtates, cum voce & tempore profluant roténtque neceſſe eſt. Hinc quæ in his maiores figunt posteri refigunt: & per curricula ætatum ſeries Præfecturarum, dignitatúmque orbita, vnà ſemper conuoluuntur: atque, vt vetera pereant, noua exurgunt, non tam vitio humani ingenij quàm rerum natura fluxarum.

Ad Cap. I. Notæ.

1. PLurimùm conferunt Capitula Generalia. Comitia Regularium tanti fecit antiquitas, vt ipsi etiam Reges Cæsaréſque inclyti, sua præſentia ea cohoneſtarè voluerint. Ita à Ludouico verè Pio, Caroli Magni filio, factum eſt. Interfuit enim Conuentibus Canonicorum Regularium Aquenſi, Aquiſgranenſi, atque alijs, quos Henricus Gulxius è ſchedis vetuſtis erutos publici iuris fecit. Neque verò dubitarunt veterum Sapientiſſimi, conflato in vnum plurium conſilio Patrum, veri iuſtique ſemitam clariùs poſſe diſpici: Indéque ſi auaritiâ, ambitióque, teterrimæ humanarum mentium peſtes, longè abfuerint, innumeros optimóſque prouenire fructus; videlicet cultum Dei, ſacrarúmque legum obſeruationem in dies prouehi, componi diſſidia, vitia profligari, coërceri improbitates, confuſa digeri, collapſa reſtitui, diſiici coitiones, ſectáſque Magiſtratus, atque honores in immeritos dignóſque collocari. Itaque, vt Auguſtini verbo finiam [a], *Generalium huiuſmodi conuentuum ſaluberrima eſt autoritas. Multitudo quippe ſapientum*, vt ſapientiſſimus Regum inquit [b], *ſanitas eſt orbis terrarum*, nedum vnius Sodalitij ſiue Ordinis. Id profectò vidit Bernardinus noſter Schottus: quem virum ob eximiam doctrinam & probitatem, Sanctiſſimus Paulus IV. Cardinalium collegio cooptauit. Is enim ad Patres in Generali Capitulo anno 1539. Romæ congregatos ſcripſit de methodo firmandi prouehendíque Ordinis inſignem Epiſtolam, & dignam quæ huc ad poſterorum vtilitatem inſeratur. Ea eſt quæ ſequitur, veteri, id eſt, ſincero, & ſimplici ſtilo exarata.

a Aug. ep. 108.
b Sap. cap. 6

PAtres in Christo dilectiſſimi, Salutem. Ego filius veſter indignus, in primis veniam peto peccatorum meorum, ac negligentiæ, quam in regenda atque inſtituenda domo & familia Chriſti, mihi hactenus credita, per hoc triennium me commiſiſſe confiteor. Ideóque reliquum adminiſtrationis meæ tempus atque officium, omnémque curam ipſius, vobis nunc Romæ Chriſti nómine congregatis per has literas liberè libénſque renuncio, & reſigno. Inſuper rogo vos, vt ante electionem futuram, vel in ipſa electione Præpoſitorum, pauca hæc conſiderare apud vos, ac benignè examinare non pigeat, quæ ad communem fratrum concordiam, & profeſſionis noſtræ puritatem ſeruandam neceſſaria fore non dubitamus.

Fuimus frequenter admoniti à nonnullis Prælatis, qui in Chriſto valde nos diligunt, quíque experientia docti rerum ſuarum, noſtrárum quoque notitia præditi ſunt, multúmque in his ac diu exercitati: Quatuor eſſe nobis præcipuè cauenda, & fugienda: Ea ſunt, Relaxatio morum & diſciplinæ: Profeſſorum multitudo. Mulierum familiaritas, vel cura: Terrenarum rerum copia vel

certa

certa possessio. Relaxationem in primis fugiendam existimant; cauendùmque ne occulte eam ingredi ab initio per negligentiam patiamur: quoniam hoc malum paulatim serpit vt cancer; paruaque negligentia Prælati quotidie inualescit in subditis, nisi celeriter opprimatur: paritque confestim in animis infirmorum tædium quoddam atque odium disciplinæ. non sine blasphemia atque iniuria Christi, quandoquidem consilia & præcepta ipsius ex eo maximè plerique contemnunt, quia conspiciunt multos sub professione perfectionis remissè viuere; quorum exemplo prouocati ad Religionem prius accesserant; tantóque ampliùs, postea irritati, ob illorum relaxationem, quos optimos iudicabant, atque decepti, nullo modo nullóque voto iam seruari posse existimant; neque promitti oportere consilia Christi, quæ neque ipsi, neque magni illi viri, qui videbantur optimi religiosi, seruare potuerunt: fitque sæpissimè, vt plurimi adhuc scandalizentur, dolentes, quòd qui spiritu Dei viuere cœperant, nunc carne consumantur. Quin etiam relaxatio singulorum huiusmodi, statum totius Congregationis eneruat atque subuertit: ea namque, sublato ordine viuendi, morum statim confusionem inducit, nec vnquam quiescit, donec amissa concordia, fratrum diuidat vnitatem: sicut quibusdam Religiosis nostri temporis contigisse conspicimus & dolemus, quos non ob aliam caussam constat fuisse turbatus, atque in partes diuisos, nisi ob relaxationem. Dum enim quibusdam eorum hæc ipsa nimiùm placet, quibusdam non placet, paulatim diminuta concordia, factum est vt vnitas ipsa laceraretur. Itaque qui relaxationem quærunt, primùm sibi ipsis, deinde alijs quamplurimis nocent. Hinc dissentiones & contentiones oriuntur. Hinc odia & susurrationes, & conatus quidam occulti ad suadendum aptissimi, eam vitam quam sibi delegerunt, videlicet laxiorem; dum eam alijs quoque pro regula tradere & approbare nituntur, homines quidem ingeniosi, sed parum spirituales: Nam ne odio disciplinæ talia quærere vel suadere videantur, vel contra professionem propriam viuere iudicentur, allegant sæpissimè nescio quam honestatem gradus ac decentiam status illius atque illius: prædicántque in omnibus quæ foris molesta sentiuntur, cultum animi interiorem: obijcientésque aduersarijs suis, qui humiliter viuunt, singularitatis notam, ipsi discretionis vocabulo se defendunt; præsertim cùm de victu & cultu corporis agitur, siue de vigilijs, ieiunio, & paupertate, cæterisque huiusmodi: dissimulántque fateri id quod certissimum est, atque dictu breuissimum, videlicet, se esse nimiùm timidos & delicatos: quamobrem hortandi videntur qui eiusmodi sunt, vt desistant ab his artibus, nec tam facilè se decipiant atque deijciant; sed potiùs[a], aspicientes in autorem fidei & consummatorem Iesum, sperent in eum cui se probarunt, *& sequi elegerunt sub iugo Crucis suauissimo. Atque etiam monendi, vt si quando ob corporis imbecillitatem robustorum vitam imitari formidant, communémque rigorem aliorum seruare non possunt, dispensationem sibi necessariam ita requirant, vt tamen salua remaneat censura disciplinæ in cæteris qui relaxatione non indigent: gratulentúrque illis potiùs in eo quod ferre ampliùs possunt; ne si secus fecerint, videantur vel fortioribus inuidere (quod absit) vel simpliciores fratres suos decipere voluisse, damnóque afficere disciplinæ.*

[a] Heb. 12.

Multitudo aduentantium secularium, & prælatorum nimis auida diligentia, ac festina receptio, fecit aliquas Congregrationes, non multò antea reformatas,

citò tepescere. Nam quamuis numero, cerimonijs, & diuitijs aucta quidem atque ornata videantur, nihilominus ob multitudinis impedimentum, amissa simplicitate, ac rigore vitæ prioris, satis diminutæ moribus atque immutatæ censeri possunt, cùm via earum de angusta facta sit lata; quando nimis multi ingrediuntur per eam. Itaque cauendum est nimium studium, & anxia quadam sollicitudo humana diligentia in negotio religionis & spiritus: plerumque enim nos ipsos fallimus, putantes diligentiam nostram proximorum saluti vel Christi gloria deseruire; cùm tamen manifestissimè inueniatur seruire potiùs vanitati.

Quantum periculi atque incommodi ex mulierum familiaritate prouenire solitum sit desiderantibus Christum, dicant qui experti sunt: nos verò, Dilectissimi, nitamur potiùs ita viuere, vt id perpetuò ignoremus, ideóque fugiamus omnes fœminas siue religiosa sint siue seculares. Et si relinquere earum Confessiones non possumus, nec remittere Pastoribus suis regendas atque docendas, elongemur tamen ab eis quantum possumus, si mundum custodire cor nostrum, si liberè Deo vacare diligimus, si præsens tempus redimere, si denique proximos nostros, atque imprimis mulieres ipsas quas fugimus, ædificare cupimus: præsertim, quia sicut meministis hoc ipsum Venetijs vtile atque honestum omnes simul iudicauimus, elegimus, fecimus, & vsque in hanc diem constantissimè custodimus: Sufficiat nobis assiduè orare pro deuoto fœmineo sexu, & diligamus eas omnes, vt sorores, vereamúrque vt matres, sed earum consuetudinem fugiamus, vt per fugam hanc nostram, nos quidem tuti in Dei seruitio & liberi persistamus; proximus ædificetur, Deus ampliùs honoretur.

Postremò nihil terrenum possideamus, ob priuilegium scilicet retinendum paupertatis quam profitemur: cuius dignitas atque vtilitas solet esse ignota hominibus huius seculi: nobis verò qui tot annos eam gustauimus pretiosa est paupertas in conspectu Domini. Certè illud negare non possunt homines etiam delicati & cupidi, nullam aliam viam patere Clericis nostri temporis, tuendæ libertatis & dignitatis suæ, atque immunitatis retinendæ Ecclesiarum sibi commissarum, nullúmque alium modum inueniri gustandæ paululùm tranquillitatis & pacis, nisi per remedium voluntariæ & Euangelicæ Paupertatis: hac enim sola fit animus liber; qui post omnium abrenuntiationem sentit se neque loco affici, nec possessione retineri. Quotidie audimus diuites Clericos suspirantes & referentes nobis diuitiarum spinas, hoc est, molestias suas quas sentiunt, dum importunè nimis ab eis exigit mundus, quæ sua sunt: & Cæsari quotidie reddenda sunt quæ sunt Cæsaris.

Igitur fugiamus census, possessiones, & prædia, quia destruunt tranquillitatem, & adimunt libertatem; sufficiat nobis posse, abstineamus à velle: fugiamus mulieres non solùm ob castitatem, sed etiam ob libertatem, & propter ædificationis exemplum: amplectamur paucitatem, ne fortè multiplicando minuamur, videlicet ne ob multitudinem in laxiorem vitam incidamus, quæ, vt diximus, diuidit vnitatem. Consoletur vos interim ille qui ait [a]*;* Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum: *vereamúrque Isaiam dicentem* [b], Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam: *perit enim facillimè vigor disciplinæ in magno numero: ob*

[a] Luc. 12.

[b] Isai. 9.

quam postea renouandam, meliores qui videntur, assiduè aut gemunt, aut pugnant.

Illud etiam addam: Ante omnia caueamus à familiaritate laicorum: nam periclitata est omnis disciplina, & pene immutatus vniuersus ordo viuendi in domo & familia Christi, ob consuetudinem quorundam secularium, qui superioribus annis nimis familiariter nobiscum viuebant, adeò vt taderet nos etiam viuere. Sed visitauit nos Oriens ex alto & consolatus est pauperes suos Dominus[a], adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, *ipsis tandem exclusis.*

Scripsi hac pro rei quidem argumento pauca, próque fratrum omnium desiderio satis concisa & diminuta, sed pro indignitate & ruditate mea plura fortasse quàm deceat, cùm ad ea seruanda qua scripsi, ego omnium fere ineptissimus sim, atque imbecillior animo & corpore ijs qui mecum talia pradicant & futura desiderant. Commemoraúique ea, non vt docendos vos putem Patres & praceptores meos, in Christo dilectissimos & honorabilissimos; sed vt audito fratrum nostrorum desiderio, atque eorum consilio qui in Christo nos diligunt; nec non percepta totius familia nostra quam regitis, & pro qua nunc conuenistis, necessitate, rem omnem attentiùs examinetis, & maiori fiducia ac diligentia apud Reuerendissimum P. & Dominum Cardinalem reditum vestrum quàm vobis necessarius sit, & vltra quàm dici potest desideratissimus, communi omnium nomine proponatis, & , si fieri potest, etiam impetretis. Salutant vos omnes fratres nostri, hospites, Laici, Clerici, Sacerdotes, necnon etiam amici in Christi fide & dilectione nobis vobísque coniunctissimi. D. Bonifacius, & D. Michaël presbyteri, fratres nostri Reuerendi, nuntiabunt charitati vestra nonnulla qua breui chartula eis notata sunt: ac vestrum iudicium vestrámque autoritatem requirunt. Cupimus vos omnes in Christi visceribus optimè valere, Patres acceptissimi & venerandi. Venetijs xij. Septemb. 1539.

Bernardinus Presbyter Reg.

a Psal. 9.

Hæc quindecim annis post fundatum Ordinem scripta sunt, memoratu dignissima, eáque hauserat fortassis vir iste integerrimus è Richardo Victorino Religiosissimo Theologo. Is quippe ad Regulam S. Augustini egregium Commentarium scribens, enumerat vndecim caussas ruinæ Religiosorum Ordinum: quas, ne prolixi simus, satis fuerit compendio recensere, illis ipsis verbis quibus recenset eas Seruatius in sua Optice[b].

b Mand. [illegible]

I. *Susceptio personarum inutilium.*
II. *Negligens & inordinata institutio Nouitiorum.*
III. *Ingredientium, suscipientiúmque ad Religionem, non recta intentio.*
IV. *Studij & deuotionis omissio.*
V. *Religiosorum & Prelatorum frequens è Monasterio euagatio.*
VI. *Inutilium personarum & consanguineorum promotio.*
VII. *Nimia cupiditas & sollicitudo temporalium bonorum.*
VIII. *Negligens & inconsulta Visitatio.*
IX. *Inexperientia & ambitio Pralatorum.*
X. *Amor carnalis consanguineorum.*

XI. Debita correptionis omissio & dissimulatio: Quæ, vt S. Bernardus ait, a *est incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix.* Itaque cùm videris, eos qui præsunt, conniuere ad crimina, & se inuicem palpare, atque, vt de quodam Religioso cœtu, Sanctissimum Paulum IV. dixisse audiui, *non punire ne puniantur, & eligere, vt eligantur*, actum est de eiusmodi Ordine.

a Lib. 3. de Consid. c. 5.

Addit verò Ioannes Trithemius:

XII. Otiositatem & inertiam: aitque, eas ex nimia commoditate & opulentia oriri; atque euenire sæpissimè, vt Religiosi, diuites facti, laborare desinant, gula & voluptatibus indulgeant. Est namque otiosus homo, mollissimum Diaboli puluinar. Inde oriutur contentiones, sectæ & mala cætera quæ Paulus b enumerat. Hi igitur scopuli Religioso cuique Ordini diligentissimè euitandi sunt. Nostræ verò Congregationis cymbula vt ab his tuta incolumísque ad salutis portum prosperè perueniat, Deum ego tutelarésque SS. Apostolos, precor enixissimè. Si quando autem (quod Deus auertat) huiusmodi lolia inter nostram segetem suboriri cœperint, properè & maturè euellenda erunt c. *Desinit enim esse remedio locus, vbi quæ fuerint vitia, mores fiunt.*

b Gal. 5.

c Seneca.

CAPVT II.

De modo, loco, & tempore celebrandi Capitulum Generale.

TERTIO quoque anno; & quotiescumque P. Generalem mori, vel quauis alia ratione munus eius contingat deficere, Capitulum Generale Romæ in Domo *S. Syluestri* in monte Quirinali celebretur. Dies constituta pro eo inchoando, est feria quinta hebdomadæ secundæ post festum Sanctissimi Paschatis, si tertio vertente anno fiat: vel, quam senior Consultorum suique Collegæ præscripserint, si mors P. Generalis, aut eius muneris acciderit abdicatio. Qui ex Patribus post cœptum Capitulum venerit, ingrediatur quidem cum alijs, firma tamen sint quæcumque in eam diem fuerint sancita.

Modus habendi Capitulum Generale, hic erit: Pridie quàm Capitulum inchoetur, P. Generalis, vel, si is quauis ratione Capitulo non intersit, senior ex Præpositis, vnà reliquos Capituli Patres conuocet, eisque significet, postera die inchoandum esse

Capitulum, neque longiùs differri posse. Quare se quisque animi puritate diligenter preparet. Die constituta, manè, omnes, vnà Patres, ij præcipuè qui Capitulum sunt ingressuri, Missam Spiritus Sancti solemnem celebrent: idem fiat in Ecclesijs omnibus nostri Ordinis. Quotidie etiam, donec Capitulum habebitur, tum in domo S. Syluestri, tum etiam in singulis aliis recitetur Hymnus Spiritus Sancti cum Versiculis & Orationibus designatis, vt Deus ea Patribus suggerat, quę in suam gloriam & religionis vtilitatem vertant. Post orationem meridianam P. Generalis, vel antiquior Prępositus, ad locum designatum conuocabit Patres Capitulum ingressuros: ac Spiritus Sancti Hymno, cum Versiculo, & Orationibus, vt moris est, deuotè & genibus flexis, (quod semper seruandum est, quoties pro qualibet re deliberanda vnà conuenerint,) recitatis, antequam alia pertractentur, simpliciter. & sola rei veritate inspecta, soluant dubitationes, si quę ortę fuerint, an quis iure Capitulo debeat interesse cum aliis. Primùm admittantur omnes cum protestatione: deinde singuli, cùm res sua agitur, foras exeant. Qui compertus fuerit iure Capitulo Generali adesse non posse, admitti à maiori parte non poterit, nisi omnes & singuli Patres Capitulum iure ingressuri consentiant, & nemo omnino dissentiat. Statim pòst, Præses & Secretarius per secreta suffragia eligantur.

Qui tunc est Generalis, & qui Pręses Capitulo proximè pręterito fuerit, Præses ne eligatur.

Secretario curæ sit literas vndique ad Capitulum scriptas recipere, ac suo loco & tempore Præsidis primùm, deinde P. Generalis iussu, vel coram omnibus legere, vel rerum proferre capita, & respondere singulis suo tempore.

Gesta quoque omnia, & Decreta per Capitulum facta diligenter & accuratè perscribere, atque exemplar omnium antequàm Capitulum dissoluatur, signo publico obsignatum, & singulorum Patrum manu subscriptum relinquere.

Cùm Præses creatus fuerit, in primo collocetur loco Tum P. Generalis genibus ante eum flexis munere se suo abdicet, Congregationis sigilla statim; scripturas quamprimum poterit, tradat. Negligentię culpas in munere obeundo admissas fateatur. Quam correctionem ei Capitulum imperauerit, spondeat se libenter suscepturum. Annuat Præses, eiusque abdicationem accipiat. Is verò non iam in professionis suę loco, sed proximè infra Pręsidem sedeat. Tum singuli Præpositi onere suo quisque in Præsidis manibus deposito, & culparum (vt moris est) venia petita, ad professionis suæ locum reuertantur. P. Generalis extra Capitulum exeat, quo liberam de se omnibus dicendi faciat facultatem.

Deputentur duo vel tres Patres idonei caussarum Cognitores: duo item alii quibus vnà cum Præside curæ sit ex iis rebus quę ad Capitulum deferuntur, ea deligere quę coram omnibus visa fuerint proponenda.

Præses priusquam ad Præpositum Generalem reficiendum, vel de nouo creandum, deueniat, de Sacerdotibus in Vocalium numerum cooptandis agat. Poterit etiam proponere, & pertractare, quæ sibi ad Congregationis progressum vtilia, vel necessaria visa fuerint. Deinde Generalis sic eligatur.

Præses habito breui sermone, ad rem de qua agitur, accommodato, & recepta ab eo qui primum locum post se obtinet, absolutione, det ipse cęteris omnibus absolutionem generalem à censuris omnibus ad hunc Canonicæ electionis effectum.

Tum ad Orationem mentalem omnes genu flectant, Deum exorantes, vt in re tam graui suam illis voluntatem aperiat. Hymnum Spiritus Sancti cum Versiculis & Orationibus deuotè dicant. Sigillatim postea quisque, professionis seruato ordine, complicatam schedulam, in qua nomen eius quem eligent, scriptum sit, in vrnam, supra mensam in medio collocatam, iniiciat, & ad suum locum redeat. Duo vel tres probi & fidi fratres ex iis qui Capitulo non intersunt, conuocentur. Eis graui pœna imposita prohibeatur, ne quid eorum quę in Capitulo fiunt, aliis quoquo pacto dicant Tum per præsidem quid faciant edocti, vrnam aperiant, schedulas effundant, numerent, explicent, submissa voce legant. Si maior pars in cuiusquam electionem consentiat, iubente Pręside clara voce electionem esse factam dicant: tum quisnam ille sit, publicent. Sin secus, schedulas reuoluant: deinde singuli

suo prænotatam signo resumant, & rursum in vrnam reponant schedulas: atque eadem quæ superiùs dicta sunt, iterum ac sæpius repetant, donec maior suffragiorum pars in aliquem conueniat. Simul atque P. Generalis est electus, omnes signo dato, ad Ecclesiam, tum ad designatum locum, vnà se recipiant. P. Generalis electio coram omnibus publicetur. Duo Patres, qui post Generalem sunt proximè, ad sellam in medio positam Generalem deducant; Te Deum laudamus, cum Versiculis & Orationibus dicant. Singuli, ordine, ante eum genua flectant, manum osculentur, obedientiam ac reuerentiam polliceantur. Qui Præses fuerat, ad Professionis suæ locum statim reuertatur. Qui fuerat Generalis, sedeat, vt antè Præsidi, ita nunc P. Generali proximus, vel ex aduersum ei ad læuam, nec ad locum professionis redeat, nisi post dimissum Capitulum. P. Generalis electus, si non adsit, ad eum vocandum mittatur. Interim Præses & Patres prosequantur Capitulum. Si autem P. Generalis adsit, vnà cum Patribus Capituli pertractabit quæcunque ei ad communem vtilitatem pertinere visa fuerint. Si qua res, de qua in Constitutionibus fit mentio, proponatur, Constitutionum verba à Secretario coram omnibus legantur. Pater Generalis primus rem proponat, primus sententiam dicat, deinde reliqui omnes professionis ordine subsequantur. Dei cultum, & gloriam, totius Ordinis vtilitatem, atque progressum, priuatis commodis anteponant. Patres in Capitulo Generali congregati, Constitutiones, & Decreta per vniuersam Congregationem seruanda facere poterunt. Eligant deinde per secreta suffragia quatuor P. Generalis Consultores; tum etiam ex ijs qui Capitulo intersunt, octo Definitores; de quorum singulis suo loco dicetur.

Cùm iam Præpositi, & Visitatores à P. Generali & Definitoribus fuerint creati, & definita omnia, Patres Capituli vnà omnes signo dato conueniant; P. Generalis sermonem breuem habeat; Præpositorum & Visitatorum nomina pronuntiari iubeat. Tandem, recitatis de more Psalmis, Versiculis, & Orationibus, Capitulum dimittat.

Quicquid in Capitulis Generalibus à maiori parte sancitur, id ratum & firmum apud omnes per vniuersam Congregationem habeatur. Quare postea nemo eorum qui Capitulo interfuit, contra sensisse, aut disputasse dicat; nec qui abfuit, contradicere aut repugnare vllo pacto audeat. Qui secus fecerit, puniatur grauiter. Quæcumque item vel à toto Capitulo, vel à solis Definitoribus, vel à Consultoribus, vel à Vocalibus in priuata aliqua domo pertractantur, præsertim si prolata pacem violare posse videantur, sedulo celentur; ac ne illa quidem, quæ paulo post publicanda sunt, ante tempus indicentur. Neve quis cui aduersatus, cui suffragatus sit, significet. Qui contra fecerit, itidem grauiter puniatur.

Si probetur, quempiam per se vel per interpositas personas quærere, vt Generalis Præpositus ipse eligatur, de Capitulo statim, ne cum alijs intersit, moueatur, & per decennium actiuo & passiuo suffragio careat; neque vllo pacto pœna ei per hoc tempus remitti poterit.

Præpositi, Visitatores, aut si quibus alijs Patribus delictorum cognitio commissa sit, ij cùm primùm suum absoluerint munus, rem totam, & scripta omnia contra quoscumque acta fuerint, ad P. Generalem & PP. Definitores referant, nec apud se quispiam aliquid retineat. Tum in Generali Capitulo decernatur quænam seruanda sint; reliqua igni tradantur.

Ad Cap. II. Notæ.

I. FEria quinta hebdomadæ secundæ post festum sanctissimi Paschatis. Congruè ea potissimùm huic rei

dies statuta est. Nam prisci Patres secunda hac Dominica, Concilia inchoabant: ideóque ea Dominica legi Euangelium de Ouibus & Pastore, obseruarunt Rupertus Abbas [a], & Durandus Mimatensis Episcopus [b], quos (si lubet) adeas.

a Lib 9 de Eccl. off. c. 1.
b Ration. l. 6. c. 98.

II. Tum ad Orationem vocalem omnes genu flectant. Libet hoc loco ponere aurea Chrysostomi verba. *Quoties*, inquit [c], *absque humana passione huiusmodi electiones celebramus*, (orationem adhibemus,) *cùm scilicet nihil omnino seculare, nihil temporale intuentes, neque ad gratiam, neque ad odium facimus. Nam etsi tanta nobis spiritus plenitudo non adesset, sufficit voluntas optima, vel sola, Deum vt ordinationi nostræ concurrat, attrahere. Quippe ne Apostoli quidem tunc spiritus gratiam adepti erant, cùm Mathiam elegerunt, sed orationi negotium permittentes, ipsum Apostolorum numero adiecerunt. Neque enim intuebantur humanæ amicitiæ gratiam. Ita nobis quoque faciendum est. Enimuero vbi ea quæ certa sunt, omnibúsque manifesta, negligimus, quo pacto nobis Deus reuelabit incerta? Si in modico*, inquit, *fideles non fuistis, quod magnum & verum est, quis dabit vobis?* Hæc ille memoratu & factu dignissima docuit.

c Hom. 5 in 1. Tim.

III. Si probetur, quempiam quærere, vt Generalis Præpositus ipse eligatur. Extat Canon Nicæni Concilij [d], ne quis eligi ambierit, eligatur: Accedit, ex Cæsaræa [e], qua *indignus dicitur sacerdotio, qui non fuerit initiatus inuitus.* Quod in re simili Gregorius Magnus rescripsit his verbis [f]: *Qui vltro ambit, & importunè se ingerit, est proculdubio repellendus. Nam qui sic nititur altiora conscendere, quid agit, nisi vt crescendo decrescat, & ascendendo exteriùs, interiùs ad profunda descendat?* Neque mihi dicas, esse hominem alioqui idoneum, vtpote doctrina & prudentia præditum, ac proinde etiam, si ambierit, eligendum. *Nam Principatus* (ait S. Leo Papa [g]) *quem ambitio occupauit, etiamsi moribus non offendit, ipsius tamen initij sui est perniciosus exemplo: & difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Alioqui si ad capessendos honores dignitatésque ambitioni detur locus, síque malos, vt Crispus ait, præmia sequantur, haud facilè quisquam gratuitò bonus erit. Immò si ijs Magistratus dentur, qui nullo magis virtutis merito, quàm quòd partium studia consequuntur, excellere alijs videantur, breui profectò eueniet,

d Can. 73.
e L. si quemquam C. de Epi. & Cler.
f Lib. 7. ep. 120.
g Epist. 84.

Vt nec præcipuis artibus, aut opus
Extremo ingenio sit: sæpe sic imperant
Vulgares animæ, & ridiculum caput
Sublimes apices tenet.

Omnino nihil à Generalibus potissimùm Comitijs est diligentiùs eliminandum, quàm Ambitio, vt dixi, & Auaritia, hoc est, rei suæ studium. Quid enim speres boni ab ijs quibus sua cuiusque vtilitas iudicium affectúmque venenauerint?

CAPVT III.

De Sacerdotibus in Vocalium numerum adscribendis.

SACERDOTES in Vocalium numerum adscribere ad solum spectat Generale Capitulum. Ad id muneris ii deligantur qui eruditione prudentia, vitę integritate pollent, qui aliis exemplo esse, Religionis obseruantias tueri, atque adeò augere valeant. Meminerint autem omnes, peccati adstringi vinculo eum, qui odio, amore, aut priuato commodo ductus, aut non idoneum eligit, aut idoneum prętermittit. Antequam de hac electione agatur, Patres à Deo diuinum lumen expostcant. Tum quò liberiore animo suam quisque sententiam proferat, iureiurando arctissimo se omnes, & quisque singillatim adstringat, perpetuo silentio seruaturum quæ de huiusmodi negotio, vel mutuò inter se collocutos, vel à Collegis audiuisse contigerit: ita vt nullo vnquam tempore, & nulla ratione possit quis dicere, nec de quouis alio Collegarum, nec ipsemet de seipso, cui refragatus, aut suffragatus fuerit. Diligenter deinde inquirant singulorum merita. Et primùm quidem Visitatores de Sacerdotibus suæ quisque prouincię; tum Vocales electi à Domibus vbi illi adsunt, tum cæteri omnes, suam quisque sententiam palàm absque vlla animi perturbatione, dicant ingenuè. Deinde per secreta suffragia singillatim cuiusque, de quo tractari debet, rite & ordine agitetur electio. Quibus à Professione duodecim anni elapsi sunt, à maiori parte Capituli ad suffragia ferenda admitti poterunt, si eorum qualitates reliquæ respondeant. Ante id tempus nulli ea facultas concedatur, nisi ob pręcipuam viri alicuius eruditionem, aliasque insignes virtutes, atque ætatis maturitatem id concedendum visum fuerit; modò in ea re duę partes Vocalium ex tribus eorum qui Capitulo intersunt, consentiant, & sex anni post professionem elapsi sint. Qui nondum sunt Confessarii, Qui communia Congregationis onera ferre nequeunt, (vt sunt diu noctuque Chorum frequentare, communi mensa victitare, & si qua horum sunt similia,) eligi non poterunt. Qui ex legitimo matrimonio nati non fuerint, quamuis alioqui idonei, ius tamen ferendi suffragii, actiuę tantùm vocis primo, post aliquot vero annos (si visum fuerit) passiuę concedi poterit. Quod si eidem simpliciter, & sine additione aliqua huiusmodi ius à Generali Capitulo concessum sit, actiuæ tantùm vocis concessum fuisse intelligatur.

Vbi primùm quis ad suffragia ferenda admissus fuerit, ius quidem conueniendi vna cum cæteris Vocalibus eius Domus, in qua est assignatus, habet: suffragium tamen atque sententiam suam ne priùs dicat, quàm à loci Præposito, & Vocalibus, facultas ei facta sit: Quæ in quartum à dimissione Capituli mensem, & secundum, postea quam Vocales fuerint publicati, differatur.

Ad

Ad Cap. III. Notæ.

1. IVre quidem & prudenter Sanctissimus & Sapientissimus Pontifex Clemens VIII. veterem illam, & ab ineunte Ordine seruatam eligendorum Vocalium formam noluit demutare, memor scilicet, ***Rempublicam ijs institutis facillimè perennare, quibus initio coaluit*** a. ***Cauendumque Principi, ne legibus fundata societas, legibus euertatur.*** Illud verò interim meminerint Patres, vt quæcumque hoc capite sanciuntur, religiosè seruata & inuiolata velint. Quòd autem cùm primùm Vocalis quis creatus est, *Pater*, vt apud nos in more appellatur, id quidem ne nuperum videatur, D. Augustini b testimonio nititur, tradentis, suo æuo eiusmodi appellationem fuisse aut propter honorem inditam, aut propter ætatem. Vtrúmque autem apud nos viget: nam & Vocales ob ius ferendi suffragij, & ij qui professione Vocales præcedunt, Patres æquè vocantur. Diuus quoque Hieronymus scribit c, olim, in Ægypti maximè & Palestinæ Monasterijs, se inuicem *Patres* nominasse; quod de senioribus intelligendum est: adolescentes enim *filij* appellati passim leguntur in Vitis Patrum, & apud Pachomium, Cassianum, Climacum alióśque Ascetas.

a Ex Plin. Panegyr.

b Coll. Carthag. c. 132.

c Epist. 32. ad Eusto. & l. 4. in Matt.

CAPVT IV.

De Definitoribus.

PATER Generalis, & Definitores à Capitulo electi, iusiurandi vinculo se primùm obstringant, nullo se vmquam tempore dicturos, quæ in Definitorio dixisse, vel à Collegis audiuisse contigerit, quæ prolata pacem turbare, vel quoquo pacto minuere posse videantur. Tum diligentissimè perquirant quinam ex Vocalibus totius Congregationis ad alios regendos sint apti. Per secreta deinde suffragia eligant Præpositos singularum domorum, & Visitatores binos in prouincias singulas. Hi creentur in annum: reficiantur autem, si P. Generali & Consultoribus visum fuerit, vsque ad annum tertium. Qui Præpositi munere tres continuos annos vel in eadem domo, vel in eadem Ciuitate in diuersis domibus functus est, is nec in eadem rursus domo, nec in eadem Ciuitate Præpositus creari poterit, nisi post tres alios annos elapsos. At alibi in aliis domibus poterit is idem eligi Præpositus, modò in singulis domibus triennium non excedat. Qui inter se sunt primo vel se-

cundo gradu consanguinei, alius alij nullo interiecto anno ne succedat. Qui ex Vocalibus non possunt subire onera communia Religionis, vtpote Chori & Communis mensæ, Præpositi, & Visitatores ne eligantur. Consultoribus, ne Visitatoris munus imponatur. Pręposlti itidem Visitatores ne fiant. Si quis Visitatoris munus per tres continuos annos iam obiuit, iterum ad eandem Prouinciam creari, ante tres alios annos non possit.

Prępositus S. Siluestri Romæ, cùm sit Prępositus Generalis, ac totius Religionis caput, à toto Capitulo (vt dictum est) eligitur. Cęteri Prępositi creantur à P. Generali, & Definitoribus, antiquitatis seruato ordine. Tum Visitatores bini pro Romana & Neapolitana Prouincia: bini pro prouincia Gallię Cisalpinæ, cæterarumque domorum. Absoluta Generalis Capituli Congregatione, statim Definitorum cessat autoritas.

Ad Cap. IV. Notæ.

1. EXtant B. Hieronymi in sui æui Electores Præpositorum, grauissima verba [a]: Ea hîc non pono, ne sim longior aut molestior: Illud tamen vnum non reticebo, quicquid boni aut mali in sacro quouis Ordine fuit, est, eritve, totum fere his Definitoris (vt vocant) placitis decretísque tribui debere. Ab his enim, primò, & Consultoribus postmodum, Præpositi & Visitatores, hoc est, recti prauíque exempli fontes eliguntur. Etenim verum illud est sapientis disertique viri dictum [b]: *Quales in Republica rectores sunt, tales reliquos solere esse ciues.*

[a] Lib. 1. in Iou.

[b] Cic in Ep.

CAPVT V.

De electione, & autoritate Patrum Consultorum.

SINGVLIS triennijs à Capitulo Generali eligantur quatuor Consultores, vt suprà dictum est, qui P. Generali intra triennium præstò sint: eique in his quę ad regimen Congregationis pertinent, opitulentur. Vnus eorum tantummodo per aliud triennium à Capitulo Generali refici poterit: reliqui tres de nouo creentur. Hi nullum ius habent præcedendi Patres reliquos, sed in professionis suæ loco sint. Quotannis post pascha vnà cùm P. Generali, perspectis rebus, quas vel in Actis Visitationis repererint, vel à Visitatoribus, aut aliunde renuntiatæ fuerint, deliberent quis Præpositus aut Visitator reficiendus, quis amouendus à munere, quis in amoti vel demortui lo-

cum sit sufficiendus. Nam licèt tota facultas regendæ Congregationis sit penes P. Generalem, tamen in huiusmodi rebus exequendis, & in Constitutionibus pro re graui declarandis, si quę fortè dubitationes oriantur, ac in pœnis grauioribus imponendis, Consultorum consensus adhibeatur.

Si dum P. Generalis, autumnali tempore, vt fit, vnà cum consuetis Prouinciæ Visitatoribus, Domum quampiam extra Vrbem visitauerit, res grauis, aut consultatione digna pro ipsamet Visitatione, aut pro quouis alio negotio nata fuerit, expectare oportebit tantisper, dum Romam reuersus cum suis Consultoribus deliberet. At si celeritate opus sit, & res differri minimè possit, de consensu P. Visitatorum, qui Consultorum eo casu loco sint, rem totam expediet.

Si Consultorum aliquem, diem suum obire, vel munus quauis ratione contingat deponere, P. Generalis conuocet, pręter Consultores reliquos, Præpositum S. Andreæ, & Vicepræpositum S. Siluestri, & vnà cum illis per secreta suffragia de consensu maioris partis in demortui vel abdicati Consultoris locum sufficiat alterum. Quòd si Consultoris defectus intra tres menses ante Capitulum accidat, Consultoris ne fiat electio, nisi fortè quis Præpositus intra illos menses creandus sit. Tunc enim statim Consultor eligatur; dein le qui sufficiendus sit, Præpositus creetur.

Si Consultor ad Generale Capitulum electus intra dictos tres menses ante Capitulum moriatur: si quidem non sit creandus aliquis Prępositus, Consultoris electio ne fiat: sed reliqui Consultores, quinam ex eis Capitulum ingrediatur, eligere poterunt, modò ne Capitulum post meridianam orationem cœptum sit.

Si ad aliud Domicilium alicubi collocandum euocabimur, P. Generalis rem omnibus Præpositis & Vocalibus impertiat: Hi re matuiè considerata, quid sibi visum fuerit, rescribant. Acceptis literis P. Generalis conuocet Consultores, ac Præpositos, qui vel ibi præsto fuerint, vel longiùs non abfuerint, quàm quinquaginta millibus passuum; tum de sententia maioris partis, locum aut recipiat, aut respuat. Itidem fiat si qua Domus, intra triennium postquam recepta in Congregationem fuerit, erit repudianda: nam expleto triennio Capitulum expectabitur.

Per P. Generalis obitum, aut eius muneris abdicationem, Vicepræpositi S. Syluestri cessat autoritas, isque in professionis suę locum statim redit. Ex Consultoribus professione senior Patris Generalis vicem obtineat. Primus omnium Domi suæ sedeat, sed non in Generalis loco. Si P. Generalem diem suum obire, aut quauis alia ratione sedem eius vacare contingat, Patres cuiusque domus publicis statim literis faciat certiores: Capitulum die cum Collegis constituta, quàm primum conuocet; menses tamen Iunium, Iulium, & Augustum ob acres calores intermittat. Vocales de domo in domum ne transferat; quòd si id fieri necessitas coegerit, fiat post electionem Vocalis, qui ad Capitulum veniat. Quę in Capituli Generalis tempus differri poterunt differat; Quæ celeritate opus habent, vnà cum ceteris Consultoribus deliberet, & expediat. Generale Capitulum ingrediendi ius ne habeat, nisi à suis Vocalibus vel Collegis de more eligatur.

Ad Cap. V. Notæ.

1. TRia requirit Aristoteles [a] in Consultore, prudentiam, probitatem, beneuolentiam: *Neque ob aliud*, inquit, *qui consulunt, auditorem fallunt, nisi quòd ijs aliquid horum deest. Aut enim propter imprudentiam non rectè opinantur: aut rectè sentientes, propter improbitatem non dicunt vt sentiunt: aut quamuis rectè sentiant, virtuosique sint, tamen*

[a] Lib. 2. Rhet. c. 1.

cùm beneuoli non sint, facilè creduntur sponte non optimè consulere. Hac igitur sunt, quare fallunt: & propterea nihil. Quare necesse est, si quis omnia hac videtur habere, fide dignum esse apud audientes. Cæterùm vt prudentia experimentis; probitas, virtutum habitibus, per Dei gratiam, comparatur; sic beneuolentiæ solida opinio sinceræ pietatis officijs gignitur, non autem (vt non nemo putat) assentatione. Quomodo enim is beneuolus censeatur, qui (vt B. Optatus inquit [a]) *omnia pro tempore, nihil pro veritate?* E contra, amorem, etsi non citiùs, solidiùs tamen nectit firmátque sincera veritas, liberè & cum fide prolata [b]. *Ea enim, in præsentia quibus resistit, offendit: deinde autem illis ipsis suspicitur, laudatúrque.* Hæc de Consultorum munere breuiter innui: plura qui voluerit, Chrysostomum [c] adeat, atque audiat.

a Lib.1.con. Parmen.

b Plin.l.3. epist.9.

c Hom.18. in 1.Cor.

II. Si ad domicilium alicubi collocandum euocabimur. Caueant Patres, vt domicilium paruo admodum nostrorum sodalium numero inhabitetur. *Vitam hanc*, inquit Basilius [d], *contestatam conuenit esse, vt sit extra prauam suspicionem. Et quemadmodum spiritualis lex non pauciores quàm duodecim esse vult, Pascha mysticum comedentes; sic oportet hîc redundare potiùs quàm imminutum esse duodenarium numerum eorum qui spiritualem conuersationem simul exercent.*

d Serm.4. ascet.

III. Menses tantùm Iunium, Iulium, & Augustum, ob acres calores intermittat. Ob eamdem caloris vitandi caussam, & quòd ijs mensibus fruges colligi soleant, vetuêre olim Cæsareæ leges iudicia exerceri [e]; *Omnes dies iubemus esse iuridicos: illos tantùm manere feriarum dies fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulgentior annus accepit, æstiuis feruoribus mitigandis.* Porro cùm & comitijs Regularium, iudicia agi frequenter accidat, prudenter cautum vt quo propemodum tempore feriæ celebrantur, cogi conuentus huiusmodi ne liceat.

e Cod.Th. de Fer.l.2.

CAPVT VI.

De Cognitoribus Caussarum.

EX ijs qui intersunt Capitulo, duo vel tres Patres eruditi (si videbitur) constituantur, qui de caussis ad Capitulum delatis. & controuersijs ortis, cognoscant. Ij res cognitas, totius Capituli iussu, vel apud Definitores, vel apud vniuersum Capitulum narrent paucis. Dimisso Capitulo eorum cessat autoritas.

Ad Cap. VI. Notæ.

1. EX vetusto Conciliorum more adhibemus in nostris Comitijs Generalibus tres Caussarum Iudices. Ita factum in Concilio Carthaginiensi tradit Adrianus Papa I. in Compendio sacrorum Canonum. Canone enim centesimo hæc habet; *Vt ex singulis Prouincijs terni Iudices seligantur, ne diutiùs in Concilio omnes Episcopi teneantur.* Quæ itidem caussa nobis extitit Iudicum statuendorum.

CAPVT VII.

De Præposito Generali.

VNIVERSI Ordinis administratio Præpositi Generalis est præcipua. Ei igitur, vtpote qui nostræ Congregationis Caput, & Pater est, promptè obedient omnes; scilicet Apostoli verbi memores; a *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis* Is verò (vt idem Apostolus subdit) peruigilet, quasi rationem pro animabus subditorum redditurus. Quocirca summo studio & fide in rebus spiritualibus, & temporalibus Congregationis regimen gerat: Et iuxta Constitutiones à Capitulo factas, aut pro tempore faciendas, illam regendi habeat facultatem.

a Heb. 13.

Præpositus Generalis creatur à Capitulo per triennium: reficitur autem ab eodem, si visum fuerit, vsque ad aliud triennium. Eius non cessat autoritas, statim vt triennium est elapsum, sed durat ad Capituli tempus, videlicet donec in eo munus suum deposuerit: Idémque Generalis creari minimè poterit, etiamsi triennium tantùm Generalis munere functus sit, nisi post sex elapsos annos: qui ipse tamen ad quæcunque alia Religionis obeunda munera idoneus censeri poterit.

P. Generalis neque etiam de Consultorum sententia, nouas Leges, aut Constitutiones edere, aut editas abrogare, siue in parte aliqua immutare poterit; id enim ad Generale Capitulum solùm spectat. Interpretari tamen ex Consultorum consensu poterit. Suffragium eius simplex sit; at si sententiarum inter se pugnantium par sit numerus, eius suffragium duplex erit. Cùm transferendi erunt de domo in domum fratres Laici, Clerici, Sacerdotes, aut Vocales, solus Præpositus Generalis absque Consultorum consensione, sed ijs tamen consilium adhibitis, transferre poterit; priùs verò (si commodè fieri potest) certiores faciat Præpositos earum domorum ad quas & ex quibus sunt transferendi. Anno autem ante Capitulum proximo, nisi consentiant Consultores, Vocales ne transferat. Potest solus P. Generalis concedere facultatem Clericis, vt ad sacros Ordines promoueantur; Sacerdotibus, vt confessiones sęcularium virorum ac mulierum audiant; Scholasticis item, vt publicè concionentur, seruatis tamen ijs quę de Concionatoribus, & de Sacerdotibus ad Confessiones admittendis, superiùs dicta sunt. Potest item solus quem voluerit ex Patribus, etiam ex Consultoribus creare Vicepræpositum S. Siluestri, eiusque auctoritatem augere, vel minuere, & ad nutum dimouere. Is verò Vicepręposītus ante quidem Vocales cæteros, sed post Præpositos quoscunque aliarum domorum, & post Visitatores (visitationis tempore) sedeat.

Etsi plurima sunt in quibus disponendis P. Generalis Consultorum consensum habere non cogitur; in istis tamen eorum consilium studeat adhibere, videlicet in distribuendis Concionatoribus, in transferendis de loco ad locum Vocalibus, ac denique in rebus omnibus quæ consultatione aliqua indigere videbuntur.

Meminerit P. Generalis, subditos exemplo magis quàm verbo docere. Dum integra est corporis valetudine, regularem disciplinam communésque labores, quoad eius fieri poterit, vnà cum cęteris subeat; ad communem mensam assiduè se conferat; communi victu & vestitu sit contentus; vnam, aut ad summum duas habeat cellas, easque nullo ornamento decoratas; Lectum sine conopœo, supellectilem sine apparatu, sed ad formam communem. Ob negotia tamen plurima, quibus ferè semper est occupatus, Laicum habere poterit vnum, qui vbi, ei opus fuerit administret. Si qua de caussa (quod Deus prohibeat) amouendus erit P. Generalis à munere, Consultores rem maturè perpendant, nec nisi grauissimis rationibus moueantur; tum de consensu maioris partis eorum, Capitulum Generale Romam, vel aliò conuocent. Ibi caussa probè cognita, P. Generalis deponi, & alius in eius locum eligi poterit. Caussę autem ob quas esset amouendus, hæ sunt; Crimen hęresis, carnis incontinentia, bonorum Congregationis dissipatio, siue ea in suum, siue in aliorum conuertat commodum: Si regularis disciplinæ, & rerum gerendarum ita socors sit, ac negligens, vt destructio nostræ Religionis, aut dissolutio timeatur; Si Constitutiones in rebus grauibus non seruet, nec curet ab alijs seruandas; si eas spernat, ac reijciat; Denique si quod crimen commiserit, quod vel per Leges Ciuiles pœna capitis, vel iuxta sacros Canones, depositione puniatur.

Ad Cap. VII. Notæ.

1. **VNiuersi Ordinis administratio apud Præpositum Generalem est præcipua.** Si de vocabulo disseremus, reperio *Generalis* nomen etiam antiquitus vsurpatum. Eustachius Presbyter, scriptor vitæ S. Eutychij Patriarchæ, eique synchronos: *In hoc igitur*, inquit, *magno Monasterio, quod ipse posteà tum beneficijs, tum cultu diuino, tum prouentibus amplificauit, Monachi magnus Eutychius habitum sumpsit, & totius Monachorum cœtus in ea prouincia Metropoli gubernandi prouinciam cepit, ex quo Catholicus, seu Generalis Præpositus appellatus est.* Hæc de vocabulo, sed id leue est; rem ipsam inspiciamus, hoc est, quænam requisierit S. Augustinus in religiosis viris Præfecto. Itaque ex eius Regula ad Clericos hæc excerpsimus [a]: *Ipse qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente fœlicem, honore coram vobis, prælatus sit vobis: timore coram Deo, substratus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, consuletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat, metuendus imponat. Et quamuis vtrumque sit necessarium, tamen plus amari à vobis appetat, quàm timeri: semper cogitans, Deo se pro vobis redditurum esse rationem.* Hæc magnus ille Pater Augustinus, qui paucis multa.

a Cap. 1.

II. **Is verò peruigilet.** Nam, vt S. Gregorius sapientissimè ad D. Leandrum scripsit [b]: *Negligenti Prælato, crescit sentina vitiorum.* Cui affine est id quod Chrysostomus docet [c], *Nisi minoribus erratis correctio debita adhibeatur, scelera paulatim irrepere.* Neque verò Prælatus timeat, ne curiosus aliarum conscientiarum indagator reputetur. Nam quantum turpe fuerit, priuatum hominem, in nullam sollicitudinis partem vocatum, scrutari aliena peccata, tam perniciosum Reipublicæ erit, Prælatum cui animarum cura commissa est, conniuere ad subditorum vitia crimináque, & perniciosa lenitate aucupari benignitatis famam. Gregorius sanè magnus & sanctus Pontifex laudat Theodorum Lilybetanum Episcopum, quòd Pastorali vigilantia vitam moréssque subditorum scrutaretur. Itaque illi scribens, hæc ait [d]: *Nulla igitur res ab inuestigatione prauorum actuum te reuocet: nam quanto vigilantiam tuam modo laudamus, tanto culpabilior inuenieris, si eiusmodi actus qualibet dissimulatione celaueris.* Sed propius ad Religiosos accedit D. Bonauenturæ doctrina [e]: *In hoc*, inquit, *differunt laudabiles religiones à iam dilapsis, non quòd nullus peccans in laudabilibus Religionibus reperiatur, sed quòd nul-*

b Reg. lib. 1. epist. 41.

c In Florile. Hom. de peccato & Confess.

d Reg. lib. 2. epist. 49.

e Tract. de Sex Alis Ala 1. cap. 3.

lus impune peccare sinatur, & peccandi aditus studiosè præcludatur, & incorrigibiles, & alios inficientes, eliminentur, & boni foueantur, ac diligantur, & in melius semper proficiant. Hæc Sanctus iste Doctor scripsit, & cùm Franciscanum Ordinem rexit, opere executus est, immitis in vindicandis Dei offensis, mitis in proprijs condonandis.

III. Eorum consilium studeat adhibere. Diximus quî se gerant Consultores, vt salubriter consulant; Restat hoc loco dicendum, quomodo consilijs datis Generalis Præpositus audientem se præbeat. Possem è prophanis autoribus huc multa accersere: non faciam tamen; vnus enim Climacus instar illorum omnium erit. *Quicumque*, inquit [a], *reuera voluntatem Christi addiscere volunt, suam priùs voluntatem studiosè mortificare debent, deinde verò fide atque innocua simplicitate orantes, Patrúmque siue Fratrum animos summa cordis humilitate, ac sine cogitationum hæsitatione interrogantes, quæ illi consulunt, tamquam ex ore Dei suscipiant; quamuis contraria suæ intentioni sint, quæ ab illis fuerint dicta: atque etiamsi hi qui interrogantur, non valde spirituales sint. Neque enim est iniustus Deus vt animas decipiat, quæ se per fidem atque innocentiam, proximi consilio atque iudicio humiliter submiserint. Etsi enim irrationabiles, & muti illi fuerint, à quibus petimus; is tamen qui loquitur per eos, spiritualis est, atque inuisibilis. Ingenti humilitate pleni sunt qui prædictam Regulam nihil hæsitantes sequuntur.* O dignam sanctissimo Climaco sententiam, & humanæ etiam Philosophiæ magnopere consentaneam! *Æquius est* (Cæsar ille philosophus ait [b]) *vt ego tot taliúmque amicorum consilium sequar, quàm tot talésque amici meam vnius voluntatem.* Et S. Cyprianus ad Presbyteros scribens: *A primordio*, inquit, *Episcopatus mei, statueram nihil sine consilio vestro, sine consensu plebis meæ, priuata sententia gerere.*

[a] Gradu 26.

[b] Antonin. apud Capitolinum.

CAPVT.

CAPVT VIII.

De Visitatoribus.

VISITATORES bini pro ſingulis prouinciis, à Præpoſito Generali & Definitoribus, in Congregatione Generali, per annum eligantur: Deinde ſingulis annis intra triennium, à P. Generali & à Conſultoribus refici poterunt, vt ſuperiùs dictum eſt. Ij non in eadem, ſed in diuerſis ſuæ Prouinciæ Ciuitatibus, & domibus habitent. Conſultoribus & Prępoſitis nullo pacto Viſitationis munus imponatur. Poſteaquam ſe æſtatis calores remiſerint, ſingulis annis Viſitatores bini ſuam Prouinciam viſitent. In obeundo munere parem autoritatem habeant, nec ſine altero alter quidquam facere poſſit: in exequendis tamen rebus profeſſione ſenior præcedat, cui eidem curæ ſit in itinere pecuniam ferre, & impenſas facere.

Si viſitanda ſit domus eius Præpoſiti, qui alteri ex Viſitatoribus in primo vel ſecundo conſanguinitatis gradu coniunctus ſit, alter Viſitator ſocium ex Vocalibus eiuſdem domus ſibi adiungat. Idem faciendum eſt ſi Viſitatorem alterum de altero aliquid cognoſcere oporteat. Si quis Noſtrum ad alterum tantummodo ex Viſitatoribus quippiam deferre voluerit, is ſua manu ſubſcribat.

Cùm primùm ad domum viſitandam peruenerint, munus ſuum aggrediantur, ac quàm citiſſimè poterunt, ſe expediant. Vnà omnes ad locum deſignatum conuocent, ſermonem breuem de rebus ad viſitationem ſpectantibus habeant: cunctos moneant, vt quæ correctione indigent, liberè ſibi aperiant; neve odio aut amore ducti, quæ dicenda ſunt, taceant; aut è contrà, emendata jam, ſiue quæ charitatem violare poſſint, ea ipſi proferant. Tum Viſitationem aggrediantur à rebus diuinis, ſi commodè fieri poterit. Eant viſum qua diligentia aſſeruetur ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, Oleum infirmorum, & Sanctorum reliquiæ; quàm nitidè & decorè curentur Sacra vaſa, Sacerdotum veſtes, & quæ ad Eccleſiaſticam pertinent ſupellectilem. Deinde ſingulos in ſenioris Viſitatoris cellam per miniſtrum idoneum ordine conuocent; Prudenter, & vt res poſtulat, ſciſcitentur. An Præpoſitus, Patres, & cæteri diu noctúque horis Canonicis frequentes interſint; An pax & concordia cuſtodiatur; An ſilentium horis lociſque congruentibus ſeruetur; An Nouitij & Profeſsi adoleſcentiores in Dei timore maiorumque reuerentia educentur; An Scholaſtici bonis literis erudiantur; An tempus rebus vtilibus, vt par eſt, inſumatur; An noſtræ Conſuetudines ab vnoquoque ſeruentur. Viſitent etiam ſingulorum cellas (ne quid forte vſquam ſit ab inſtituto noſtro alienum. Tum communes domos, officinas, & ſupellectilem. De ratione demum accepti & expenſi accuratè cognoſcant, vbi cognouerint, ſi videbitur, ſubſcribant. Toto Viſitationis tempore cuique Noſtrûm liceat peccata confiteri vtri placuerit ex Viſitatoribus, abſque Præpoſiti licentia. Viſitatores poſt biduum quàm aduenerint, communi victu vtantur. Nulla recipiant munera, neque à Noſtris, neque à Noſtrum conſanguineis ipſorum operâ procurata. Impenſæ verò itinerum à ſingulis ſuæ Prouinciæ domibus, iuxta præſcriptum, eis tribuantur. Antequam vltimam Viſitationi manum imponant, de iis rebus quę

occulta correctione indigent, aut Præpositum loci, aut ipsosmet qui culpa tenentur, admoneant. Tum palam apud omnes sermunculum habeant; vbi quæ videbitur, vniuersè probent, aut improbent. Quę leuiora sunt, per seipsos corrigant, nullámque de rebus leuibus, siue apud P. Generalem, siue in Generali Capitulo faciant mentionem. Si quid graue (quod Deus auertat) compererint, & remedium statim adhibendum esse visum fuerit, suum munus sine mora exequantur, rem tamen (si videbitur) aut cum Vocalibus loci, aut saltem cum Præposito, prout res postulauerit, communicent, post ad P. Generalem omnia scribant, aut referant. Quæ notatu digna visa fuerint, manu vtriusque Visitatoris subscripta habeantur. De domibus quas visitauerint, narrent benè; errata & incommoda reticeant.

Pater Generalis, triennio, semel, si ei videbitur, vel Congregationem totam simul, vel partes seorsum visitet. Id si post calores æstiuos fecerit, cum Visitatoribus faciat vnà. Sin alio tempore, integrum ei erit velitne alio quolibet adscito socio, an ipse solus rem omnem exequi. Nec tamen Visitatores à Capitulo constituti suum officium suo tempore intermittant. Atque hos solos Visitationis iure Capitulo interesse oportebit; illos alios adscitos nequaquam.

Ad Cap. VIII. Notæ.

I. VIsitationem aggrediantur à rebus diuinis. Ritum hunc & priscos seruasse lego. Pacatus in Panegyrico ad Theodosium: *Sed quod facere*, inquit, *magnas Vrbes ingressi solemus, vt primùm sacras Ædes, & dicata Numini summo delubra visamus.* Nilus in historia cædis SS. Synaitarum Patrum. *Postquam autem*, ait, *veni in Ciuitatem, primùm quidem sanctum templum quæsiui, tamquam caussam bonorum, & ei eum quem par erat, honorem tribui.* Sed id Ethnicos quoque fecisse liquet ex ea lege, quæ de officio Proconsulis extat, [a] qua cauebatur, vt *is prouinciam ingressurus, templum lustraret, & circumiret.* A sacris igitur templis, sacrariisque, Visitationem Nostri auspicentur. Eam verò si ritè & diligenter obiuerint, magnum profectò emolumentum atque robur vniuerso Ordini afferent. Potissimùm verò exquirant, An Regulæ obseruentur. Etenim, vt Augustinus præclarè inquit, [b] *quamdiu integra est Regula, habes quò te conuertas, & corrigas prauitatem tuam; habes vnde corrigas quod tortum est.* E contrario, *Magnum*, Ephræmo teste, [c] *animarum naufragium est, Monasterium, in quo Regula, & recta vita institutiones non vigent.* Et iure id dictum. Nam tria illa sacra Religionis vota, Regularis vitæ moribus, sacrarúmque Constitutionum obseruationibus muniuntur. Itaque si has contempserint, aut minimi fecerint, timendum sanè erit, ne & Vototum solennium, quæ Deo promiserunt, naufragium faciant.

[a] L. si in alium ff. de Offic. Proconf.

[b] In psal. 93. ad Vers. 15.

[c] Doct. var. 32.

II. Cunctos moneat, vt quæ correctione indigent, liberè sibi aperiant. Quàm perniciosè delicta velentur, & hi, qui illa sciunt, detrectent Prælatis aperire, ostendit grauissimis verbis B. Augustinus, quæ hoc loco referre debeo: sunt quippe valde notanda: *Si oculi*, inquit, *petulantiam in aliquo vestrûm aduerteritis, statim admonete, ne cœpta*

progrediantur, sed de proximo corrigatur: si autem & post admonitionem, iterum, vel alio quocumque die, id ipsum eum facere videritis, iam velut vulneratum, sanandum prodat quicumque hoc potuerit inuenire, priùs tamen & alteri vel tertio demonstratum, vt duorum vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coerceri. Nec vos iudicetis esse maleuolos, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, cùm timeret secari, nonne crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergo potiùs debes manifestare, ne deteriùs putrescat in corde? Denique concludit B. Augustinus: *Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, vindicandisque peccatis, diligenter & fideliter obseruetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum.*

CAPVT IX.

De Præposito, & Vocalibus cuiusque Domus.

SVO quisque Præposito promptè, vt par est, obediat. P. verò Præpositus, vt omnibus se præbeat exemplum disciplinæ, ad chorum & ad communem mensam assiduè pro virili conueniat. Silentium horis locisque congruentibus seruet: labores communes vnà cum aliis subeat; religionis obseruantias diligentissimè colat; & si interea eum prædicare contingat, Domum nihilominus curet præcipuè; atque in Choro & in communi mensa intersit. Ad alias Ciuitates in Quadragesima tantùm, nec nisi de caussa graui, & de P. Generalis licentia proficiscatur. Post Præpositos, vnusquisque reuerentiam præstet, atque obediat Vicarijs, tum senioribus, demum fratribus singulis inter se tanquam charitatis vinculo colligatis suus cuique honor mutuus habeatur; ita tamen, vt iuxta Apostoli sententiam, *omnia secundùm ordinem fiant*: Neque aliquis Superioris, siue alterius Officij dignitatem, aut iubendi auctoritatem sibi quoquo pacto vendicet. Nemo quamuis professus, & sacris initiatus, Vocem habet, neque ad ferendum suffragium poterit conuenire, nisi ij tantùm Sacerdotes, qui ad id in Capitulo Generali sunt admissi. De qua re Nouitij antequam Religionis induantur habitu, publicè sunt præmonendi. Licèt nullum ius Vocalibus tribuatur antecedendi alios Sacerdotes seniores, sed Professionis ordo vbique seruandus sit; absente tamen Præposito, iura Præpositi, & quæ ad regimen spectant, Vocales tantùm exerceant, Sacerdotes vero reliqui, absentibus Vocalibus.

Qui voce caret passiua, eligi non potest Generalis, Præses, Præpositus, Visitator, Vicarius, Consultor, neque ad Generale Capitulum veniat. Absente tamen Præ-

posito, & Vicario, in rebus omnibus Pręposito vicem gerat. Duo saltem Vocales pręter Prępositum in vnaquaque domo à P. Generali assignentur; immo plures, si ita ei videatur expedire. Vocales in quacunque domo adsint, si in ea assignati non fuerint, extranei censeantur. Suffragium ibi ferre non poterunt, neque Pręposito absente, in Choro, Refectorio, aut alibi iura Prępositi exercere, nisi omnes & singuli Vocales loci consenserint.

In singulis domibus singuli Vicarij eligantur. Si duo domicilia in eadem sint Ciuitate, duo Vicarij debent eligi. Prępositus igitur ex iis suę domus Vocalibus, qui actiuam & passiuam vocem habent, duos vel tres designabit, & ad P. Generalem secretò referet: Qui etiam secretò vnum ex designatis eligat, is tamen Vicarius ad nutum prępositi sit amouibilis. Post prępositum & Visitatores, Visitationis tempore sedeat. Absente pręposito eius vices gerat, dum adest, nihil agere, aut pręcipere, neque in domus regimine se ingerere audeat, nisi iis quę prępositus commiserit. Si Vicarius menses aliquot domo absit, ne cogatur præpositus alium Vicarium eligere. At si Vicarium & præpositum abesse contingat, priusquam abeant, designetur Vicarius. Ad Generale Capitulum ne accedat Vicarius, nisi ab aliis Vocalibus electus fuerit. Vicarius S. Mariæ de Thoro in agro Aquensi, à P. Generali solo designetur, & eligatur. Absente præposito, & Vicario, antiquior ex loci Vocalibus, etiamsi actiuam tantùm vocem habeat, eius vices gerat. Absente præposito Vicarius, vel Vicario absente, senior, qui præpositi vices gerit, ea tantùm exequatur, quæ in aduentum præpositi commodè differri non poterunt, caueat autem, ne minimum quid agat, quod à Superioris sui voluntate senserit esse alienum.

Si contingat plures adesse Vocales, coniunctos inter se primo vel secundo consanguinitatis gradu, duo tantùm ex iis qui antiquiores Vocales fuerint, suffragium ferant, tum in Capitulis Generalibus, tum etiam in singulis domibus. Sacerdotes Vocalibus loco Superiores, etiam ipsi, patres nominentur, ab inferioribus vocalibus benedictionem ne petant, tamen foras ituri & licentiam petant, & comitem, & quo sint ituri, & quæ acturi, significent.

Præpositus quandoquè omnes vnà conuocet: nonnulla, vt res postulabit, de quotidianis erratis verba faciat. Idem consulat patres vocales, cùm aliquis est in Ordinem nostrum accipiendus, cùm induendus habitu, cùm admittendus ad professionem, cùm ad Ordines promouendus, cùm ad audiendas confessiones exponendus, item si quis ante professionem à Religione dimittendus. De magnis etiam atque extraordinariis sumptibus faciendis, Denique in rebus omnibus grauioribus, cuiusmodi non sunt quæ ad victum & vtensilia pertinent.

Nulla ex nostris domibus possit ære alieno grauari, etiam de consensu vocalium, nisi pro necessario victu atque vestitu, & pro necessaria fabricæ restitutione, vel tandem pro euidenti vtilitate in re quæ differri minimè possit; vt puta pro emendis contiguis domui nostræ locis. In erogandis autem eleemosynis iungatur Charitati Christiana prudentia. Præpositus plus duos aureos in mensem ne elargiatur, nisi cum Vocalibus rem antè communicet, atque illi assentiantur.

Cùm Vocales conuocati aliquid tractant, id fiat quod maior pars Vocalium censuerit esse faciendum. Præpositus quidem liberam Vocalibus dicendi faciat facultatem: Ij tamen nec cum Prælato, nec inter se immodestè, morosè, pugnaciter se gerant. Qui secus fecerit, ei pœna Superioris arbitrio imponatur. Quòd si interdicendus ei congressus, & facultas conueniendi cùm aliis Vocalibus, videatur, res à Præposito cùm cæteris Vocalibus antè agitata, ad Generalem referatur; eiusque sententia expectetur. Ne liceat Præposito res nouas inducere, aut veteres nostræ Congregationis consuetudines immutare. Communes literas obsignare, & aliunde datas resignare ac legere solus potest; postea tamen vocalibus legendas tradere teneatur. Sigillum Congregationis apud solum Præpositum sit; ac nemini liceat literas huiusmodi sigillo non signatas alicui mittere. Nemo literas, munera, seu quid aliud cuiusque generis mittere vel recipere audeat sine Superioris licentia. Qui secus fecerit, præpositi sui arbitrio puniatur. Ad P. Generalem scribere quisque potest: eas neque præpositi locorum, neque alius vllo pacto legant, aut aperiant; Exceptis P. Generalis

vel ad P. Generalem literis, & ad Visitatores circa Visitationis tempus, & ad Vocalem electum. Post Septuagesimam possit Præpositi legere, aut aperire quascunque alias, quas siue Vocales, siue alij miserint aut receperint. Absente Præposito nemo scribere alicui literas, aut aliquid alicuius ponderis innouare audeat. Quòd si quid horum statim fieri necessitas coegerit, res tota Præposito, cùm domum reuersus fuerit, aperiatur.

Nemo nostrûm suam sententiam in scripto ponat de re quapiam controuersa: nec se cuiuspiam excepisse Confessionem, vel eum à censuris absoluisse fidem faciat, quin antè & viderit Præpositus, & probauerit.

Curæ sit Præposito Annalium librum conficere, in quem, vt quidque acciderit notatu dignum, referat, vt potè quo quisque die Religionem sit ingressus, habitum susceperit, professionem emiserit, ad ordines & confessiones sit admissus: quicquid denique ortum fuerit, quod ad communem domus vtilitatem pertinere videatur. Librum etiam conficiat accepti & expensi, vt possit rationem reddere quotannis Visitatoribus, & suo tempore Patribus in Capitulo Generali congregatis. Etsi verò Præpositus accepti & expensi rationem Vocalibus suæ domus reddere non teneatur, vltrò tamen offerat eis libros, Visitationis tempore, & antequam ad Generale Capitulum proficiscatur. Præpositus, etiamsi iam annus elapsus sit; in sua tamen administratione permaneat, quousque alius Præpositi munus adierit.

Si quis Præpositus moriatur, alius statim, vel ad summum intra tres menses, à P. Generali, & Consultoribus sufficiatur: interim Vicarius, vel eo absente senior ex Vocalibus, Præpositi vices suscipiat, eique omnes obediant, & præstent reuerentiam: is tamen in Præpositi loco ne sedeat, nec item ius habeat veniendi ad Capitulum Generale, nisi à suis Vocalibus de more eligatur.

Ad Cap. IX. Notæ.

1. QVæ ad Caput VII. adnotata sunt de Præposito Generali, ea ad inferiores Præpositos quodammodo spectant. Itaque illinc isti petant, atque ea sibi quoque de suo munere ab antiquitate admonendis erudiendísque dicta fuisse existiment. Meminerint verò præterea ij qui Religiosis viris regendis moderandísque præficiuntur, omne virtutum genus, atque adeò perfectionis apicem ab se exquirere SS. Patres. [a] *Bene enim Monasterium regere, Ægyptij Patres sapientis esse pronuntiant, summúmque donum & gratiam sancti Spiritus esse definiunt: Neque salutaria præcepta quempiam posse obtemperantibus præstituere, nisi qui priùs vniuersis virtutum disciplinis fuerit instructus.* Quantopere autem officiat toti corpori infirmum caput, aptè explicat his verbis [b] Chrysostomus: *Caput valentissimum quidem esse oportet, vt prauas exhalationes ab inferiori reliqui corporis parte sursum ascendentes dispensare, easdemque rite atque ordine componere possit. Cùm enim per se caput infirmum est, ac fumorum insultus illos morbificos repellere, minimè potens, tum fit vt ipsum etiam infirmius in dies reddatur, itémque & reliquum corpus secum perdat.* Hac ille similitudine Prælati munus appositissimè declarat.

[a] Cassian. lib. 2 Inst. cap. 3.

[b] De Sacerd. lib. 3.

II. Post Præpositos quisque reuerentiam præstet, atque obediat Vicarijs. De Vicarij munere duo dicit docétque Pachomius, quæ notari hoc loco debeant. *Si in domo sua*, inquit, a *viderit delinquentem, & non nuntiauerit Patri Monasterij, ipse increpationis ordini subiacebit.* Et inferiùs: b *Nihil faciat præter id quod Pater iusserit, maximè in re noua: nam quæ ex more descendit, obseruabit Regulas Monasterij.* Quæ postrema Pachomij verba astipulantur his quæ nos hoc capite Constitutionum habemus; *Nihil agere, aut præcipere, neque in domus regimine se ingerere audeat, nisi in his quæ Præpositus commiserit.* Ad illud verò (Absente Præposito vices gerat) facit mirificè S. Isidorus in Regula sua sic statuens c: *Si quando Præpositus aliquò proficiscitur, ille ferat fratrum sollicitudinem, qui est Præpositus secundus in ordine.* Vocat S. Isidorus Vicarium, Præpositum secundum, sicut & Pachomius, aliique eo vocabulo appellant. Vicario autem obediendum esse non secus ac Præposito, optimè persuaderi poterit sancti Ignatij verbis d huc deriuatis: *Quemcumque Pater familias mittet ad gubernandam familiam, hunc ita accipere debetis, vt illum ipsum, qui mittit.*

a Reg. nu. 115.
b Reg nu. 117.
c Cap. 23.
d Epist. 11. ad Ephes.

III. Tum senioribus. Deploranda profectò est eius Reipublicæ domúsve conditio, qua iuuenes aduersus seniores ceruicem erigunt, eósque debito honore defraudant. E contra gloriari optimo iure de sua patria ille potuit, e qui dixit: *Semper in Ciuitate nostra venerabilis fuit senectus: nam maiores nostri eundem penè honorem senibus, quem magistratibus, tribuebant.* Hoc ipsum in Essenis valde laudat Philo f: *Senioribus*, inquit, *iuniores debitam curam, honorem, reuerentiam exhibent, tamquam germani filij, labantem eorum ætatem fulcientes modis omnibus, tam alloquijs quàm ministerijs.* Hæc itaque est adolescentum in senes officiorum ratio. Vicissim autem senes exemplo suo præsint iuuenibus, neque pili solum canitie, sed & morum grauitate & sanctitate, ijs se reddant cultu & imitatione dignos. Alioqui corrupti ignauique senes, quantam religiosis Congregationibus perniciem afferant, declarat Cassianus, Mosis Abbatis grauissimis verbis, g quæ ne longiores simus, hîc ponere supersedemus. Illud interim scire opus fuerit, vix appellari posse senes, illos *in quibus*, vt acutè inquit Seneca, h *Exacta iam pueritia, remanet, quod grauius est, puerilitas.*

e Callistr. de mun. et mun.
f Quod omnis probus, liber.
g Coll. 2. cap. 13.
h Epist. 4.

IV. Consulat Patres Vocales. Obseruat D. Hieronymus, Christum Iesum, quamquam Patris Verbum, & sapientiam, consuluisse discipulos, cùm famescentis turbæ pascendæ occasio incidisset: non quòd eorum egeret consilio, aut ignoraret ipse quid facto opus esset, sed, vt Hieronymus inquit: *Vt Præpositis & Magistris exemplum tribueret cum minoribus atque discipulis communicanda esse consilia.* Id autem Christi, & Hieronymi monitum, vt probè meminerint nostri Præpositi, adiungam cuiusdam probi Abbatis experimentum à B. Catharina i Bononiensi rela-

i Vit. Lib. 1.

tum. *Hoc*, inquit, *exemplum narrauit mihi vetus quidam & probatissimus Religiosus, se, cum esset Abbas Monasterij, quotiescumque aliquid circa regimen Monasterij ex suomet arbitrio faceret, cognouisse sibi maxima ex parte, Deo permittente, male cessisse; è contra, cùm ea faceret ex consilio maioris partis subditorum, semper & prosperè successisse, & non mediocrem consolationem inde sibi prouenisse.*

v. Ne liceat Præposito res nouas inducere.

Regula enim Religiosi Ordinis, vitæque norma ab ijs maximè custodienda est, qui cæteros ad eam custodiendam suo exemplo debent permouere. Etenim si ipse Præpositus prætextu dispensationis, aut ostendendæ potestatis, ritus legésque violare audeat, quid subditi facient? Exclamat proinde S. Pachomius, [a] *Ne rumpat Abbas vincula quæ Deus in cœlo condidit, vt obseruentur in terris.* Quæ verba nedum ille vir beatus dicere potuit, qui regulam è cælo Angelo dictante habuit, sed nos etiam cæterique omnes, qui Constitutiones Sanctionésque ab Apostolica sede firmatas accepimus.

[a] Reg. no. 128.

vi. Aut veteres nostræ religionis consuetudines immutare.

Quod quidem vario, eóque in speciem bono, fit quandoque prætexu: at processu temporis quàm id sit exitiabile, experientia ipsa docet. Curet proinde Præpositus perstare constanter inveteri instituto, alioquin si prætextu discretionis nouos induxerit ritus, agnoscet fortassis, cum pœnitere nihil proderit, laxasse se habenas dyscolis, & dissolutis. Ne mihi credat, D. Bernardo credat: qui quò in Benedictino Cluniacensi Ordine euasissent speciosi huiusmodi prætextus humanæ, hoc est, mundanæ, prudentiæ, his verbis ostendit, deplorans deperditam antiquam illam simplicitatem, & paupertatem: [b] *Miror vnde tanta intemperantia in comessationibus, & potationibus, in vestimentis, & lectisternijs, in equitaturis, & construendis edificijs inolescere potuit: quatenus, vbi hæc studiosiùs, voluptuosiùs, atque effusiùs fiunt, ibi Ordo meliùs teneri dicatur, ibi maior putetur religio. Ecce enim parcitas, putatur auaritia. sobrietas, austeritas creditur: silentium, tristitia reputatur. Econtra remissio, discretio dicitur: effusio, liberalitas: loquacitas affabilitas: cachinnatio, iucunditas: mollities vestimentorum, & equorum fastus, honestas: lectorum superfluens cultus, munditia. Cùmque hæc in alterutrum impendimus, charitas appellatur: sed ista charitas destruit charitatem: hæc discretio, discretionem confundit. Talis misericordia, crudelitate plena est: qua videlicet ita corpori seruitur, vt anima iuguletur. Quæ enim charitas est, carnem diligere, & spiritum negligere? Quæve discretio totum dare corpori, & animæ nihil? Qualis verò misericordia, ancillam reficere, & dominam interficere? Nemo pro huiusmodi misericordia speret se consequi misericordiam.* Hactenus ex D. Bernardo. Quæ nostros Præpositos velim attentè legere, & mente retinere,

[b] Apol. ad Gulielm. Abb. paragr. dicitur.

Vt saltem faciant aliena pericula cautos.

vii. In erogandis eleemosynis plus duos aureos

in menſe. Optimè inſtitutum vt duos ſaltem, aureos quolibet menſe pro ſuo lib to queat Præpoſitus erogare pauperibus. Id antiquitus liberaliſſimè factum. Nouerant enim veteres illi, [a] *Fœnerari Domino, qui miſeretur pauperis.* Itaque anno 816. in Comitijs Aquenſibus decretum eſt, *vt de omnibus in eleemoſynam datis tam Eccleſiæ quàm fratribus, decima pauperibus dentur.* Noſtri ſanè Patres Andreas Auellinus & Matthæus Bencius, (vt vetuſtiores omittam,) tenacioris licèt parcimoniæ in domeſtico cultu, à non nemine aliquando notati, adeò tamen procliues ad pauperum ſubleuandam inopiam extitêre, vt ſatis mihi facturi poſteri videantur, ſi profuſam eorum beneficentiam aliqua ſaltem ex parte imitati fuerint.

a Prou 3.

VIII Præpoſitus etiãſi iam annus elapſus fuerit, &c. Annuæ erant Præpoſituræ etiàm apud priſcos Patres, tametſi Abbatum, hoc eſt, eorum qui Præpoſitis ipſis præerant, perpetua ferè eſſet præfectura. Extat autem annuæ Præpoſituræ exemplum apud S. Auguſtinum in Tractatu de vita Clericorum: *Dictum eſt*, ait, [b] *de illo (Barnaba presbytero) quòd anno Præpoſitura ſua per induſtriam debita fecerit.* Idem pulchrè habet S. Nilus Abbas in epiſtolio de nimis diuturna Præfectura: *Tradunt*, inquit, *rerum naturalium obſeruatores, gruem triginta dies communem auium agmen ducere, deinde alteri grui idem munus tradere. Qui nunc gregi tuo præeſt, ambitioſus imperandique cupidus, vt audio, expleto de more iam anno miniſterij ſui, non permittit, vt alius regendi munus curámque ſuſcipiat. Et quid dicemus ad hæc?* Finit epiſtolam ſuam Nilus hac Apoſiopeſi, vt cogitatione, quod reticet, Lector ſuppleat.

b Tom. 2.

CAPVT X.

De ordine & loco cuiuſque inter ſe.

PRÆPOSTVS, in ſua quiſque domo primum locum obtineat; Si plures Præpoſiti conueniant, omnes poſt Præpoſitum, ſuo quiſque profeſſionis loco collocentur. Poſt Præpoſitos, Vicarius, tum ceteri Sacerdotes, iuxta profeſſionis ordinem, ſiue ij Vocales ſint, ſiue non ſint; tum Clerici profeſſi pro ſuo quiſque ordine: poſt hos Nouitij; tum hoſpites, poſtremo fratres laici locum habeant. Viſitatores cętero quidem anno Profeſſionis locum teneant; Viſitationis tamen tempore poſt Præpoſitos collocentur. Licèt ij qui maioribus Ordinibus initiati ſunt, præcedant eos qui minoribus; his tamen ad eundem Ordinis gradum euectis, non ampliùs ordinis ſed profeſſionis ratio habeatur; niſi quis ſua culpa, & pro pœna ad ordines non fuerit admiſſus; Quod ſpeciatim de vnoquoque erit declarandum.

Qui ſua culpa locum profeſſionis amiſerint, ijs ſi pœna poſt aliquot annos remiſſa fuerit, in priſtinum profeſſionis locum reſtitui eſſe ne intelligantur; ſed poſt eos omnes, qui Superiores aliquos ordines iuxta conſtitutum à Capitulo tempus ſuſceperint, maneant. Eos verò, qui ante id tempus, neceſſitate aut rationabili cauſſa

promoti

promoti fuerint, præcedant: nisi iam antea elapsum sit tempus à Capitulo, & à Constitutionibus constitutum.

Ad Cap. X. Notæ.

I. IVxta professionis ordinem. Hunc ipsum ordinem seruasse Iessæos tradit Philo: a *Nec seniores*, ait, *ex annis æstimantur, sed quantumlibet grandæuos habent pro pueris, si serò institutum hoc complexi sunt. Honorem verò senectutis tribuunt his qui excoluerunt se à iuuentute in hac pulcherrima diuinàque parte contemplatiuæ philosophiæ.* Cassianus id ipsum narrat, laudàtque in Ægyptijs Thebæisque Monachis, hisce verbis: b *Ita namque renuntiantem huic mundo obedire cunctis necesse est vt redeundum sibi secundùm sententiam Domini ad infantiam pristinam nouerit, nihil sibi de consideratione æui vel annorum numerositate præsumens, quam in seculo inaniter consumptam se se putat perdidisse, sed pro rudimentorum merito, & tyrocinij nouitate, quam se gerere in Christi militia recognoscit, subdere se etiam iunioribus non veretur.* His similia scribit de Pachomianis B. Hieronymus. Ipsum lege. c

II. Et nostrarum denique Notationum finis hic esto. Scio dixisse me non quidem omnia quæ in rem dici poterant (quis enim ea vel animo complectatur?) sed quæ præterire nullo modo debebam, vt nostros mores ritusque & à nouitatis labe eximerem, & maiorum exemplo monitisque firmarem. Spero autem, satis multa hæc erunt, nostrorum Sodalium studijs ad perfectam virtutem alliciendis trahendisque, solidissima autoritàte Vetustatis. *Precor itaque* Sanctissimi Dorothei verbis, d *Dei bonitatem, dignos nos faciat, vt hæc SS. Patrum vestigia, & instituta firmiter & fideliter teneamus:* atque, vt cum Apostolica adhortatione finiam, e Idem sapiamus, in eadem permaneamus REGVLA.

a De vita Contempl.

b Inst. lib. 2. cap. 3.

c Præf. ad Reg. Pachomij.

d Serm. 5.

e Philip. 3. 16.

FINIS.

Deo, & Deiparæ Mariæ Virgini sit laus, & Gratiarum actio sempiterna.

Has Notas, quæ nostri Ordinis Constitutionibus meo labore studioque accesserunt, scripsi, digessi, edidi, tantùm vt simplicem ijs autoritatem à veterum exemplis monitisve conciliarem; nullo veró modo, vt declarationem aut interpretationem aliquam vel ipse præberem, vel mea opera alius quispiam adijceret. Quod attestor,

Ant. Caracciolus Cl. Reg.

INDEX CAPITVM OPERIS.

Numerus ad Paginam ducit Lectorem.

Partis Primæ.

Partis Secundæ.

INDEX RERVM QVÆ IN TEXTV

CONSTITVTIONVM CONTINENTVR.

A

Nouitij

FINIS.

INDEX
IN NOTAS AD CONSTITVTIONES
CLERICORVM REGVLARIVM siue in Synopsim Veterum Religiosorum Rituum.

Vbi P. aut M. aut F. post numerum paginæ occurrent, litera P. principium, m. medium, f. finem eiusdem paginæ notat.

A.

INDEX IN NOTAS.

INDEX IN NOTAS.

D.

E.

Eleemosyna

INDEX IN NOTAS.

R.

INDEX IN NOTAS.

FINIS.

Errata ſic reſtitue.

PAg. 70. lin. 1. Nouitios. Notæ tranſponendæ ſunt. pag. 71. lin. 14. Ruſticius. l. Ruſticus. pag. 74. lin. 37. emarcidi. l. marcidi pag. 98. lin. 24. dicis. l. diei. pag. 110. lin. 1. celerum. l. Clerum. pag. 145. lin. 31. inſtituiſſe. l. primum inſtituiſſe. pag. 146. lin. 34. Iſaias. l. Iſaias Abbas. p. 151. lin. 8. S. Macharij, & Paphnutij. l. SS. Macarij, & Paphnutij. pag. 170. lin. 7. vitæ, l. vitæ melioris. pag. 175. lin. 2, de ſilentio. l. De ſeruando ſilentio.